

SACRVM PANCARPIVM

QVADRAGESIMALE.

EX FLORIBVS SACRÆ SCRIPTVRÆ & SS. Patrum, super Euangelia quæ in profestis & Dominicis diebus totius Quadragesimæ leguntur.

Studio & Labore

F. ABRAHAM BZOVII POLONI
S. Theologiæ Doct. Ord. Prædicatorum contextum.

Allegorijs, Hieroglyphicis notis, Orphicis sensibus, Emblematibus, Philosophorum & Principum virorum apophtegmatibus, præsertim vero historicis exemplis, ad Ethicen Christianam formandam refertum,

atque

PRVDENTIAE, & VIRTVTI
Illustriss. & Rñdiss. D. D. ERASMI DEBINII. Decani Cracouien.
O. D. C.

Adiecti tres Indices, vnus CONCIONVM, *alter locorum S. Scripturæ explicatorum, tertius rerum memorabilium.*

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS. MDCXI.

Apud Societatem Minimam.
Superiorum Permissu.





Illuſt.^mo & Reuer.^mo Domino

D. ERASMO DEBIENSKI
A DEBIANI.

Decano Cathedralis & Præpoſito S. Michaelis Eccleſ. Cracouien. Scholaſtico Lancicien &c. Domino D. Colendiſsimo.

F. Abraham Bzouius S. T. Magiſter Ordinis Prædicatorum. P. P. P.



IANVM Bifrontem, januarum phylaca, Antiquitas fingebat. Monebat omnem quicunque terebat limen, meminiſſet ſi vir audire vellet, ambire cõplexus Sororiarum, Prudentiæ & Virtutis, quarum Symbolum Panoptys Ianus. Et quidem, cum Prudentia ſit Oculus, *Virtus autem* Emblemma mentis: *plane, ſi quis ſine illa, vel ſine iſta, Cyclops & Therſytes Orphicus cenſeretur, eſſetque homo, non homo. Argus* πολυόμματος *in cenſu eſt, apud nonneminem Sapientem Mythologum.*

In nostris quoque adytis, Animalia oculata, Ezechieli & Ioanni obiecta, summa in admiratione habentur. Namque vt Comicus ait.

– – – – – nihil homini prudentia
Contingere melius, aut potest magis vtile.

Pratiosior enim est, vt Mysta Prudentiæ docuit, possesio eius acquisitione auri, & argenti. pote quæ nobiliore fuluore jnaurat mentem, candidat pectus, inque alto Dignitatis fastigio collocat suos Sacerdotes. præsertim si virtutis introneo lumine adornata. Illa Duce, hac Comite, fere omnes Magni, euaserunt ad summos gradus culminis; isti a Ciuibus splendida præmia, illi ab Imperatoribus Coronas varias, alij a consensu Gentium purpuras & sceptra, quinimo & Diuinos propemodum honores adepti. quod ornassent, vel auxissent Spartam nactam, vel viuidam bello dexteram obiecissent pro Patria, vel summo labore, fide, vigilantia aliquid contulissent in Rempub. cui adstricti. Inter latras Iani Clauigeri, si quem aliũ, cerno Illustrissimam Dominat. Tuam. Postquam enim ille lararium Debiniorum, geminata fronte ab immemorabili æuo illustrauit, ab eo Tu nunquam oculos deflexisti, sed velut Euhodium tibi sequendum proposuisti. Vnde

Ingentes animos angusto in corpore versans.
Ecquid antiquam virtutem, animosq; viriles

deceret,

deceret, tibi dixisti. Hac cœlum petitur via. His præambulonibus facilis ad Astra ductus. Rectè. Ab hac enim Prudentiæ Anteuorta, & Virtutis Introuorta Antenati Tui, insignes in Toga & Sago, Marte graues, Pallade potentes, vniuerso Septem-Trioni Illustrißimi, ad supremos Reipublicæ Honores euecti, famam factis extendentes, Tibi ad magna, iter, Solis radio signatum, prætriuerunt. His prodromis Tuus Parens, Senatus Poloni Princeps, Castellanus Cracouiensis, Sanctioris consilij Præses, parem se expectationi Serenißimorum Regum, Sigismundi Augusti, Henrici, & Stephani, parem & dignitati impositæ præstitit, atque a Magnis Ducibus, Magni Nestoris, & Patris Patriæ, amplissimos titulos sibi acquirens, eorum auspicio, famam super æthera notam, posthumanti seculo dereliquit. Hoc eodem cliuo enitendum, hac eadem via Tibi insistendum præsanxisti. Inde ab hac Sacra, quam consulis, Iani Cortina

Omnes prætereà, puro quæ crimina pellunt
Ore Deæ vinxere choros, vnoque receptæ
Pectore, diuersos tecum cinguntur in vsus.

Dicerem, de Tua religione in Templo, de consilio in consessu Publico, de hospitalitate in ædibus, de integritate in secessu, de liberalitate in pauperes, munificentia in literatos, comitate in omnes, candore

quo

e

quo niues superas, prudentia qua Vlyssem vincis, pi tate qua religiosorum nemini cedis; quibus omnibus refouendis, Sacrum eorum domiciliũ ITALIAM, *fere singulis vertentibus annis, nec sumptibus, nec valetudini, nec ætati flexæ quicquã concedens reuisis: nisi tuum ruborem rußare timerem. Eia macte. non Te tua cura fallit. Principem locum, in Cathedrali Tutelaris nostri Amplissimo collegio, Tibi hæc omnia conciliarunt; Imples illum & exornas: In sententia dicenda liber, in augenda re communi solers, in tuendis juribus Ecclesiæ acer, in propaganda fide Catholica feruens, In Tua dignitate, dignitati decus immortale, eximio laudis succensus amore generans. Sed non his angustis cancellis, Tua præmia concluduntur. Manent Te, Ductore Iano aliæ adoreæ, alia decora. quæ Tuo Illustrissimo vertici ex animo voueo, atque Tuæ Prudentiæ & Virtutis Iano, Pancarpium hoc meum Quadragesimale, offero, dico, consecro. L. M. Venetijs, ex Conuentu Sancti Dominici. Idibus Iulijs. Anno Domini. M DC XI.*

TABVLA CONCIONVM.

TA-

TABVLA LOCORVM
Sacræ Scripturæ explicatorum.

Cal-

F I N I S.





INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Anacho-

B

Berenices

D

præ

N

O

Saxo

T

FINIS.

COPIA.

GLi Eccellentissimi Signori Capi dell'Eccellentissimo Conseglio di X. infrascritti, hauuta fede dalli Signori Riformatori del Studio di Padoa, per relation delli due à ciò deputati, cioè dal Reuerendo Padre Inquisitor, & del Circ. Secretario del Senato Gio. Maraueglia con giuramento, che nel libro intitolato Sacrum Pancarpium ex Floribus Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, super totius anni Dominicalium, & Festorum dierum, Euangelia collectum studio, & industria Fratris Abraham Bzouij Ordinis Prædicatorum, non si troua cosa alcuna contra le leggi, & è degno di Stampa, concedono licentia, che possi esser stampato in questa città.

Simile per il libro super Euangelia totius Quadragesimæ, eiusdem Fratris Abraham Bzouij.

Dat. die 7. Iulij 1611.

D. Constantin Renier
D. Zuane Marcello } Capi dell'Illustriss. Conseglio de X.
D. Lorenzo Gabriel.

Illustriss. Cons. X. Secret.
Barth. Cominus.

1611. adi 9. Luglio Registrato nel libro all'Officio contra la Biastemma, a carte nu. 62. tergo.

Ioannes Baptista Breatto officij contra Blas. Coad.

SACRVM PANCARPIVM QVADRAGESIMALE.

Ex Floribus S. Scripturæ & SS. Patrum, ſuper Euangelia quæ in profeſtis & Dominicis diebus totius Quadrageſimæ leguntur.

Studio & labore

FRATRIS ABRAHAM BZOVII Sacræ Theologiæ Doctoris Ordinis Prædicatorum contextum.

FERIA QVARTA CINERVM.

Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.

CONCIO.

De cauſis impoſitionis Cinerum.



VIVSDAM Romani celebre eſt ſtratagema, quo Characitanos proſtrauit. Rebelles hi fuerunt Romano Imperio. Ad quos officij admonẽdos, & ſi res ferret ſub iugum mittendos, deſignatus ille. Hic exercitu coacto, cum ſe imparem militum numero & robore aduertiſſet, tale commentum ad eos obruendos inuenit. Cognita Cæciæ venti, eo tempore flantis natura, e regione ſpecularum, in quibus Characitani ſe continebant, obiecit aggeres cinericios. Quibus incurſatione equitum concitatis, Cæcias ventus tantum pulueris in fauces ſpeluncarum deuexit; vt cum hoſtes ferre non poſſent, ſeſe in manus Sertorij darent. Non diſſimili conſilio hodie vſa eſt Eccleſia, in ſternendo humani generis hoſte. Ipſi Bachico hoc luſtro, acciuimus iſtum, in noſtram necem. *Poteſtas illi, cui nulla par poteſtas in terra*, de terra, quamdiu terra. Cinerem hęc arundo auata, ſi quid aliud timet.

Plutarc. in vita Sertorij.

Sertorius cinere ſtrauit Characitanos.

Eccleſia cinere ſternit Sathanam.

Quamobrem hodie aggerem & ſiparium cinericium Eccleſia in noſtris verticibus obijcit: illi ſcilicet conterendo, Deoq; placando. Hæ duæ cauſæ impoſitionis cinerum. Quas dum excurro, vos ne cineres ex veſtris capitibus & cordibus diſpergitote oro.

Explic. loc. Exod. 9. Prima cã cinerum impoſitionis, proſtratio Sathanæ.

Præclarum eſt inter alia Moyſis facinus, exulcerationis totius Aegypti, quod hunc in modum patrauit. Iubente Deo huic & Aaron: *Tollite*, inquit, *plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cœlũ coram Pharaone, ſitq; puluis ſuper omnẽ terrã Aegypti: erunt.n. in hominib. & iumentis vlcera, & veſicæ turgentes, in vniuerſa terra Aegypti. Vterque tulerunt cinerem, & ſtantes coram Pharaone, ſparſit illum Moyſes in cælum. Factaq; ſunt vlcera veſicarum turgentium in hominibus & iumentis: nec poterant malefici ſtare coram Moyſe, propter vlcera quæ in illis erant, & in omni terra Aegypti.* Atrocem hoſtem nacti ſunt mortales, Pharaonem infernalem. imò ipſi noſtra ſponte manus ei dedimus, cum pomum noxiale ſuadente ſerpente decerpſimus. Si animum eius erga nos perpenditis? video in eius pectore igneas ardere flammas, quas in vniuerſos vomens, omnes abſumere cogitat. In ſternutamentis illius fulgor emicet, oculos tanquam auroras ſtringit, ex ore lãpades erumpunt, cum carbonibus ignitis. Si altum conſideratis? totus ex fraudibus, laqueis, pedicis, decipulis compoſitus, id quicquid eſt in exitium noſtrum intendit. Si potentiam? nulla eſt cui cedat, nulla quam extimeſcat in terra. Terram ille & huic affixos homines terit, ſerpendo. nam huic hæreditas obtigit nõ alia quam: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Quid ſuper pectus? Quid vero *terram comedes*? Pectus cogitationum ſedes. quaſi diceret. video te omnes tuas curas, cogitationes, & conatus eo dirigere, vt pectore dolis malis repleto, adrepas, ſi quem hominem humifixum deuorare poſſis.

1. cuius typus Aegyptij qui cineribus conſauciati.

Nam nos nõ mitiorem hoſtẽ nacti.

Qui nos atterit expli. loc. Gen. 3.

Quantum vero hic nocendi artifex nos afflixerit? Væ nobis quia non intelligimus, ſed neque ſentimus. Intellexerunt & perſenſerunt Hebræi Aegyptiacum iugum nos non luti, aut palearum, aut laterum laboribus vt illi, ſed longe grauiſſimis oneribus a Serpente prægrauamur: & ridemus? & in rebus nobis peſſimis exultamus? An non longe grauius eſt miſero, manibus ſuis proprijs viam ſibi ad inferna aperire, & ædificando perpetuo carceri, in quo, ah, fletus & ſtridor dentium perennis, tot quaſi lateres ſummo cum labore & vitæ diſcrimine precoquere, quot peccata in corde præformata, in Sole hoc meridiano, Deo ipſo aſpiciente, perpetramus? Quid illud eſt quod Paulus Architecturæ ſpiritualis Magiſter ait; *Si quis ſuper fundamentum hoc ſuperædificauerit, argentum, aurum, æs, lapides, ſtipulam,* addo & lutum: niſi lateres quibus nobis æternum manſuram habitationem extruimus? Argento quidem auro, & ære, imo & vnione aliquo pretioſo, Ciuitatem ſupracæleſtem Ieruſalem: luteo vero latere inferiorem *Rameſſes*. Scis quid ſit *Rameſſes*? Tonitruum tineæ. Ciuitatem in qua tonitrua perpetuo fragore detonant. in qua alligatus ille ſubter quem ſtrata eſt *tinea*, cuius *operimentum ſunt vermes* ſcaturientes; in qua & flammis & teredine depaſcamur, nec vnquam reſpirandi tempus, aut locum inueniamus. Talem Ciuitatem ferro & igne munitam nos ædifica-

Et longe grauioribus laboribus premit.

Aedificãdo. nobis inferno cuius typus Rameſſes.

re

re cogit, iste in cuius *via lassati* nũc, vix spiramus. Quis sapiens & intelliget hæc? vt se a Tyranno explicet; nec modo explicet; sed & tam intolerandi laboris exactorem a suis ceruicibus depulsum concidat, conterat, inque aliquo mari rupeo sepeliat? Nam nonnemo potest; si tantum velit sequi Ductorem suum & Doctorem, qui hodie *cineream nebulam spargit*, super nostra capita. vt in nostro capillamento latentem serpentem vlcere pestifero affi ciat & conficiat & obruat, *nebula* quam *sicut cinerem spargit*.

expli. loc. Iud 7. 2. Madianitæ qui pane cinericio prostrati. Madianitarũ quidam, narrabat sibi visum panem subcinericiũ, qui prosterneret castra illorum, temporibus Gedeonis. Sed refero ex historia. *Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis Somnium proximo suo, & in hunc modũ referebat quod viderat. Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere. cumque peruen sset ad tabernaculum, percussit illud, atq; subuertit, & terræ funditus coæquauit. Respondit is cui loquebatur: non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis filij Ioas viri Israelitæ: tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia castra eius. Gedeon* ex Hebręo, *conterentem* signat, & pręliatorem contra Satanam notat. *Madian* interpretatur *litigans*; & significat litigatorem antiquum Sathanam, qui in hoc natus vt cieat negotiũ Sanctis: nunc *calumniatoris*, nunc obtrectatoris, nunc *Accusatoris fratrum*, officio defungens. Nihil istũ æque a malignitatis instituto deterret, quam affectus cinere humilitatis conditus: cum quis vna cum Dauide, *cinerem tanquam panem manducat, & poculum cum fletu permiscet.* Gladius est anceps, quo conficitur, lancinatur, demembratur ille.

De hoc enim pane cinericio, nisi fallor Dauid aiebat, dum pęnitudine attritus, testabatur: *quia cinerem*, inquit, *tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam*. De miscella lachrymarum cum potu, nulla est ambiguitas: quod illæ tunc cum diluũt craterem liquidum, potabiles sint. cæterũ, de esu cineris magna est difficultas, quomodo cinerem manducarit? cum cinis nunquam escatilis inueniatur. Facilis solutio.

Respexit Dauid pęnitens ad con dituram panis Gedeonici. scilicet ad pœnitentiam; quæ iure merito *panis*; & *cinericius* nũcupari potest. Panis; Vt enim is ex polline trito tritici, ita & pœnitentia ex corde contrito constat. *Cor contritum Deus non despicies*, inquit idem psaltes. Vt panis aqua prætemperata coalescit: ita & pœnitentia ex lacrimarum colliquio. *Fuerunt* inquit *mihi lacrymæ meæ panes die ac noctè*. Vt ille calore ignis pinsitur; ita & hæc ardore summo spiritus perficitur. *Nam panis cinericius pœnitentia.* Hunc panem pęnitentiæ, si cinis humiliati spiritus aspserserit, mirum dictu quantam stragem in castris dæmonis faciat. qui cum sit elatus supra omne quod dicitur cœlum Aquilonare, non potest sustinere castra cinerea, basi pęnitentię indita & capiti inspersa. Hunc cinerem velut panem, & panem velut cinerem apparentẽ ruminabant Sancti.

Cuius cineris quã tavirtus? O quam forti machina detritus est ab illis Magnopusillis, qui hæc cinericia sparsa in capite suo illi opposuerant? Video Iobum triumphantem de maligno, tunc cum diceret, *Ago pœnitentiam in fauilla & cinere*. ita vt, *comparatus sim luto, & assimilatus sim fauillæ & cineri*. *Iob. 42. et 30.* Miror Abrahamum spolia de supremo cœli suspendentem detracta ex patre superbiæ, cũ Deum

interpellaret, *Loquar ad Dominum, cum sim puluis & cinis*. Suspicio Eliam panes subcinericios pœnitentiæ elitantem, & de Iezabele impia prostrata, adoream decerpentem.

Iezabel interpretatur *Fluens sanguine*; *Achab* vero *Pater fratris*. Illa significat carnem vario cruore peccatorum illitam; Achab aūt patrem fratris mendacis Diabolum, de quo Saluator Iudæis, *vos ex patrē Diabolo estis*. Habeo ex subcinericio pane qui Eliam corroborauit, & aduersus Iezabelem atq; Achabum interritum præstitit; quod nihil æque hominem contra carnem & contra Patrem mendacij Diabolum erigit, armat, & roborat, vt panis cinereus pœnitentiæ, Gedeoni visus, Dauidi familiaris, & Eliæ geminatus. Ideo monebat ipse Agonothetes noster Deus. Alios, *In domo pulueris, puluere vos conspergite*. Alios, *vlulate pastores & clamate, aspergite vos cinere optimates gregis*. Alios, *Filia populi mei accingere cilicio, conspergere cinere*. Alios, *Sede in cinere, filia populi mei*. Quia enim artifex omnis doli, præcipuā decipiendi pedicam superbiam abscondit in terra; vt homo non tantum ex animi ornamentis, quātum ex terreno isthoc vasculo corporeo, & ex pertinentibus ad corpus, forma, dignitate diuitijs, clientela, imaginibus, alijsque terrenis bonis ansam superbiendi arripiat; iuste panis subcinericius humilis pœnitentiæ, gladius Gedeonis potest appellari, quo spirituales Madianitæ, Principatus & Potestates sublimes conciduntur. ¶Plusquam nota est visio obiecta Ioanni Anachoretæ, in vitis SS. Patrum. Huic in Ecclesia oranti, apparuit Dæmon imminens ceruicibus, & insiliens in forma Aethiopis. Titillabatur & impellabatur, atque a titillo & impulsu prægrauabatur vel maxime ad scellus. Fide tandem fretus, cum per capillitium nigricans, tetrum hostem corripuisset, audiuit Diuinitus vocem factam; *Ioannes: si cogitas victorias; in puluere malignū absconditο, & cinere obruito*.

3. Iezabel & Achab, qui ab Elia pane cinericio pasto humiliati.

Mich. 1. Hier. 25. & 6.

Visio Ioan. Anachoretæ.

Hic mihi se exsinuat factū Moysi. Quendam Aegyptium viderat, quod percuteret fraternum Hebræum. Vnde ira excandescens, hostem aggreditur, aggressum sternit, prostratumq; *sabulo abscondit*. Significat: omnem quicunque cupit, caput venenatum hostis antiqui conculcare, non alijs armis posse magis idipsum perficere, quam pulvere cinereo, in quo cęsum sepeliat.

explic. lo. Exod. 4. 4. Aegyptius sabulo obrutus.

Quendam ex Sanctis Patribus legimus, conficiendo Dæmoni, qui armis si quibus, præcipue carnis nostrę vtitur, sabulo saccū replesse, humeris imposuisse, sicque vsq; ad extremam lassitudinem corporis detulisse. Esto; potens fuerit hoc sabulum, corpori domando, & Sathanæ conterendo. magis tamen potens existimo eidem rei sabulum pœnitentiæ cinereum capiti inspersum, quod hodie Ecclesia imponit dicens, *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris*. Hoc enim sabulo dum homo admonetur fragilitatis humanæ, quia est vanitas: *Nam homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt*: facile tumorē superbiæ deponit, sicque parentem fratris superbi, in suo, quod dicitur, capulo necat. Capulus enim superbiæ est ipsa vanitas humanitatis, ex qua se homo attollit ad astra. *Quid enim superbis terra & cinis?*

Factum cuiusdā Anachoretæ.

In hoc sabulo contriuerūt mali gnū Hebræi, quādo peccatis prægrauati, vt est in historia Iosuana *miserunt puluerem super capita sua*. In hoc sabulo conculcauit malignū sacerdos

Factum quorund.

Iosue 7.

sacerdos Eli, quando audiens captam arcam, iacuit *conspersus puluere caput*. In hoc sabulo depresserũt *sub typo Holofernis*, dæmonem Sacerdotes antiqui, quando cinere aspersi caput orauerunt ad Dominum. *Erat enim cinis super capita eorum*. Et ipsa quoque Iudith, non alijs magis præualuit armis aduersus eundem, quam sabulo cinereo, *Posuit enim cinerẽ super caput suum*. Multus essem, si sub figura *Amani, Nabuchi*, vel *Antiochi*, repræsentarem Sathanam, quẽ, *Mardochæus spargens cinerẽ capiti*, & *Filiæ Sion quæ consperserant cinere capita sua*; & populi Israel qui *induerant se cilicijs*, & *cinerem imposuerant super capita sua*, prostrauerunt, detriuerunt, & sepelierunt in sabulo contriti & humiliati cordis.

1. Reg. 4

Iudit 4. & 9.

Hester 4. Thren. 2

1. Mach 3.

5. Scyniphes pulvere necati. Exod. 7. homil. 4. in Exod.

Inter alias plagas quibus Deus percussit Aegyptum, erant *Scyniphes*. Animal est, *inquit Origenes*, quod pennis suspenditur per aëra volitans, sed ita subtile & minutũ, vt oculi visum, nisi acute cernentis, effugiat; corpus tamen cum insederit, acerrimo terebrat stimulo, ita vt quem volitãtem videre quis non valeat, sentiat stimulantem. Aere turbido, & pulueribus & turbine agitatis *aiunt* enecari. Satanam significat id insecti genus; qui tam minutis & subtilibus stimulis animas terebrat, & tãta calliditate circumuenit, vt qui ictus est, nec videat, nec intelligat, vnde sauciatur. Si quo interimitur, exanimatur hoc puluere, quem *turbatus a furore oculus*, seu animus excutit, seque illo conspergit.

Symbol. 6. Serpentes cinere necati.

Placitum est Philosophorum, ex pilis resectis, & in aquam proiectis, præsertim vero ex setis, serpentes generari, tam subtiles, vt sunt ipsę setæ, vel ipsi pili. Vnde aliqui existimant, serpentes quoque illos esse in vlceribus natos, quos vulgus pilos appellat; tanto cruciatu hominem ex carnificantes, vt plerunque præ doloris acerbitate moriantur. Medicamentum educens & interficiens istos serpentes, (si serpentes nuncupare lubet,) sunt cineres fraxinei, in cathaplasmate vlceri impositi. Nam illa arbor noxia est serpentibus. cuius tanta vis est, vt eius matutinas vespertinasq; vmbras, quando longissimæ sunt, serpens nulla audeat attingere, quin procul aufugiat. Experta se prodere *inquit Plinius*. Nam si fronde fraxini in gyro claudatur ignis, & serpens; in ignem potius quam in fraxinum fugiet. Itaque & cineres ex hac arbore factos, maxime reformidat, a quibus persentit certam suam perniciem. Similiter & serpens antiquus, si viderit ex arbore humilitatis cineres detritos, *cor* videlicet *contritum*, comminutum in puluerem *& humiliatum*; mirum est quantum se torqueat sub hoc cathaplasmate, vbi conspicit hominem, hos cineres apponi vlceribus, quę serpentibus mortiferis, ex cogitationum capillitio non desecto, sed introrsum verso, enatis scatent.

lib. 16. 13.

Viperæ, lũbrici & sanguisuga, cinere necatæ.

Viperam *ferunt* exustam, in cineremque dilapsam, mederi eiusdem bestiæ morsui: lumbricos quoque qui in intestinis infantium plerumque hęrent, *aiunt* ex ijsdem ambustis, cinere necari: Sic quem intranei vermes adrodunt, vel extranei veneno inficiunt, nõ certius remedium habere potest, quam ex cineribus humilitatis, qui ex illis, calore aliquo feruentis pœnitẽtiæ exustis.

Sanguisuga si pertinacius hęserit corpori, lambens siue exsugens sanguinem, aspersione cineris depellitur & enecatur: ita & ille qui dies noctesque sitit sanguinem animarum nostrarum, vbi animæ no-

stræ

ſtræ firmiter adhæſerit, nó alio tam facile, aut dimoueri aut extingui poteſt, vt cinere, quem ex noſtro capite, in ipſius verticem deijcimus.

Plin. lib. 10. c. 4.

7 Ceruι qui cinere excæcā tur.

Aquilæ cum ceruo & dracone perpes eſt diſſidium, Plinio auctore. Mirandam aliiis induſtriam, in illo necando aduertit. *Multum* inquit *puluerem volutatu collectum, inſidens cornibus excutit in oculos, pennis ora verberans, donec præcipitet in rupes.* Imitandum in animante irrationali, nobis rationalibus exemplū. Nemo eſt ex nobis, quem ceruis ipſis pernicior, & draconib. perniciosior Draco septiceps, non perſequatur; vt cornibus ſuis, quæ dena habet, ventilatum in omnem ventum poſtmodum non eleuare, atque elatum non deijcere & allidere curet. Quid facto opus? Cineres humilitatis, non poteſt vide re. Rex namque eſt, *Super filios ſuperbiæ*, qui *verſantur in croceis*, & abominantur lobi ſedile. Quocirca inſtar aquilæ, vtraque penna mentis noſtræ, inſpergenda eſt cinere & puluere humilitatis, quam ſi ſuccuſſerimus in oculos veteratoris, fieri nó poteſt, quin fugiat. Ceruo enim fugacior eſt, vbi cinereum ſtratagema videt.

expli. loc. Num. 19. Cinis vaccæ rufæ, quid.

Olim præceperat Deus Moyſi & Aaron, vt tollerent vaccam ſine macula, rufam, ętatis integrę, quæ nullum vnquam iugum portaſſet. *tradetiſque, ait, illam Eleazaro ſacerdoti, qui eductam extra caſtra, immolabit in conſpectu omnium. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ & effundet eos extra caſtra in loco puriſſimo, vt ſint multitudini filiorum Iſrael in cuſtodiam, & in aquam aſperſionis; quia pro peccato vacca cōbuſta eſt. Qui tetigerit cadauer hominis, ſiue occiſi, aut per ſe mortui, aſpergetur ex hac aqua die tertio, & ſeptimo, & ſic mundabitur. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Eccleſiæ.* Hinc ſecundam cauſam elicio, propter quam Eccleſia conſpergit cinerib. noſtra capita. Vitula ſine macula, & rufa, & integrę ętatis, inſuper exiuga, typus erat humanitatis Saluatoris noſtri, quę immaculata, flaueſcens ignea charitate, nunquam ſubiugalis fuit oneri illi grauiſſimo, quo nos prędgrauati, ali nimium, ſumus. Mactata hęc hoſtia, extra portam inimanis Hieroſolymę, pro peccato vniuerſi orbis, reliquit ad expiationem noſtram analecta ſiue cineres meritorum; in quibus ignes Spiritus ſancti ſublatentes, apti ad exurendas ſordes animorum.

Secunda cā cinerū placamē Dei.

1. a Chriſti merito qđ per cineres intelligim⁹.

Cęterum quia nos iuſſit demorari, in hac valle lacrimarum, ex qua *in corde aſcenſiones* diſponere debemus, ad locum quem nobis, prępoſuit, & deſignauit in cœlis, quemadmodum Pſaltes, *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrimarum, in loco quē poſuit.* Ideo ſi cui oberranti in eodē alueo cóplorationis contigerit, tetigiſſe aliquid mortiferum, & exinde impiari; non aliunde voluit nos expiari, quam ex his cineribus Chriſti meritorum quos aquis viuis lachrymarū in loco earundem cómiſcere debemus. Quamobrem Eccleſia ſalubri conſilio, noſtrę expiationis cauſa, per ſymbolum aſperſionis cinerum in noſtra capita (quę ſunt ſedes lacrimarum) monet vnumquemque, vt ſpirituales iſtos cineres, in vaſculum aquarum ſpiritualiū inſpergamus, maculis teterrimis eluendis, niti dandę animę, Deoq; iiſdem aquis; permixtis cineribus placando.

Et a lachrymarū fonte cui illud permiſcemus.

Nam earum magna vis in iuſtificatione.

Magnus eſt profectus lachrymarum hiscineribus conditarum. Vt plorando, *ait Chryſoſtomus,* ſeruus propitiatur Dominum, filius lachrimis mitigat patrem, & aſperā matrem

Serm. de pœnitent.

trem mulcet paruulus plorans; ita & peccator profusis fletibus, remouet iram Dei, reformatus in ipso. Ideo Dauidi, *fuerunt lachrymæ suæ panes die ac nocte*, quibus *per singulas noctes stratum suum rigabat*. Deus illas non despexit, sed tanquam vniones aliquos pretiosos aspexit, vt ipse pœnitẽs fatetur. *Deus vitam meam* inquit, *annunciaui tibi posuisti lachrymas meas in cõspectu tuo*. tanquam si diceret. Suscepisti Domine lachrymas meas: quoniam lachrymę sunt, quę radunt rudera, & sanãt vulnera. Lachrymę sunt, quæ pœnitentiam armant, & indulgentiam prouocãt. Lachrymę sunt, quę cœlum pulsantes, crimina delent, & conscientiam degrauant. Sonant in ore pœnitentię verba, & in pectore pietatis veniam mouent. Impletur caput aqua, tumescunt oculi, rigantur genę, decurrunt riuuli, & Deus indulgentię mentem exhilarat. Lachrimę sunt, quę recõciliãt Deo, a peccatis redimunt animam, & sanant languores eius. Sordentem animę vestem lachrymæ lauant, & dant illi iustificationis candorem.

Pactolus & Tagus non tam diuitant quã lacrimæ cinere cõditæ Christi meritorũ

Pactolus & Tagus inter flumina celebrantur, quod arenas auriferas vndis permixtas voluant diuitandis hominibus: Pactoleis & Taganis seu quibuslibet auriferacibus aquis, magis ęstimandus est torrens lacrimarum, si hoc plusquam aureo humanitatis Christi puluere diues. Auro debitũ potes exsoluere, lympha potes maculam emaculare. Fontes quosdam portentosos *memorat* alicubi *Solinus* fuisse, coarguendis furibus. nam quiquis Sacramento raptum negabat, lumina aquis perluebat. vbi periurium non erat, cernebat clarius; si perfidus abnuebat, detegebatur facinus cęcitate. Namque oculis captus admissum facinus fatebatur. Esto manarint nec ne tales fontes, quib. se Satanas immiscebat, & faceret eiusmodi portenta. Nobis si manat ex oculis riuus lacrimarum, hoc puluere aureo permixtus, non modo non prodit fures quin potius illos occulit. imò aio. quin potius illos docet esse furaces, qui pretium redemptionis sibi suffurentur, ab hac aurea pluuia, auro meritorum Christi inaurata.

Solin. c. 9.

Fõtes portentosi. & Rhodiorũ non tam eiectant sordes quã lacrimæ.

Rhodiorum fons est in Chersoneso (*refert Seneca*) qui post magnũ interuallum temporis, fœda quędam turbidus ex intimo fundit, donec liberatus eliquatusque est. Faciunt hoc & alijs in locis fontes, vt non tantum lutum, sed folia testasque & quicquid putre iacuit, expellant. Vbique autem facit mare, cui hęc natura est, vt omne immũdum stercorosumque littoribus impingat. Quædam vero partes maris, id certis temporibus faciunt, vt circa Messanam & Mylas fimo quiddam simile, turbulentum in litus mare profert, feruetque & ęstuat non sine odore fędo. Vnde illic stabulare Solis boues fabula est. Non est necesse maria accedere non fontes eiectantes scrutari, huic qui cõputruit vt iumentum in stercore suo, & cui stercus solemnitatum eius respersum est in eius vultum; educat tantum ab *oculis suis fontem lachrymarum*: cui aliquãtum puluisculi aurei meritorum Iesu mijciat; erit *Plumbum* aliquod graue, eijciet, erit *Scoria* aliqua peccati, deæruginabit; erunt aliquæ *Sordes eius in pedibus eius*; mare hoc amarum pœnitentię non patietur, quin eijciat omne id quod oculos Diuinę maiestatis offendit.

Lib. 3. natural. q. c. 26.

Cinerem istum aureum immiscuerat Dauid poculo suo quod ex fletu sibi parauerat; & super niuem inalbatus, Deum sibi conciliauerat.

Aqua alia nõ tã inalbant corpus quã lacrimæ animam.

Cinere

Cinere isto aureo tẽperauerat suas lachrymas Niniue, & plagam Diuinitus sibi prędictam pręuertens, in gratiam Dei redierat. Cinis iste Achabo veniam, Manasse redemptionem, Israeli, (ò quam frequenter) peccati ablutionem & Dei beneuolentiam promeruerat. Ab isto *Tres Allegorię lacrimarũ pęnitẽtię.* cinericio fonte, exilijt Magdalena *sicut columba quæ residet iuxta fluenta plenissima, lacte lota.* In ista puluerea piscina, cęcus lumen recepit. Huic mari amaro immersus Petrus, emersit quasi innocuus, manibus purus & mundus corde. Hoc Pactolo perfusus aliquis, tanquam a gurgite eiectus, exiliet in vitam ęternam, per hunc canalem aquę salientis ad eam.

Adam expulsus de Paradiso, per peccatum; filij reduces ad cœlum per pęnitentiam. Quod peccatum clausit; pęnitentia recludit: & de quo ira pręcipitauit, illo pietas reducit.

Dilecti. Si vos aliqua salutis cura *Monela.* habet; si hostem omnium potentissimum & atrocissimum prosternere libido est: si peccata eluere; si animam candidare; si Dei gratiam conciliare vobis placet; cinereos aggeres humilitatis huic hosti obijcite; cinereos fontes vobis aperite & facite. *Conuertimini in fletu & planctu; scindite* seu côterite *corda vestra*, atque aureis ramentis Christi meritorũ inaurate. Spondeo. Dęmonem conteretis edulio subcinericio. Animas castificabitis, lullio cinericio. Deum placaueritis fonte cinericio. cęlum vobis aperietis flumine isto aureo. Amen.

FERIA V. CINERVM.

Non inueni tantam fidem in Israel. Matthæi 8. cap.

CONCIO.

De qualitate Fidei in Oratione.



MAGNA fuit fidei humilitas in Dauide, quãdo percusserat Dominus paruulũ, quem ei pepererat vxor Vrię: *Surgens enim deprecatus est Dominum pro illo, & ieiunauit ieiunio, & ingressus seorsum, iacuit super terram.* Maior tamen *2. Reg. 12* in Centurione hodierno, quãdo ad Saluatorem accedẽs, orat pro puero paralytico. Ipse enim fidei censor Iesus testatur, quod *non inuenerit tantam fidem in Israel.* De hac fidei qualitate in oratione, mihi hodiernus sermo.

Proculus Platonicus docebat, *lib. de ora tio. & pre cibus.* *Omnes quicunque supremo Numini volunt esse supplices in oratione, tria debere habere; cognitionem, cognatio nem & vnionem cum Numine.* Ne- *Orantib. tria neces saria.* cesse est enim vt inuocans cognoscat inuocandum, si rite ipsum in- *Cognitio Numinis.* uocare velit. nam ideo dicit Deus, *Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* non attribuit protectionem inuocationi, sed cognitioni. *Cognatio & vnio cum Numine.* Secundo oportet vt habeat cognationem cum inuocato Deo. iuxta illud Apostoli. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto, in quo clamamus Abba Pater.* quiq; Spiritus Diuinus, nos facit *Diuinæ consortes naturæ.* Postremo requiritur, vt sit vnitus, cum Numine inuocato. Cum enim Christus sit caput Ecclesię; non põt dona optima & perfecta deriuare, nisi in membrum sibi adiunctum, vinclo vitali.

In

Expl. locus. *2. Reg. 4.* *Caecus in rapaces.*

In Prouerbio veteri dicebatur apud Hebræos; *Cæcus & claudus non intrabunt in templū*. Ad quid enim? Ad orandū? Frustra. Quomodo enim cæcus exorabit, illum quem Oculo spirituali non cognoscit? *Quomodo*, ait Paulus, *inuocabunt, in quem non crediderunt?* Quomodo vero pede amoris claudus assequetur, Spiritum Deum volacem? Qua ratione humi reptans loripes, vel claudicās vtroq; pede post Baalim, ad Patrem in cælis audebit oculos leuare? Vidēs sit oportet qui orat; è cęno ad cęlū euolet necesse est, qui plorat; Dei pedibus prouolutus cōiungat, r qui flagitat, si quidpiam

1. Reg. 2. vult impetrare. Eli Sacerdos cæ-
3. Reg. 18. cutiens, iam indignus Dei sacerdotio: Israelitæ claudicantes vtroque pede, indigni Dei exauditione; Baalitæ qui a Deo abiuncti, digni potius castigatione.

Expl. loc. Leuit. 21. In Leuitico Mosaico reprobus sacrificās, *Homo de semine*, ita Deus inquit ad Moysen per Aaron, *per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo, nec accedet ad ministerium eius: si fuerit cæcus si claudus, si paruo vel grandi vel torto naso: si fracto pede, si manu; si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus, intra velum non ingredietur, nec accedet ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet Sanctuarium meum.*

1. cæcus. Non placet Deo *cæcus vtroque lumine*, cui eruta fides, ne agnoscat
2. claud°. Deum. Non placet Deo *claudus vtroq; pede*, cui deficit amor, ne cognatione attingat Deum, neue illo charitatis infulæ coccineo funiculo vniatur Deo. Non placet Deo, *par-*
3. Naso. *uo, grādi vel torto naso*, ille videlicet qui subolfaciente discretione spirituum, aliquid humile, vel a recto distortum, vel a magnitudine sola sola elatum cogitat de Deo. Non placet Deo ille, qui *fracto pede* affe- *4. fractus pede.*
ctus iam in Deum currentis, resilit a iunctura & cognatione Diuina. Non placet Deo ille qui *confracta fidei manu*, se retrahit a ductu, for- *5. & manu.*
matione, & vnione Diuina. Nō placet Deo qui *gibbo* peccati depressus, *6. gibbus.*
oculos non potest eleuare a terra ad cęlum, neq; pectus adpectorare ad Deum vocantem, incorporantem, & animum animę iungentem. Non placet Deo *lippiens vel albu-* *7. lippus.*
ginem habens in oculo, qui scilicet *oculos habet, & non videt*, albu- *8. albuginosus.*
gine carnalis concupiscentiæ, aut phlegmate gulæ, obnubilatam habens mentis pupillam, ne Deum aspiciat, ne ex aspectu in amorem consurgat, ex amore vero ne se illi insinuet atq; deuinciat. Non placet Deo, *habens scabiem*, voluntatem *9. scabiosus.*
nimirum prurientem ad scelus. Indignus talis, qui videat Deum immaculatum, qui cōsortium ineat cum Deo immaculato, & qui vniatur Deo incontaminato. Non placet Deo, *impetigine auaritiæ* labo- *10. impetiginosus.*
rans. Indignus talis, qui agnoscat Deum sua largientem, qui affinis sit Deo liberali, & qui iungatur Deo benefico. Non placet Deo *hernio-* *11. herniosus.*
sus, inflatus tumore superbiæ. *Superbis Deus resistit. Alta a longe Deus cognoscit. Accedet homo ad cor elatum. & exaltabitur Deus*, ne oculo mentis videatur, ne animæ illabatur, ne spiritui vniatur. *Cæcus* itaq. *claudus, Naso, fractus pede aut manu, gibberus, lippus, albuginosus, scabbiosus, impetiginosus, herniosus*, tria illa necessaria inuocantibus, Cognitionem, Cognationem & Vnionem Dei, quia non habent, recte a Templo, ab Altari, & a Sanctuario arcentur, ne illò accedant ad Orandum.

Placet Deo Sponsa oculata, quæ *Expl. loc. Cant. 4.*

Capaces. 1. oculati potis illum *vulnerare in vno oculo-*
rum suorum & vincire in vno crine
Psal. 41. *colli sui*. Placet Deo anima expedi-
2. celerita pedes. ta, quæ *pedes perfectos habet tãquam*
ceruorum. & quæ dicit, *Quemadmo-*
Cant. 7. *dum desiderat ceruus ad fontes aqua-*
rum, ita anima mea desiderat ad tè
3. aduncati. *Deus*. Placet Deo Sponsa, cuius
Nasus sicut turris Libani, quæ respi-
cit contra Damascum. quæ scilicet
omnia excelsa, candida, pulchra,
magnifica, siue ex vestigio Diuino
in creaturis impresso, siue ex verbo
mystico in libris exarato, de Deo
Epist. 95. cogitat. Primus cultus Deorum
est, *inquit Seneca* Deos credere.
Deinde reddere illis maiestatem
suam, reddere bonitatem, sine qua
nulla maiestas est. Scire illos esse
qui præsident mundo, qui vniuersa
vt sua temperant, qui humani ge-
neris tutelam gerunt, curiosi singu-
lorum. qui neç dant malum, neç
habent, ceterum castigant quosdam
& coërcent, & irrogant pænas, &
aliquando puniunt specie mali.
Placet Deo anima illa, quæ sibi di-
4. 5. pede & manu integri. cit, *Viam mandatorum tuorum cu-*
curri, cum dilatasti cor meum. Te-
nuisti manum dexteram meam, & in
6. erecti. *voluntate tua deduxisti me*. Placet
Deo ille qui exoneratus gibbo pec-
catorum, cantat securus coram la-
7. venusto aspectu. trone infernali viator. Placet Deo
Rachel ouis sponsa quæ non lippit
vt *Lya*, sed venusto aspectu gestit
8. exalbuginati. placere illi soli. Placet Deo *Tho-*
bias, sed iam defæcata pupilla. eius
enim orationes iubet sibi offerri ab
9. 10. immaculati. aliquo Angelorum. Placet Deo
vnica aliqua anima pulchra, *sine ma-*
Cant. 7. *cula aut ruga, non habens aliquid hu-*
iusmodi, quod offendat oculos ma-
iestatis; tota lilium sine spinis, tota
11. non inflati. rosa sine spinis. Placet ad extremũ
illa, cuius *junctura femorum* castæ
humilitatis *sicut monilia quæ fabri-*
cata sunt manu artificis, & cuius con-
ceptaculum timoris Domini *sicut*
aceruus tritici, lilijs vallatus can-
doris, honestatis, & totius venusta-
tis. Virtutibus istis ornatus Ora-
tor, dignus qui Cognoscat Deum,
dignus qui Cognatione attingat
Deum, dignus qui Vniatur Deo.
Ad rem Christianam *idem Seneca*.
Vis, inquit, *Deos propitiare?*
BONVS ESTO. *Satis illos coluit,*
quisquis imitatus est.

Pythagoras monebat. *Ad sacra* 12. non sues.
tractanda, ne sus accedito. Homi-
nem notabat, qui suillo more, sta-
tuit oculos suos declinare in ter-
ram, dicens illud solemne. *Quæ su-*
pra nos, non ad nos. quique velut sus
in volutabro luti, in omni cæno fla-
gitiorum dies noctesque immersus
clamat, *Infixus sum in limo profun-*
di, & non est substantia. Quicunque
enim talis, Sacra cortina indignus,
apud quam incerantur genua Diui-
na. Ideo & Saluator, *porcis non esse*
obijciendas margaritas, scilicet Dei
cognitionem non esse euulgandam,
his qui moribus suillis. *Ne*, inquit,
conuersi, cum primo cõculcauerint
vniones pretiosos, *discerpant vos*.
Idem quoq; legionem Dæmonum
in porcos iussit abire: qui vt illos in-
uaseru nt, statim in mare præcipites
egerunt. hoc videlicet indicio, vt
quicunque porcorum instar suba-
rent, digni essent cognatione & v-
nione, non cum Deo, sed cum Dæ-
mone, cui se totos permiserunt: at-
que adeo etiam nõ Diuina inunda-
tione beneficiorum, sed alluuione
suppliciorũ, in inexhausta inferiori
abysso. *Sancta enim Sanctis, Pura*
Puris, debentur, vt olim in templis
intonabat Leuites.

Apud Hebræos, *Fidei* radix אמן 13. sed fide quę ab Amã Hebrao venit annexi.
Aman est. quod si regulis Hebrai-
cis flectatur, non tantum credulita-
tem, sed etiam fidelitatem, seu fide
lem adhærentiam & nexum signifi-
cat.

cat. Falsus itaque Lutherus, falsus Caluinus, falsiloqui & alij Sectarij, qui solam & vnicam credulitatem sufficere aiunt ad inuocationem. cum iam euidens sit, ex his quę dixi, Fidem supra cognitionem Dei, necessario secum ferre, cognationem & vnionem cum Deo. *Dedit enim potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. sed qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri sed ex Deo nati sunt.* Diserte Chrysostomus, Fides & Spiritus Sancti gratia, *inquit*, mortalium omnium diuersitatem comprahendens, in vnam redigit formam, & vno Regio charactere imprimit. & quemadmodum ignis si metallorum terram attigerit, eam quamprimum aurum reddit; sic & longe magis pro luteis aureos, eos baptisma facit quos abluerit: cum Spiritus sanctus tanquam ignis illa ipsa hora animos nostros ingrediatur, & terrena absumpta similitudine, cęlestem illam nouam & claram tanquam ex fornace fulgētem referat. Cæterum ad puritatem istam animæ seruandam, non satis est baptizari duntaxat & credere, sed si ea perpetuo frui volumus, dignam se vitam exhibere oportet. Addo. Filius Dei est omnis qui credit? Sed si a Deo, vel sanguine humano effuso, vel carne luxuria polluto, vel animo voluntate praua deprauato, sese abiunxerit, filius Dei non est. Filius Dei est omnis qui credit? sed si illi castimonia corporis, puritate mentis, & humilitate Spiritus sese adiunxerit, atque affinem reddiderit. Qui in sanguinibus, non accedat. qui in carnali desiderio; non attingat. qui in cupidinę suæ vel suillæ voluntatis, nihil oret. Nihil enim impetrabit, quamdiu talis. Accesserunt illi sanguinarij: & audierunt, *Manus vestræ plenæ sanguine*. Attigerunt illi voluptuarij, & audierunt, *Lauamini prius, mundi estote*. Orauerunt illi refractarij, & audierunt, *Non aspiciam. voluntas enim vestra inuenitur in ea*. Oportet, vt cognoscat Deum homo per fidem credentem: cognatione vero illi vniatur per multigenam virtutem.

Explic. Ioan. 1.

hom. 9. in Ioan.

14. *sed q̃ aræ insculptam legem obseruant.* Aræ Diuinæ insculptū erat Deuteronomium legis, ex præscripto Diuino. *Scripsit enim illam Iosue, in conspectu filiorum Israel*. Innuebat scriptura, vt accedētes ad orandum Deum, meminissent, præter protestationem fidei per oblationes oblatas, afferre debere animum immaculatum, varijs virtutibus ornatum, si cognati & vniti esse Deo vellent: qui *voluntatem timentium se facere solet, & deprecationem eorum exaudit*. Pulchre Origenes. Nouum testamentum Domini nostri Iesu Christi, oportet habere super carnem nostram. Non enim sufficit solo nomine & verbo hæc dici, sed rebus oportet impleri. Ioannes quippe Apostolus dicit, *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum in carne venisse, a Deo est*. Quid ergo? Si peccans quis, & non recte agens, confiteatur Iesum in carne venisse, in spiritu Dei videbitur confiteri? Non est hoc testamentum Dei habere in carne, sed in voce. Dicitur ergo ad eum statim. *Erras homo. regnum Dei non est in sermone, sed in virtute*. Quomodo ergo erit testamētum Christi super carne mea? requiro. *Si mortificauero membra mea, quæ sunt super terram*; testamentum Christi habeo super carnem meam. Si semper *mortem Christi in corpore meo circumferam*; testamētum Christi est in corpore meo: quia, *si compatimur, & conregnabimus*. *Si complantatus fuero simili-*

Expl. loc. Iosue 8.

hom. 3. in Genes.

tudini mortis eius; testamentũ eius ostendo esse super carnem meam. Quid enim prodest si in illa tãtum carne, quam de Maria suscepit, dicam venisse Christum, & non ostendam etiam in hac carne mea, quod venerit? Ostẽdo autem ita demum, si quemadmodum prius *exhibui membra mea seruire iniquitati ad iniquitatem*, nunc ea conuertam, & exhibeam *seruire iustitiæ ad sanctificationem*. Testamentum Dei ostendo esse in carne mea, si potuero dicere secundum Paulum, quia *Christo concrucifixus sum. viuo autem ego iam non ego, viuit vero Christus in me*. & si potuero dicere, vt ipse dicebat: *ego autem stigmata Domini mei Iesu Christi in corpore meo porto*.

Vere aũt ille ostẽdebat testamentum Dei esse super carnem suam, qui dicebat: *Quis nos separabit a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu? Tribulatio? an angustia? an periculum? an gladius?* Si aũt voce tantummodo confiteamur Dominum Iesum, & non ostẽdamus testamentum eius esse super carnẽ nostram, videbimur etiam nos simile aliquid facere Iudæis, qui solo circumcisionis signo Deum se confiteri putant, *factis aũt negant*. Testamentum Christi quia non gestabant in ara cordis & corporis sui Fatuæ inuocantes: ideo inuocantibus & pulsantibus, *Domine, Domine aperi nobis*, dictum est, *nescio vos*. Testamentum Christi, quia non habebũt illi in altari cordis & corporis sui, qui prætendent miracula: audient quoque; *nescio vos, Discedite a me*. Testamentum Iesu quia non ostendebat Antiochus in corde & corpore suo exaratum, ideo, licet cum lachrymis orasset, non est exauditus. Testamentum enim in Ara Diuina inscriptum erat ideo, vt esset monitorium, ne quis non sanctimonia ex lege præscripta inaratus, auderet accedere, & Deũ p̃cibus proritare.

Scitus est apologus certaminis arborum & plantarum. Ficus cum vite, iactabant fructuum fertilitatem; rosa & lilium e contra florum venustatem. Re ad Iouem delata, calculos tulit pro arboribus frugiferis; licet non illaudasset floritionem plantarum. Docet: Supremum rerum arbitrum laturum esse sententiam magis pro his qui dicunt *ego quasi oliua fructifera in domo Dei*. & de quibus dicitur. *Iustus vt palma florebit, sicut cedrus libani multiplicabitur*, quã pro his qui sola venustate florum & foliorum visitur. — *15. fid. ex apologo arborũ, frugiferi.*

Concludo cum Proculo Platonico, Tria esse inuocantibus Deum necessaria. *Cognitionem* Dei, *Cognationem & vnionem* cum Deo.

Tria hæc fidei supplicantis munera, si quis alius habuit, habuit Cẽturio. de cuius fide non poterat maius elogium prouulgari, quam a Saluatore dictum est. *Non inueni tantam fidem in Israel*. Placet eius fidẽ expẽdere, ad amussim præostensam. — *Tria fidei pignora in Centurione.*

Prima pars fidei supplicantis est, *Cognitio Dei*. Hęc autem quam acuta? quam sublimis in Centurione? Nec in Israele tantam inuenit. Et erat *inquit Chrysostomus*, profectò arduũ, hominem qui in Iudęorum scholis, & scriptis ęducatus nõ fuit, tam magna de Christo cogitasse. Imaginatus enim mihi fuisse videtur, Cœlestem militiam, cuius Christum Ducem ac Dominum esse credidit. cui etiam mortem ipsam & morbos ipsos, cæteraque omnia sic subiecta esse non dubitauit, vt nonnullis milites sibi, imo etiam multo magis. propterea dicere non ambigebat. *Ego enim sum homo, tu, videlicet, Deus. ego sub potestate; tu scilicet sub potestate non es*. Si ergo ipse qui homo & sub potestate — *1. Cognitio.*

ſtate aliena, tot tantaque facile poſſũ efficere, quid eſt quod tacere ipſe non poſſis, qui & Deus es, & ſub aliena poteſtate non es? Si ego propter paruam excellentiam præfecturę, nemine repugnante expedio quæ iuſſero, quamuis magna diuerſaque ſint; alij *enim dico vade & vadit, & alij veni & venit*: quantomagis tu ad finē perducere poteris quæ iuſſeris, propter ſummam eminentiam Omnipotentiæ? Magnam Centurionis Theologiam & qualem in Iſraele Chriſtus non inuenit. Et Iſraelitarum quidem primores, dum in Beelzebubo illum facere miracula calumniabantur, indigni ſunt, qui cum Centurione conferantur. Martha quidem primogenia in Iſrael, dum reſuſcitationem fratris Lazari extorquebat, magnam de Chriſto fidem habuiſſe videtur dum ait, *Scio, quia quæcunque popoſceris a Deo, dabit tibi Deus.* non tamen tantam quantam Centurio, qui non vt illa orationi ſed virtuti, non lacrymis ſed dictioni, non ſuſpirio ſed imperio verbi, excellam tribuit Chriſto Potentiam. *Dic*, inquit *tantum verbo.* Non dicit: ora, ſupplica, deprecare, ſed ſolum *impera & ſanabitur puer meus.* Et regulus quidem precabatur, *Deſcendere* illum *in domum ſuam antequam moreretur Filius* febrilis. Et illa mulier fidelis, quærebat tangere fimbriam veſtimenti ipſius, vt fluorē ſanguineum reſtagnaret: & alij alteri demittebāt per tecta, vel interebant ante eius conſpectum infirmos, vt tangeret eos: Hic neque fimbriam, neque digitum neque ſputum & puluerem, neque natatoriam Siloe, neque manuum contactum flagitat, ſed vnicum imperium. *Dic tantum, & ſanabitur puer meus.* Magnam de Chriſto ſcientiam, magnam Fidem.

Altera pars Fidei ſupplicantis eſt, cum Deo Cognatio. Oportet vt ſit Filius Dei, qui audebit dicere, *Pater noſter qui es in cælis.* Filius Dei eſt omnis qui credit, & quod credit facit & iuxta quod credit, Deo ſe proximum facit. Bene Auguſtinus ethymologiam Fidei explicabat, dicens. *Fides appellata eſt ab eo quod fit, quod dicitur. Duæ ſyllabæ ſonant, altera a facto, altera a dicto. Interrogo ergo te vtrum credas? Dicis. Credo. Fac quod dicis, & fides eſt. Ego enim reſpondentis vocem audire poſſum, cor credentis videre non poſſum.* Credulitas Deo non iungit. nam & *Dęmones credunt*, & a credulitate *contremiſcunt*; tamen ad Dei cognationem non attigerunt. & homines improbi credunt, tamen *tollitur impius ne videat faciem Dei*; neue Deo iungatur. & illi *qui confitentur* ſe noſſe Deum, factis autem negant, iniuſti cenſentur apud Deum, ac proinde iubentur diſcedere in ignem æternum. *Amici mei eritis*, inquit Saluator, *ſi feceritis quæ præcipio vobis.* Filij Patris veſtri cæleſtis vocabimini, ſi vos vt ille, perfecti, miſericordes, amantes inimicorum, Sancti in ſumma, vt ille, Sanctus. Qui amat amicitiam ſeculi, inimicus Dei conſtituitur. Qui opera Diaboli facit, ex patre Diabolo ſe natum putet. Qui Sermonem Dei non audit, non facit, ex Deo non eſt, Dei non eſt, Sathanæ eſt ſeruus, vel genimina viperarum, vel filius Cetheæ, aut Amoris rei.

Cognatus Deo Centurio, per fidem videntem & flamantem. An flammas non vides, in cultu Dei promouendo dum Synagogam, ſynagogæ ſepeliendæ ædificauit? Profecto dum illud opus facit, quod Iſraelitæ Chriſto comendant, dumque Euerſorem Sinagogæ tam demiſſe demeretur, quod ipſe Chriſtus admiratur, nihil aliud facit, quam

1. Cognatio.

ſer. 137. de temp.

Fides q. d.

quam quod se Christi familiæ inserit,& addicit. Plinius Senior tunc viuens & videns refert,super omnia quę vnquã audita sunt prodigia Neronis principis imperio factum, quod in agro Marrucino,Vetij Marcelli e primis equestris ordinis Oliuetum vniuersum viam publicam trangressisset, aruis inde econtratio in locum olieuti profectis. Quid hoc? Significabat; oliuum fructificantis gentilitatis, ad meliorem aream religionis Christianæ transiturum; Christo incorporandum & vniendum. Visum id genus portenti in Centurione quem videtis quam fructifer?

Oliuum Romę trãslatum quid portend. 2. hist. ca. 83.

Expl. loc. Ezec. 17. 3. Vnio propter fidem fructificante

Pollicebatur olim Deus per Ezechielem. *Hæc dicit Dominus; Et sumam ego de medulla Cedri sublimis, & ponam de vertice ramorum eius tenerum distringam & plantabo super montem excelsum & eminentem. In monte sublimi Israel plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum & erit in Cedrum magnam, & habitabunt sub ea omnes volucres, & vniuersum volatile sub vmbra frõdium eius nidificabit. Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile, & siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum.* Cedrum sublimẽ intelligo Gentiles Romanos, imperio, opibus, felicitate terrena magnos. huius Cedri medullam Centurionem defregit a cultu Idolorum, & sibi ipsi concorporauit per Fidem virentem. *Filij regni eijciuntur in tenebras exteriores*, propter degenerantem indolem: filij autem alieni assumuntur ad luminis consortium,propter generosam mentem. *Rami naturales franguntur, propter incredulitatem*, oleastrei autem surculi depanguntur propter fidem germinantem. *Lignum sublime humiliat Deus* propter superbiam; *humile* autem *exaltat*, propter fidei humilitatem. Stipitem virentem exsiccat igni perpetuo, propter contumaciam inobedientem: *aridum* autem irrorat,vegetat,viuificat vita immortali, propter credulitatem obsequentem. Quam magna Ecclesiæ Cedrus, ab hoc surculo Romano? Quænam alte volantium alitum sub hac fidei militaris vmbra non quiescit? non nidificat? non spirituales pullos fœtat? Hic pia gallina, pius aliquis vir, discit habere *curam maxime domesticorum suorum*, Hic meditabunda columba, humilis aliquis homo, docetur se indignũ esse qui euolet ad magnum illum Solem. hic *passer solitarius in tecto*, propter pęnitudinem segregatus homo, *inuenit sibi domum, vbi reponat pullos suos*, Sanctas cogitationes, Sanctos sermones, Sacra opera satisfactionis.

Quæ in exemplis virtutis.

Ex Centurione disco, Domino ad me declinanti dicere, *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Ab eodem doceor, Magistratibus tanquã a Deo constitutis, obediens esse. Ille idem mihi insinuat, vt intellectum meum captiuum faciam in obsequium Christi. Et quis alias memorabit virtutes quibus se Dei filium ille constituit, seque Christo cognatum,& concorporalem fecit? ex quibus non tantum humiliores mentes, sed etiam Aquilæ cœlum peruolantes,aliquem fructum decerpere possunt? Beatum Centurionem, qui Dei cognatione dignus.

Sed & vnione cum Deo maxime dignus, cui se totum indidit fide per dilectionem Dei & proximi operante. Vtramque vidistis. non est quod discutiam. hoc tantum quod Ioannes de vnione cum Deo pronunciauit adnecto. *Qui manet in chari-*

charitate, manet in Deo, & Deus in eo. Centurio mansit in charitate; mansit itaque *in Deo & Deus in eo*. jtaque ille vnitus Deo. Moneo & vos, in quos possum etiam dicere, *Non inueni tantam fidem in christianismo*. Vbi enim par de Deo sensus? Vbi notæ filiales? Vbi — — sed abstineo. Antequam concludo, recito vnum ex miraculis, quod indicat, qualis fides exigitur in oratione.

Exemplũ de Anatholio, a quo Deipara faciẽ auertit.

Anatolius erat quidam apud Nicephorum, qui se multis sceleribus contaminauerat sola vocali confessione fidei contentus appellari Christianus. Delatus ad Imperatorem, Constantinopolimq; in vinculis adductus, in ergastulum coniectus fuit. Miser vt erat post tergum manus & pedes vinctus, pædore carceris simul & dolore percitus ad mentem rediens, vidit ibidem ex funiculo dependentem Virginis matris Misericordiæ jmaginem. Ad quam conuersus, & miserorum Aduocatam ratus, supplices ei ex immo pectore offerre preces pergit. Quid putatis? Audiuitne, sola fide tumentem? Minime, quinimo faciem ab impuro auertit, omnibus videntibus, jmaginem ab Anatolio auersam. Hæretis? Itane etiam Mater clementiæ? jta plane, quæ perspicit mentem sui Filij, qui non sola fide nixos, sed alijs virtutibus instructos, exaudit ad salutem. Hem quid hic vos, sola fide confidentes? Vereor ne & vos facie postuorta aspiciat Deus orantes. *Moneo cum D Augustino*.

Monela. ser. 134 de temp

Et nos ergo vadentes ad Deum per fidem, bene operemur. In bonis operibus gratuita sit dilectio Dei, benefica sit dilectio proximi. Deo quod præstemus non habemus. Sed quia proximo habemus quod prestemus, præstando indigenti promerebimur abundantem. Inde vnus quisque quod habet, præstet alteri. Quicquid plus habet, largiatur inopi. Alius habet pecuniam; pascat pauperem, vestiat nudum, ædificet Ecclesiam, operetur de pecunia, quicquid boni potest. Alius habet consilium; regat proximum, pellat tenebras dubitationis luce pectoris. Alius habet doctrinam; eroget de cellario Domini, ministret conseruis cibaria, confortet fideles, reuocet errantes, quærat perditos. Est quod sibi pauperes etiam erogẽt; alius pedes claudo accommodet, alius cæco suos oculos Duces præbeat; alius visitet infirmum, alius sepeliat mortuum quantum potest faciat. Si facitis hanc misericordiam cum proximo, vt fecit Centurio cum famulo: digni estis misericordia Dei, Cognatione Dei, & vnione cum Deo in secula Amen.

FERIA VI. CINERVM.

Præloquium Passionis Iesu Christi Domini Nostri.

CONCIO.

De immensa eius Dilectione in hostile genus humanum.



SANCVS Cęlestis Iesus, nihil sanxit, quod prior non fecit. Faciliorem methodum docendi vidit esse per exempla, quam per verba; Ideo præiuit actione virtutis; vt tanto dociliores redderet præceptione, discipulos virtutis. Sanxit hodie, *Diligite inimicos vestros. Benefacite ijs qui oderunt vos*. Prior ipse dilexit atrocissimos suos hostes. An nos vniuersi non tales, qui ceruice erecta, & manu polycarpa Diuini honoris,

Christus quod docuit, prius fecit.

noris, contra illum olim armati? Tamen hoc *Semen* tumidum,& elatum *apprehendit*,complexus est,jlluminauit,persanauit, beneficijs ornauit. Insuper vt sibi coheredes efficeret,videtis quam? ah ignominiosam & acerbissimam mortem in Cruce subiuit. vt homo hostem discat diligere, & *benefacere ijs* qui eum *odio habuerunt*,etiam si *gratis*. De hac Iesu in nostrum genus dilectione hodierna mea cōtemplatio.

explic. lo. 3. Esd. 3. Inter Satrapas Darianos querebatur: *Quid fortius esset, inter omnia fortissima*. Alius; aliud dicebat. Vnus pronunciauit; *forte est vinum*. Alius dixit: Fortior est rex. Tertius vero ait; *Fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas* Non inquiro in istorū responsa. hoc tamen enuntio; *Omnium fortissimum esse Amorem; vinum, Regem, Mulieres, veritatem*: quin,quid video? *Deum qui omnia vincit, Vincentem*. Forte scio vinū, quod mentem deuinat, dum *Regis & orphani facit vnam*. Fortis rex, *qui omnibus dominatur, & quodcunque dixerit illis, omnia faciunt*. Fortes mulieres, quæ etiam filios Dei dementare & demutare solent. Fortis postremo veritas, quam omnes suspirant & inuocant. Fortior tamen omnibus his Amor,qui & vinum, & Regem, & Mulieres,& veritatem, jmo & Deum habet in suo Regno.

Omnibus fortissimis fortissimus Amor.

Qui Deū triūphauit.

Nobile cōmentū recitabat tertius Princeps de fortitudine Mulierum. *Videbam*, inquit, *Apemen filiam Bezacis mirifici concubinam regis, sedentem iuxta regem ad dexteram & auferentem diadema de capite eius, & imponentem sibi, & palmis cædebat regem de sinistra eius. Et super hæc aperto ore intuebatur eam, & si arriserit ei ridet. Nam si indignata ei fuerit blanditur, donec reconcilietur in gratiam*. Magna hęc est fateor fortitudo muliebris super Regem itamē non nisi antea ab Amore triumphatum. Quod enim fuligine fornicis deformata puella ausa assidere, diadema detrahere, diris deuoto capiti imponere, manu depalmare, & Regem intra Regem deijcere, Amor Fortis permisit, quo illigatus Rex stultus, tanquam bos ad victimam ductus, indigne accipiebatur a petulca. Quid si ego vobis ex hoc commento, vires in Deum Amoris, explico? An non diceris: *Omnia vincit Amor*?

In typo Bezacis qui multa passus a concubina.

Squallentem turpitudine peccatorum, habeo naturam humanam, inferæ fornicis fuligine tinctam, nonnemini diuaricantem pectus. Scitis quo illam amore deperierit Rex Regum Iesus semper ingratam, semper inimicam. quę non semel dixit Deo: *vadam post amatores meos*. Quos? quam deformes? quam diuites? quam truces? non est necesse dicere. Tamen Amore illius correptus decreuerat, *& sponsabo te mihi*, ait, *in sempiternum*. Dixit, sponsauit, se mihi iunxit, dum me sibi adiunxit in virginea aluo. Quis te mi Iesu petizomate ficulneo texit? Quis pelliceo mortalitatis meę amiciuit? Quis meas hedinas, manibus & collo tuo niueo inuestiuit? Vnde hic peregrinus cultus? Vnde forma serui? Tu lenis & māsuetus, tu omnis peccati expers, tu fons jnocentię, vnde ergo tibi hæc hispida vestis? Quis imagine peccatoris colorauit? Quis peccatorib. concorporauit? *Amor*. poterat respondere. Quid violentius amore? Itane de Deo triumphat? Ita sane. Sed maiores triumphos audite.

Astitit a dextris ipsius Regina Synagoga ex qua carnē sumpsit, *in vestitu, Pontificio deaurato*. A dextris, *aio*, astitit. Nam venit pręcipue

sicut Christus a Synagoga. expli. loc. Psal. 44.

cipue, vt quæreret quæ perierant domus Israel; non tantum fere sollicitus, de illis quos canum loco habebat, & canum vocabulo indigetabat. Synagoga itaque astitit a dextris Iesu, ex qua ortus, in qua natus, apud quam Angelorum concentu, & stellarum radio illustratus. Astitit et a dextris illa. Nã hanc primitio sanguinis purpurauit, hãc duodenni sapientia recreauit, hanc trigenarius doctrina cęlesti erudiuit, hanc panibus satiauit, hanc varijs miraculis honestauit, hanc multigenis beneficijs dignatus est. Ingrata; non semel illa depalmauit *maxillam iudicis* Orbis; nec semel detraxit Regiam coronam ex Sacro vertice, cum inclamauit, *Regem non habemus, nisi Cæsarem*. Nec semel detraxit honorẽ eius Diuino fastigio, cũ dixit. *A Nazaret aliquid boni? Nonne hic filius fabri?* An non *potor vini & amicus publicanorum*? *An in Beelzebub demonia non eijcit?* Vnde huic virtutes? Vnde sapientia? Lapides an legistis, quibus onerare aliquoties illum conati? Quid memorem supercilium montis Nazareth, ex quo illum in pręceps deijcere adnisi? Quid centurias Herodianorum ad capiendum missas? Quid risus? cachinnos? furores? quid bacchicum bacchanal, quo ab illis toties acceptus? Quid reliquam insolentiam, qua ab impura *Apæmenen*, indigne tractatus. Omnia tamen hæc beneficia contulit ingratæ; omnesque contumelias tulit ab ingrata, lubens. Cur? Quis impulit benefica manu obruere hostem? Quis maleficas hostis manus sustinere. Amor. Super hæc autẽ omnia, quæ dedit hosti & quę recepit ab hoste, *aperto ore intuebatur eam*, & siquidem illum vel deridebat impudens, vel dedignabatur contumax, ipse *videns ciuitatem, fleuit super illam*, threnum amarum geminans. *O si cognouisses & tu*. neque quicquam grauius stamebat in propudiosam, quę olim digna terrę dehiscentis absorptu.

que regina.

Ingrata.

Cruda.

Trux.

Sed quid aspicio? Meum nouum *Samsonem*, in sinu meretricis detonsum? ligatum? exoculatum? raptatum? flagellis exaratum? spinis terebratum? in Crucis stipite, quà felle & aceto, quà cõtumelijs & blasphemijs, quà vino myrrhato, illo illo de quo Vates, *Fel draconum vinum eorum & venenum aspidum insanabile* inebriatum. Quis totondit? ligauit? viribus spoliauit? omnibusque iniurijs exposuit? Quis in Crucem egit? Quis mori coegit? Amor. Quorum? inimicorum. *nam cum adhuc inimici essemus Deo, gratificauit nos sibi in Filio suo.* Sed nõ tã illa propudiosa, quam nos omnes, in castris aduersis contra Iesum, quotquot in castris Adami. Nam si nemo nascitur sine sorde; nemo quoque amicus nascitur illius, qui est sine sorde. Si verò quilibet nostrum portionem Adami decerpit, qui cupit scire bonum & malum; quilibet nostrum hostis est capitalis illius, qui interdixit scire malum. Omitto; quod qui amicus terræ, inimicus est cęlo. qui amicus mundi, inimicus Dei. qui manceps Sathanę, hostis ex protesso Christi. Tales nos omnes ante Christi Aduentum. *repleti omni iniquitate, malitia fornicatione, auaritia, nequitia, pleni inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, Deo odibiles, contumeliosi, superbi, elati, inuentores malorum, insipientes, incompositi, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia, digni morte.* tamen nos tales quales vix terra sustinebat, tanto amore dilexit, vt iustus pro impijs non dubitauerit, mortem atrocissimam, tam libenter, quã fortiter subire. *Aspice* o homo *ad* hoc

multa intulit in digna Christo.

sed nos longe maiora.

Rom. 5.

Qui magis inimici Dei.

exemplar, *quod tibi in monte* Caluariæ *monstratum est*. Quæris forte illud quod Paulus; *vt quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus secūdum tempus pro impijs, mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur. nam ꝑ bono forsitā quis audeat mori?* Scis quid mori coegit Christū ꝑ nobis? Dilectio inimicorum quam exemplo fanciebat. ita siquidē respondet Paulus. *Comendat autem charitatem suam Deus in nobis quoniā cū adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Peccatores*, cum nos omnes nominat, Dei Christi inimicos nominat: pro quibus tamen Deus Christus, & pati & mori dignatus est. nec tantum mori, sed & mortis, & sanguinis pretium communicare. ita enim D. Paulus. *Multo igitur nos magis nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius, multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius*. Hem? quantus hic in hostes amor? Vitam, sanguinem, corpus, animam, opes, quinimo & Regna hostibus dare? Dicamus itaque omnibus fortissimis fortissimum esse Amorem, qui super Deum fortissimum vexilla virtutis explicauit, deque inuicto triumphauit.

Rom. 5.

Tamē & illam & nos dilexit.

Romanis Imperatoribus, propter subactas bello Prouincias & res feliciter gestas, cum triumphus decernebatur, illi purpurati victores cum solennissima pompa, circumfusis populorum turbis vrbem ingrediebantur: Reges autem bello domiti ante triumphantis currum vincti præcedebant. Ab Aureliano Cæsare, honor habitus est Zenobiæ, quā aureis catenis vinctam, carpēto in suo duxit triumpho. Cleopatra aūt Aegyptia ne sic produceretur, aspidibus se necandam permisit. tamen Augustus cum viuam ducere nequiret, ipsius imaginem quæ manu sibi mortem consciuerat exanguem detulit. Hæc forma triumphi Romanis. At Christi Regis quæ? Attende & audi.

Et se in triūphū duci permisit alia ratione quam Romani triūphabant.

Si quis vestrū dilecti in illo memorabili die Christo occurrens, audisset Dominum gloriæ, quando ille aiebat *funes peccatorum circumplexi sunt me. circundederūt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. circumdederunt me sicut apes & exarserunt sicut ignis in spinis. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Circundederunt me molossi multi, concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. & super dolorem vulnerum meorū addiderunt*. Si quis inquam vestrum vidisset letum vinculis ligatum, flagellis cęsum, manicis ferreis liuidatum, sputaminibus illitum, spinis cruentatum, crucemque laceris humeris per mediam Hierosolymam, innumerata hominum multitudine stipante baiulantem, & ad crucis patibulum hac pompa accurentem; & quæreret Quis ita Christum triumphauit? Quis vinxit? Quis vibicibus signauit? Quis vulneratum prostrauit? Quis Principatum humeris iniecit? Quis Cruci affixit? Quis pectus terebrauit? Diceret *Amor*. Cuius? *Inimicorum*. O violētiam amoris. Triumphatne de Deo Amor? Triumphat. Quorum? Inimicorum.

Mirum spectaculum Christus in vinclo amoris inimicorum.

Magnam vim Amoris in Veneris pullis Plautus describebat eleganti drammate, sed miserādo deuinctis. *Amorem hæc cuncta—sectari solent. Cura, ægritudo: nimiaque elegantia insomnia, ęrūna, error, terror, & fuga, ineptia,*

Nam omnia fere sustinuit quæ Amantes. In Mercat.

jneptiæ, stultitiæq; adeo & temeritas
jncogitantia, excors jmmodestia,
Petulātia, cupiditas & maleuolentia
jnhæret etiā auiditas, desidia. jniuria
jnopia, contumelia, & dispendium
Multiloquium, pauciloquium.

Hæc quidem patiuntur miseri & miserandi Amantes, dum sunt sub vexillo Amoris, icti cupidine rei in speciem formosæ vel dilectæ, vel diligentis. Sed quid si etiam fere omnia passus est Christus, in castris dilectionis jnimicorum? Sectari solet Amantes *cura*; At nemo magis anxius salutis humanæ quam Iesus: cui, hæc vna cura curanda proposita fuit, vt hominem Deo reconciliaret. Amantes subsequi solet *ægritudo*; Sed nulla maior alium quam Christum: qui *dolores nostros ipse tulit, & languores nostros ipse portauit*. Nimia *elegantia* propria amantibus; neque hanc Christus omisit ambire. namque *ipse tanquam sponsus procedens de thalamo* suo exiuit, *Speciosus forma præ filijs hominum*, tam decorus vt etiam *Angeli desiderēt in eū prospicere*. Quod si illa oculos præstringeret; demutabat vultum suum, adeo vt in eo non esset *aspectus neque decor*. Amantium j*nsomnia*, frustra insomnijs Iesu componantur; qui *erat pernoctans in oratione*, & qui noctes vitæ suæ integras perambulans inuitabat. *Aperi mihi soror mea Sponsa, quia caput meum plenū est rore, & cincinni mei guttis noctiū*. Amantiū *Aerumnas* porro indignum est cōferre ærumnis Iesu, quas propter amorem nostri tolerauit. Vidit Sol, nec tulit videre, quia *a vertice capitis nulla in eo erat Sanitas* vsque ad plantam pedis. *Errorem* quidem mentis amatorum nullum errauit; tamen visus est Pharisæis supercilliolis errorem magnum errare, dum publicanis accumbebat, *cum illis manducabat*, illos ad gratiam recipiebat. *Terrores* quos timuit, pro nostri amore, non est necesse commemorare. Noti sunt ex sudoribus & pauoribus qui eum in horto Gethsemani inuaserant, & conturbarant. *Fuga* etiam nota, quam vt se Orbi seruaret, in Aegyptum, in solitudinem, vltra mare, non semel fugiebat. *Ineptias, stultitias, temeritatem, petulantiam, maleuolentiam, iniurias jnopiam, contumelias* & ad extremum *dispendia* famæ & vitæ, cum tam immani cruciatu quantum ei crudeles, j*n cogitantes excordes, jmmodesti, petulantes, multiloquaces* & *pauci* sed blasphemi *loquaces* intulerunt, quasque ille obfirmato animo constanter sustinuit, nemo pro magnitudine eleuare, nemo deplorare potest. Adeo magnas manus habuit Amor in Christum, vt Orbis sit impar, triumphationi dilectionis explicandæ.

Vere, *Fortis vt mors dilectio; Dura sicut infernus æmulatio*. Morti nemo est qui obsistat; ausa est aculeos infigere ipsi Deo. Inferni flammas non est qui extinguat; nec omnes extinxit ipse Deus; jta & dilectioni Diuinę qua *inimicos* in finem dilexit, nemo erat qui se opponeret. jta & Aethnā Diuini amoris quo erga hostes ardebat, nullæ aquæ erant quæ restinguerent. Ignis vulgaris ab aqua facile extinguitur, at incendium dilectionis inimicorum, quo Christi viscera flammabant, instar Naphtæ; adeo inundantium calamitatum Oceano non obruebatur, vt etiam magis accenderetur. Cathenis manus, pedes, & latera constringes; Nihil est. Apud jmpium Pontificem manu ferrea depalmabis; Nihil est. In carcere flagellabis, lancinnabis, conspurcabis; Nihil est. Ad columnam alligabis, dorsum ferro inarabis, genas pugno

explic. in Cant. 7. de Christi dilectione.

liuidabis; Nihil est. Illudes, subsannabis, paludamento irrisorio exprobrabis, manui arundinem, capiti dumetum impones, sicq; hominem non hominem in scalas produces, dicens, *Euge, Masti. Ecce Homo*; Nihil est. Damnabis; Cruce onustabis, manus & pedes clauis terebrabis, in Cruce distendes, sannis, contumelijs, blasphemijs, tuo nefasto capite tremente improperabis; *Vah, quid destruis; seipsum non saluas? Videamus an Helias venit*, mihi raucum inclamabis; sicq; Cruce saturatum mortem dirã obeuntem, lætus & ouans aspicies? Parum est. Est adhuc modicum sanguinis & aquæ in pectore. Fode mucrone lanceæ, tu impie miles. *Dic ad petram* ardore Amoris exustam; *& illa dabit* tibi *aquam*. dabit etiam & sanguinem; dabit & mella, dabit & aurum. *aquam* vt laueris, *sanguinem* vt redimaris, *mella* Ionathæ vt illustreris, *aurum* vt diuiteris. Et hoc mihi parum. Dabo cęlum, dabo Regnum, dabo si modo cupis, memetipsum. Proh? quam Magnos triumphos dilectionis? Cuius? inimicorum ex conscripto.

Allusio ad petrã Mosaycã quæ typus dilectionis Christi.

Plinius senior, cum multa preclara de natura Diuinitatis dixisset, ad extremum protulit: *Deum nec mentiri, neque mori posse*. Quid si ò bone, aliquid mori cogat Deum? Cogit inimicorum Amor mori immortalem. Amor hostium, impassibilem vulnerauit, insuperabilem alligauit, incommutabilem traxit, æternũ fecit mortalem. O Magnam vim Amoris. quę tantum permisit Apęmene Hebraicæ in meum Regem Magnum.

Incredibilis & indicibilis.

Falsus mihi tu quisquis dixit *Amare & sapere vix Deo cõceditur*. In suprema Sophia, *ex vtero ante Luciferum* nata, supremũ amorem ego aspicio, &, *ò me felicem, si* suspicio: quo *sic, inimicos dilexit in finem*.

Magnus Menecæi Thebani erga patriam amor, dum Argiuis Thebas obsidentibus pro illius salute se ex muris præcipitem dedit, gladio iam perfossus;

Menecæi erga patriam.

Insignemq; animũ mucrone corrusco
Dedignantem artus pridem, mæstamq; teneri
Arripit atq; vno quæsitam vulnere rupit
Sanguine tunc spargit turres, & mænia lustrat
Seq; super medias acies nondum ense remisso
Iecit, & in sæuos cadere est conatus Achiuos

Statius lib. 16.

Prodigus vitæ fuit? laudo. pro patria dilecta; amante, non ingrata. Meus Iesus pro gente fornicaria, amata quidem sed non redamante, quinimò, malum pro bono, supplicia pro beneficijs, vitæ Auctori mortem pro vita rependente. *Retribuebant mihi*, inquit *mala pro bonis*.

Non illaudatus Dauidis amor erga hostes. Deiecerat illum Absalon regio throno, filius Patrem. deiectũ vero, hostiliter insectatus fuerat. Iusta defensio, arma sumere coëgerat afflictum Patrem, contra parricidam. Vides tamen amorem? *Seruate*, inquit, *mihi puerum Absalon*. Illum nefastum? illum sororis stupratorem? Fratris occisorem? tuum parricidam? Illum plane. Magnam dilectionem. Cum vero prælio victum, & tribus lanceis confossum, interfectumq; iam accepisset, media fuga tam dolenter fleuit pater, efflictimq; lamentatus est, vt fletus magnæ illi inuidię fuerit apud exercitum: maiori adhuc futurus nisi admonitu amicorum, lachrymis simulatum gaudium miscuisset. Idem cum de Hierusalem fugeret filij Absalonis factionem timens, &

Dauidis erga Absalonem

Bauurim

Bahurim vsq; venisset, inde egressus Semei Geræ filius de cognatione Saul, qui montis et epidinem ex latere incedens, ausus est maledictis & lapidibus Dauidem incessere, *Virum sanguinum ac virum Belial* compellans, aliaque multa in illum congerens, tam petulanter quam temere. Qui cum Rege erant, ad vlciscendam iniuriam concitabantur, sed ab ipso cui irrogabatur inhibiti sunt. Etenim, *Dimitte eum*, inquit, *vt maledicat. Dominus enim præcepit ei, vt malediceret mihi. Et quis est qui audeat dicere, Quare sic fecit? Ecce filius meus qui egressus est de vtero meo, quærit animam meã, quanto magis hic filius Gemini maledicet mihi? Dimittite eum vt maledicat, iuxta præceptum Domini. si forte aspiciat Deus, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna*. Quid hac patientia humilius? quid hac humilitate patientius?

Et erga Semei.

Quãta vero eiusdem Dauidis erga Saulem & patientia & charitas? Audite. Innocentissimum, & semper de se optime meritum capitali odio persecutus est Saul, ob hoc tantum, quia sibi militaris virtutis gloria eum præferri audiuit. Sed quanto ille aduersus Dauid extitit infensior, tanto ipse in eum propensior. Persecutorem suum non semel in suam potestatem nactus, semper illæsum dimisit. quin etiam pro illius salute pugnas pugnauit. fugiendo inuidiam declinare malens, quam vlciscendo. Denique ipsum qui viuus vitæ suæ insidiabatur, ab hostibus cæsum fleuit. Hanc tantam in eo patientiam, tantam animi erga hostes dilectionem magis ego miror, quam leones ab eo vel vrsos concisos, quã gigantes prostratos & quam Philistæos occisos. cum multo sit magnificentius, seipsum quam hostes vincere. Seipsum autem vincit, qui perturbatæ mentis libidinem rationi cedere cogit, & iniuria lacessitus nõ excandescit, & si potest, hosti benefacit. Sed quid hæc ad Christi amorem? Vmbræ ad Solem & ros matutinus ad immensam abyssum.

Et erga Saulem amor.

Dauid pro Semei, pro Saule, & pro Absalone, nõ sanguinem fudit, non mortem tulit, non aliquid graue subiuit. Lacrymam plorauit. Quid tũ? Nihil citius arescit illa. Christus autẽ pro illis, qui virum Belzebub dicebant, qui lapidibus non semel obruere volebant, qui flagris & spinis lancinarant, qui ferro perruperant manus & pedes, qui dirã lanceam in pectus eius contorserant, in capitales & sacerrimos sacrilegos parricidas, tam munificus quam nullus, vt animã suam poneret pro hostibus suis.


Vmbra ad Christi amorem.

Vidit hũc de Deo Amoris Triumphũ Sol & miratus est; ista dilectione nunquã fuisse visam aut auditam maiorem. Sed eccur tantam? Vt demõstraret, nihil esse fortius amore, & ille flamans. qui, si Proditor occurret? osculum dabit. Si Crucifixor excarnificabit? pro illo orabit. Si latro blasphemabit? Regna paradisi rependet. Si inimicus capitalis conficiet? dabit Cœlum, dabit Regnum, dabit seipsum.

Vtinã nos ab hac rubicunda Rosa eius charitatis immensæ vel tantillum erga nostros inimicos ardeamus. Magnos certe profectus virtutis faceremus: magnas deinde vtilitates referemus.

Xenophon dicebat *prudẽtis cordatique viri, etiam ab inimicis vtilitatem capere. Vulgatum est, neq; Solem, neque aquam, neque ignem magis vtilem esse hominibus quam amicos. Sed ingenij excelsi est, quemadmodum periti medici ex bestijs ac serpentibus noxijs vtilia quædam remedia colligunt; ita ex inimicorũ odio decerpere aliquid*

A nobis imitãdũ.



aliquid, quod vertat in suum bonum. Sed quod? Diogenes dicebat, *Ad salutem opus esse hominibus, aut fidis amicis, aut acribus inimicis. eo quod illi monent, hi redarguunt, & redarguendo meliores faciunt.* Hoc est bonum, quod inimicus facit homini cui infensus, dũ vitia insectatur, ad meliorem hortatur frugem: proinde non immerito est diligendus, propter istam vtilitatem.

Ergo inimicos qui nobis vtiles.

Diligendus quoque inimicus, propter exemplum Christi. Quam felices illi qui, imitati sunt? Aliquos produco.

Dilectionis inimicorũ exempla.

Sabinus Episcop.

Venustianus Tusciæ Præses, Sabinum Assisij Episcopum, cum duobus Diaconis Exuperantio & Marcello, ob Christianitatem comprehendi fecerat, & in carcerem trudi: hos ambos diuersis pænis excruciatos interfecit, illi vtramque abscidit manum. Mox ipse graui oculorum dolore vexatus, ab eodem remedium poposcit, cui iam tot intulerat mala. Atque ille veluti beneficijs obstrictus, & nulla affectus iniuria, libenter accessit, diligenter orauit, efficaciter sanauit, sanando insuper hominem ex infideli Christianum fecit. Maius bonũ pro malo reddere non potuit, quam vt inimicum suum diligendo, Deo amicum faceret, & eum pro Christo ad patientiam suppliciorum animaret, a quo ipse pertulerat supplicia.

Quid vero noster Cazimirus olim Dux Sandomirieñ? Fallebat otium, chartis lusorijs, cum Ioanne Conario. Fortuna fauentiam vertente ad Principem, hic multam pecuniam perdiderat. Iratus tam in Ducem, quam in illam, colaphum impegit suo Duci. Mox elapsus, sed tandem ex fuga receptus, non tantum vindictam quam meruerat, non retulit, quin & totam pecuniam quam Princeps lucratus fuerat, ab eodem læso reportauit.

Cazimirus Polonus.

S. Helizabetham Pannonum regis Filiam adiungo. hæc postquam amisso viro distractisque fortunis Deo in paupertate seruire cæpisset, forte per semitam pergens lutulentam, notæ cuidam fæminæ, & in quam non pauca quondam beneficia contulerat, facta est obuiam. Quæ contemptim admodum superbeque occurrens, ipsam quam antea coluerat, obseruaratque, tũc per iniuriam aduerso impulsam latere euertit in lutum, atque præterijt. Multo ergo deturpata cæno, Christi ancilla, nihil indignationis præ se tulit. sed imo subrisit, gaudens se ab hominibus despici, vt placeret Deo. Quid si simile fieret alicui vestrũ quod Elizabethę? quod Cazimiro? —sed taceo. Hortor cum Christo, *Diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos, vt sitis Filij Patris vestri qui in cælis est.*

S. Helizabeth.

Monela.

Diligite & diligentem vos Christum. Inimicos ille amauit? redamate amantem. sed amabitis, si partem crucis eius rubore roseo russatam (vos qui in Sãctissimi Rosarij hortulo) in vestro animo & corpore repræsentaueritis. Repræsentabitis; si hac sacra hora & hac sacra Quadragesima, mortificationem Crucis in vobis portaueritis. A vestro pro peccatis cruore profuso inalbandi, adornandi, & felicitandi in secula Amen.

SAB.

SABBATHO CINERVM.

Iesus solus in terra, vidit discipulos suos laborantes &c. Marc. 6. c.

· CONCIO.

Cur bonis accidant mala?



OYSES cum traduxisset populum per mare Erithræum, atque in littore constitisset, hanc Dei ad se audiuit vocem. *Extende manum suam super mare, vt reuertantur aquæ ad Aegyptios, super currus & equites eorum. Cunque extendisset, reuersum est mare primo diluculo ad priorem locum, fugientibusque Aegyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.* (Exod. 14) Non eam vocem audiuit Christus. namque nec inimici erant discipuli eius. Quamobrem cum a vento contrario laborassent in pelago, & valde periclitarentur, ipse ex litore dispiciens, processit ambulans super mare, & sicco pede illud calcans, fluctus sedauit, serenum induxit, & discipulos trepidantes a naufragio liberauit. Sed cur in illos tempestatem permisit? Cur bonis accidunt mala? In id inquiremus.

Draco Serpens antiquus, cum non posset assequi Magnam illam Mulierem Solarē, eo quod *datæ illi fuissent alæ duæ aquilæ magnæ vt fugeret in desertum*, in furorem versus, vomuit *ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi* & absorberi *a flumine*. (expli loc. Apo. 12.) (Draco cupidus pernicies humana.) Hæc in visione Ioanni Euangelistę ostensa. Significant: Satanam nihil magis quęrere, quam internecionem mentium piarum. Quamobrem si quem vel Iobum, vel alium conspicit, concipere a Dei facie spiritum timoris, & gignere partum salutarem, illum sibi præstinans poscit a Deo potestatem diuexandi: quam cum nactus fuerit, non tot Neptunus aut Aeolus in mari pericula nauigantibus facit, quot ille pie viuentibus in Christo tribulationes mouet. Excitat hostes, qui substantiam diripiant. Exsufflat flammas, qui palatia consumant: inficit aerem, qui pecora, armenta, animantia, insuper familiam cum filijs perdat: permiscet vel venenat corpus, vt vel tabo diffluat, vel igne vratur, vel vermibus scateat & redundet. Commouet vxorem filios, & filias, amicos, propinquos, notos, ignotos, commensales qui *simul dulces capiebant cibos*; imo & in ipso homine ipsi homini quidpiam inuenit, quo hominem ex seipso affligat: vt tandem demersum absorbeat in tribulationis vnda.

Sed cur tandem permittit Deus, his fluctibus tribulationum pios iactari? Cur bonis accidant mala? Omisso stultiuidorum Philosophorum Atheismo, vndecim causas elicio cum Mureto, ex Diuo Ioanne Chrysostomo. Prima est ne qui res magnas ac præclaras gerunt, propterea inflentur ac superbiant, sed summittant animos, memores imbecillitatis suę. (1. causa ne inflentur.)

Confirmatur hoc testimonio Dauidis & Pauli, quorum ille bono sibi fuisse ait, quod a Deo depressus, humiliatus, castigatusque sit. *Bonum mihi*, inquit *Domine quod humiliasti me, vt discam iustificationes tuas*: hic aūt, cum vsq ad tertium cęlum raptus esset, eaque vidisset, quę vix homini in hac mortali vita videre fas est, ne propterea sibi placeret, ne ue insolesceret additum sibi esse, *ait*, Angelum Satanę, a quo quasi colaphis cęderet. ¶ Notus est apologus Solis & Boreæ quis eorū potentior

tentior esset, homini despoliando. Cœpit imprimis Boreas à seno flatu hominem frigore percellere, & vi sua, vestimento illum spoliare. Homo gelascens, tanto magis vestimenta cōstringebat, quanto Aquilonaris ventus conabatur fortius eripere. Sol interim ex oriente in meridiem se attollens, radijs apricantem exurere adorsus est; & tantum adussit, vt miser calorem & splendorem ferre non posset, quin & oculis conniueret, & vestimenta exueret. Docet; magis splendorem, & felicitatem, Solis radijs exaratam hominē vestimēto spoliare iustitiæ quam aduersum aliquem nymbum prægelidæ sortis. Ideo Deus magis procelloso Borea quam aspirante Austro solet exercere suos.

Apolog. Boreæ & Solis.

Hæc igitur prima cā est. Ea pp viri Sancti, nō modo nō recusabāt tribulationes a Deo siue in corpore siue in bonis animi vel fortunæ permissas, vt etiam illas ad salutē optarent. In Vedasti Attrebatensis Episcopi vita legimus, cum corpus eius de loco vbi positum fuerat, transferretur, quendam cæcum cui Audomaro nomen fuit expetijsse, vt videret Sancti ossa, & illico visum recepisse. Deinde cū rursum orasset, vt si ea res animæ suæ saluti minus conduceret rediret infirmitas, iterato oculis captum fuisse. Prudens certe votum, singularemque; cæci patientiam, qui ne tunc quidem cernendi copiam postulasset, nisi tam pij desiderij causa incidisset. Ideoque Sancti corpore viso, ad cæcitatem suam reuerti maluit, quā ad ea, quæ ante cæcitatem forte se commisisse recolebat. Contempsit oculos, vt innocentius viueret, & innocentius victurum, obducti denuo oculi, fidem fecere. In vita etiam Thomę Cantuariensis Archiepiscopi, memoriæ proditum est, quēdam acquirendæ valetudinis gratia ad sepulchrum eius accessisse, & voti compotem factum dum rediret, secum quærere cæpisse, *Sanitas ne corporis; an imbecillitas, ad animæ salutem magis profutura esset?* & rursum Sancti aram repetijsse, orasseque, *vt quod sibi ad beatitudinem adipiscendam accommodatius esset, id eueniret*, ac statim eodem implicitum fuisse morbo. *Virtus enim*, vt Apostolus, inquit, *non in Sanitate, sed in infirmitate perficitur*: & anima quę in aduersa fortuna vix cadit, in secunda delabitur.

Cæci & cuiusdā infirmi exempl.

Altera causa est, ne cęteri mortales in errorem trahantur, & de præstantibus viris, non vt de hominibus, sed vt de Dijs quibusdam existiment. cuius erroris periculo liberantur, cum illa Magna capita, multa indigna perpeti vident, quę illos non Deos, sed homines esse declarant. Nam si qui multa bella gesserant, multas vrbes expugnauerant, multa millia hominum occiderant, antiquitus in Deorum numerum stulta vulgi opinione referebantur; quid putatis euenturum fuisse ijs, qui verbo, qui nutu, qui contactu, qui vmbra sua fugabant morbos; claudis incessum, surdis auditum, cęcis uisum oculorum restituebant, mortuos in vitam reuocabant; nisi vulgus hominū eos ipsos per quos tā multa admirabilia opera edebātur, esurire, algere, ęgrotare, cædi, mutilari, eiusdēq; generis alia innumerabilia quotidie subire ac perferre vidisset? Sic quoque quamuis vociferarentur nihil eorū sua virtute fieri, sed Christū esse qui per doctrinę suę præcones ea perficeret; vix tamen impedire potuerant, ne sibi Diuini honores haberentur. Ad Paulum quidem, & ad Barnabam, Lystrenses aliquando etiam tauros coronatos adduxerant,

2. Ne Dij æstimentur.

tans, quos eis tanquam Dijs immolate cupiebant, nisi ipsi id summa prohibuissent.

Anaxarchi de Alexandro dict. Præclarum est quod de Anaxarcho lego. Is ridebat Alexandrum Magnum, quod se faceret Deum. Cum autem aliquando in morbum incidisset Alexander, & ei medicus sorbitionem pararet, ridens Anaxarcus inquit: ***At nostro Deo, spes omnis in sorbillatione patellæ posita est.*** *Aelian. de Varia hist. li. 9.* Infirmitatem pronunciauit esse indicem, quod Alexander, & si propter res gestas Magnus audiret, nō tamen Deus esset. proinde Deus voluit probos tribulationibus dinexari, vt videntes intelligerent eos homines non Deos esse.

3 Vt Dei virtus noscatur. Tertia causa est, vt potestas Dei tanto magis elucescat qui per homines imbecilles, morbis obnoxios, egētes, carceribus & ergastulis clausos, vinculis & compedibus impeditos, catenis onustos, ea faciat, quorum magnitudinem cæteri obstupescant. Itaque Paulus ipse cum fessus malis quodam tēpore petijsset a Deo, vt a se tantas illas & tā multas acerbitates amoueret, respōsum hoc tulit. *Sufficit tibi gratia mea.* Virtus enim mea, in tua infirmitate perficitur. Quamobrem idem quoque gloriabatur; *Habemus*, inquit, *thesaurum in vasis fictilibus vt sublimitas virtutis Dei sit, & non ex nobis*. quasi dicat. Mirantur homines quod Petrus claudum in pedes, Tabitham in vitam reuocauit; prædicant, quod signa multa sequuntur eos qui crediderunt; Attribuant id potius virtuti Diuinę, cui placuit duo contraria inuicem connectere: fortitudinem & infirmitatem. illam ad faciendum mira miranda, hanc vero ad sustinendum intoleranda.

Vt patuit in S. Maioli. Quamobrem magnus Maiolus censetur Cluniacensis monasterij monachus, & propter sapientiæ ac sanctitatis meriti Abbas Maticensis, quod ipse cæcus, alios cæcos curaret, surdos insuper mutos & claudos sanaret. proculdubio sanaturus & seipsum, nisi multo plus emolumenti ac fructus percipere se sciret, ex eiusmodi imbecillitatis tolerātia. Itaque cæcus quidem vixit, sed miraculorum fama videntibus illustrior fuit. Magnus quoque exinde Marcellinus episcopus Anconitanus, cuius sanctitatem non impediuit podagræ morbus. quippe qui manibus gestatus alienis, Vrbis incendium ex aduerso se obijciens derepente cessare fecit, tam potens virtute. cum pedibus tam debilis esset. *S. Marcellini.* Hinc nos, quoties imbecillitate aliqua superati, vestigijs insistere minime valuerimus, meminisse debemus, ob hoc nobis terram calcandam negari, vt cælum mente conscendamus, nec dubitemus paruulę infirmitatis tolerantiam magnæ virtutis potentia compensandam. Magnus quoq; Beniamin eremita, qui aquæ intercutis morbo vehementer laborabat. *S. Beniamin. Niceph. lib. 11. c. 35.* At ne hoc illi ob delicta datum crederes, alios infirmos, oratione sola curauit Eos vero qui infirmitatem eius miserabantur, è diuerso rogare solebat, ne corporis sui sed animę curam haberent, veniamque sibi a Domino exorarent peccatorum, quæ dum sanus esset, se commisisse aiebat. Itaque quod peccator foret, plurimum angebatur. quod æger; nihil. Meruit huius tribulationis tolerantia, vt virtus Diuina per miraculorum opificium in illo illustraretur.

S. Pauli calamitas. Magnus insuper Paulus solitudinis quondam (quæ Panepluli Aegypti oppido adiacet) cultor, qui resolutis, *vt Cassianus tradit*, paralysi membris in lectulo decubans, cæteris qui ęgrotabant, sanitati erat:

Oleo enim, cui ipse benedictionem imposuisset, peruncti curabantur. Qua quidem in re ostendere nobis voluit Dominus, quantum ipse esset Omnipotens in agendo, quantum æger & fortis in patiendo, & pius in miserendo. Idem enim qui pro sua valetudine nihil solicitus videbatur, pro aliena anxius erat, & præsentaneum omnibus remedium conferebat, *vt sublimitas sit virtutis Diuinæ, non ex nobis.*

4. Ne censeantur pro temporarijs Deum colere.

Quarta est, quod si bonis viris omnia prospere succederent, si diuitijs abundarent, si colerentur ac suspicerentur a cęteris, si nunquam ęgrotarēt, nunquam dolerent, nullum incommodum sentirent: fortassis existimaret vulgus eos pietatem colere, non suapte sponte, sed illa quasi mercede allectos & inuitatos. Nunc cum eos non egestas, non ignominia, non cruciatus corporis, non tyrannorum sęuitia, non mortis metus a Dei cultu & a vera pietate possit abducere, manifesto constat honestatem ac virtutem, & Deum inprimis ipsum ab eis propter se, non propter vllam mercedem amari. *Non gratis te colit Iob,* dicebat Deo perpetuus ille humani generis hostis. *Tu enim eum cumulasti opibus, auxisti liberis, perpetua denique vitæ prosperitate prosecutus es.* At Deus: *Tu vero,* inquit, *domos eius inflamma, messes combure, pecora interfice, liberos eneca, totum ipsius corpus arbitratu tuo lacera ac lania: nullus restet nouis vlceribus locus; iaceat in sterquilinio, cui prius somnum capere licebat in purpura: ne sit quidem quo se abstergat, sed testa manantem ex vlceribus saniem abradat: vt liquido constet, eum mei gratuitum, non mercenarium esse cultorem.* Eadem tanquillitate animi homo Sanctissimus tulit aduersa, qua & prospera exceperat.

5. Vt existimetur pro sempiternis certare.

Quinta, vt homines tanto certius atq; exploratius habeant, nō omnia morte terminari, sed superesse aliā vitam, in qua & præmium tribuatur iustis, & ab improbis ac consceleratis pœna exigatur. Nam si ne homines quidem vsque eo iniusti reperiuntur, vt eos quos causa sua multa perpessos vident, sine præmio abire patiantur, quanto minus id de Deo aut cogitare aut suspicari possumus? Cū igitur multos plerumque videamus homines optimos & innocentissimos, quantum quidem homines natura fert, in hac vita nunquam interquiescere ac respirare a molestijs, sed perpetua quadam calamitatum serie vsque ad extremum spiritum premi: cogitemus necesse est, aut, quod natura ipsa abhorret ac refugit, Deum iniustum esse, aut post hanc vitam sua esse hominum generi pręmia, pro suis cuique actionibus, Diuinitus cōstituta. *Si enim spes nostra,* ait Paulus *ijsdem quibus hæc vita terminis ac finibus circumscripta teneretur, nihil nobis infelicius foret.*

Seruuli patiētia.

De Seruulo mendico a Diuo Gregorio relatum est, quod toto vitæ tempore paralysi laborarit, ita vt iacens in lectica, mouere se omnino non posset; semper tamen in doloris accessionibus Deo gratias agere, hymnos decantare, & concitatiore quodam quasi stimulis acto spiritu, aliquid de scripturis (quod non legendo sed audiendo didicerat) recitare, insuper & quod supererat eleemosynæ alijs erogare. Iniustus foret Deus, si non premio perenni hanc eius iustitiam muneraret. Remuneratus est. merito enim moriens Angelorum cantus audiuit; merito mortuus odore suauissimo fragrauit.

6. Vt exēplum pa-

Sexta, vt nos quoque, si quando tale aliquid nobis eueniat, patienter

feramus,

tieria pr. ferant. feramus, neq; despondeamus animum, aut statim propterea a Deo inuisos nos esse arbitremur: cum ijs quoq; qui Deo carissimi erant, aut eadem, aut grauiora contigisse videamus. *Si enim in viridi, quid in arido?* Si iustus vapulat, quid iniustus? Si aliquis Sanctorum sub tribulatione premitur, quidni reculet, pessimus peccatorum?

7. quę magis in magnis elucet. Septima, ne vllus tergiuersationi locus sit, si quis nos ad illorum præstantium virorum imitationem cohortetur, quasi eos non eiusdem cutus & nos sumus, sed Diuinioris cuiusdam naturæ fuisse caueremur. Itaq; dicet sibi homo: Paulus sustinuit conuicia, opprobria, contumelias, calumnias, flagra, catenas, carceres, judicia iniusta, deportationẽ, naufragium, ad extremum mortem ipsam: Gaudebat Laurentius in craticula, Vincentius in laminis ignitis, Tiburtius in catasta, Catherina inter rotas, Margarita inter dracos: Tolerabat Ioseph a Fratribus & ab hospita, Dauid a filio, Iobus ab vxore, ille alius ab alio quopiā hoste: & ego qui ex eadem massa non tolerabo? non in tentationibus gaudebō? non libenter Crucem feram?

8. Dū aduersa tolerant. Octaua, vt sciamus, quibus rebus fęlicitatem metiri ac dirigere, quosque ex omni hominum genere felices ac beatos, quos contra infelices ac miseros ducere debeamus. Non enim qui multa possidet, beatus est; sed multo ille beatior, qui non tantum diuitias non concupiscit, sed ijs quas habet, vltro se spoliat, vt suis copijs suppleat inopiam aliorū. Non qui innocens exulat miser est; sed tanto felicior, si id æquo animo ferens, det operam ne ab illa æterna ac cælesti patria exulare cogatur. Non qui firmo ac valenti corpore est, felix: sed ille qui in corpore quamlibet infirmo, perpetuam retinet animi firmitatem. Non cui multa dura & perpessu aspera eueniunt, miser: sed is potius, qui prosperis successibus, neq; altius mentis oculos attollens in caducis ac fallacibus huius vitæ bonis acquiescit.

Nona, vt magis illustretur eorum patientia ac fortitudo, qui se a calamitatibus vinci non sinunt. Neque enim a nobis cognoscerentur, nisi a Deo in huiusmodi certaminibus exercerentur. Aurum probat ignis; miseria fortes viros. *9. ac per hoc illustrantur.*

Decima, quoniam humanæ naturæ imbecillitas, ne optimos quidem viros omnis peccati expertes esse patitur. neq; quisquam fuit aut est, præter paucissimos, quibus id singulari Dei beneficio tributum est, quin aliquando offenderet atq; prolaberetur: vt hic potius quam alibi peccata expientur. vt si qua macula ex illis prolapsionibus suscepta est, temporarijs illis acerbitatibus, quasi nitro quodam, aut lomento eluatur ac deleatur. Nam cum justitiæ Diuinæ consentaneum sit, neminem in cælum peruenire, qui vlla ex parte pollutus coïnquinatusque sit: expedit ijs ipsis qui Deo chari sunt, ita in hac vita purgari, vt cum è corporis vinculis excesserint, nulla alia purgatione egentes, sine vlla mora in Cęlum euolare expediti ac liberi possint. Eo sensu orabat D. Augustinus. *Hic vre hic seca, vt in æternum parcas*; vt alibi parcas. *10. Vel purgātur.*

Vndecima, vt quo plura acerba patiūtur, quo plures difficultates superant, quo dimicant acrius, eo maioribus præmijs ornentur, eo plures coronas decipiant, eo maiorem in omni æternitate gloriam consequantur. Si enim qui legitime certauerit, coronabitur; longe magis coronabitur, qui tanto plus dimicaue- *11. Vel ad maius premium disponuntur.*

rit, quãto maiores persecutiones vel tribulationes perpessus fuerit. In Sebaste dum quadraginta martyres in lacu frigido immergerentur, circa tertiam horam noctis Sol circumfulsit omnes ita calidus, vt est in æstate, frigusque dissoluit & aquam calidam reddidit; cæterũ animas cum lumine in cælum recepit. Septem mulierum, quæ cum beato Blasio episcopo apud eandem vrbem martyrium passæ sunt, cum capite cæderentur, animas virginali forma a corporibus egredi viderunt, cælumque versus ferri candidas admodum, & coronis circa capita fulgentibus decoras. Mercurij martyris apud Cæsaream passi corpus capite truncum, splẽdore fulsit, odore fragrauit. quo miraculo plurimi ad Christianam fidem conuersi sunt, iam certi animum eius cælesti perfrui beatitudine, in cuius cadauere, contra aliorum cadauerum naturam & lux pro pallore erat, & odor pro fætore. Narrat Sophronius in Roso monte Ciliciæ; aspiciebamus, inquit, nos vicini habitatores per noctem in vertice montis lucem quasi ignem. nos ergo putabamus, quod ignem aliquis ibi accendisset. Cumque per dies plurimos istud aspiceremus, ascendimus die quadam, & nulla ignis indicia vidimus, neque ignem, neque aliud in syłua igne adustum. Rursus sequenti nocte vidimus eadem lumina. Tribus igitur continuis mensibus mons illustrabatur. quo tempore cognouimus anachoretam multa ibi perpessum diem obijsse. Idem inquit in monasterio Abbatis Constantini Ducis, quod S. Mariæ Dei genitricis dicebatur, ab Abbate Polychronio audiuisse, quẽdam fratrum diu in pænitentiæ laboribus afflictum, in Xenodochio Hiericuntino requieuisse. quem cum accepissent fratres vt ferrent ad monasterium Turrium, & sepelirent, ex quo ita cum corpore agere cœperunt, stella supra defuncti caput, qua si comes itineris non destitit, donec ipsum traderent sepulturæ. *Pretiosa enim est in conspectu Domini, mors* eorum, qui hic in arena desudarunt *in paucis vexati, in multis bene dispo nentur*: inque fluctibus huius maris saltas merces conseruantes, confitebuntur Domino, cantantes lætum pæana *Transiuimus, per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Quid illis tunc iucundius accidere potest, quam recordari tentationum, quibus ad modicum exerciti? Felices prædicabunt, elationes illius turbulentissimi pelagi, e quibus emergentes, consistent in terra viuentium, omni felicitate referta. Hac ratione dum adhuc viuentes aut irriderentur, aut opprimerentur se recreabant. Audio S. Franciscum Magnæ religionis parentem, ab auaro patre bonis omnibus exutum, cum inops nec nisi vnam tunicam indutus in medio gelu rigeret, a quodam irrisum; *Francisce vel vnam vnciam sudoris vende*, respondisse. *Totum se iam donasse Christo, nec vel stillam habere quam venderet*. & *Quanti?* ille. Franciscus retulit: *Magno atque inestimabili Cælorum regno.* Hac spe consolabatur semetipsum in vtraque tentatione. quod scilicet *momentaneũ & leue tribulationis præsentis, magnum gloriæ pondus*. repositum haberet in Cælis. Et nos si sapimus, ne deficiamus in passionibus.

Lego in Iosuana historia, Calephũ filium Iessone petijsse a Iosue, vt illi daret in hæreditatem non planitiem sed montem. *Caleph* interpretatur *cor*. Significat, quod ille qui est ab animo in cælum eleuato, quasi cor, animosus & generosus nihil humile vel deiectum delicijs squallens requirit; nihil quod demersis conualli-

Sunt exẽplum Sebasteni martyres.

Septẽ mulieres.

Mercurius martyr.

In Prato sp. c. 87. & 6. Anachoreta quidam.

S. Franciscus albonis genus.

Apophtegma S. Frãcisci.

expli. loc. Iosue 14.

uallibus iaceat expetit, sed montem excelsum in quo Ciuitates virtutum magnę & munitę, ad quas per confragosa & horrida, per auia dumeta, & relqua enitendum est. *Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* scilicet illi qui obfirmato animo vim sibi inferentes, omnia quæcunque Deus permiserit æquanimiter sustinent. Este & vos Animosi Calephi; per dentatos silices vasti huius pelagi, enitimini. Affliget grabbato morbus; Dicite; *infirmitas hæc, non est ad mortem*, sed ad animæ vitam. Retrouorta de statu felici deijciet; Erecti tolerate gloriosi in humili cespite deponere caput, & ex deuoluto saxo fortunæ, potentes scalæ innixum aspicere Deum.

Menela.

Eripiet hostis opes; famam; dilecta; Iobi animum sumentes, insultate illi: Quid mihi cum istis? Inuestis ego, non illustris ego, non diligens ego egressus sum ex vtero matris meæ: quidni nudus, inglorius, & despectus reuertar illuc? Ista si & dixeritis & tolerau eritis, in Calephi fortitionem montanã heroicæ tolerantiæ transibitis.

An molliores Hebræi? An feliciores Apostoli? Illi necesse habuerunt mare rupeum transeuntes, pauere; hac fluctus cõglomeratos, ne soluti obruerẽt; hac Aegyptios persequentes, ne palantes protererent, tamen fidentes Deo, omnia pone, ante, & retro aduersa, obnitente pectore sustinuerunt; & per medios gurgites appensos vadentes, tandem euaserunt, Domino cõcinentes. *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est. equum & ascensorem proiecit in mare.* Apostoli quid? An procellis non iactati? An de vita non periclitati? Et quoties? Et an non capita ipsa? Audio enim non tantum alios orantes, *Domine salua nos; perimus*: sed ipsum Apostolicę ordinis Primarchum cum cæpisset mergi clamantem, *Domine saluum me fac.* Tamen & illis, & Petro profuit ad salutem, iactari ad salutem. Proficiet & nobis, si constantiæ clypeo nos contra aduersa muniuerimus.

Matt. 8.

Matth. 14.

Scio, graue esse tolerare: præsertim si quid hostis molitus est, Si vero ex domestico inimicus; maxime intolerandum. At Abel a Caimo fratre; Isaac ab Ismaele fratre: Iacob ab Esau necdum viso fratre; Ioseph a fratribus; Moyses a sorore: Dauid a filio, Christus a discipulo tradente, nec ab vno, sed & a reliquis, alijs scandalũ passis, alijs fugientib. passus constanter sustinuit, documentumque vna cũ patientiæ symmistis dedit Magnę virtutis. Paleas, ligna, sordes marini fluctus iactãt eijciuntque, cautibus de vanitate, eorum ludentibus: assimiles illis tribulatio vel leuicula euomit: Constantiæ Mystis vanos insultus aduersitatum, infracto corde perrumpentibus; quinimo & ridentibus, & in medijs vel etiam ignibus hymnos Deo cõcinnẽtibus; Transiuimus per ignẽ & aquã, & eduxisti nos in refrigeriũ. Iebusæos de Ierusalem nulla ratione voluit Deus expellere, nimirũ voluit, vt Hebræi haberẽt ex eis occasionem virtutis. Sic nulla rõne vult a nobis omnimoda mala auertere, vt & nos quoque habeamus exercitium honestatis. Tolerando, exerceamur in hac arena toleratoria: scientes breues non diuturnas, pusillas ad magna præmia esse tentationes, quæ præparauit Iesus patientibus. Amen Amen.

DO

DOMINICA PRIMA

QVADRAGESIMAE.

Vade Sathana. Matth. 4. Cap.

CONCIO.

De Causis Tentationis Christi a Sathana.



Diua Diuarum Deipara, statim vt enixa est Magnum Paruulum, illico adfuit Draco antiquus, qui eum sibi in prædam sempiternam deposceret. Istud vidit Ioannes, qui etiam narrauit; *postquam vidit Draco quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum*, proculdubio & natum. Namque Deus *inimicitias posuit* olim, *inter Serpentem & mulierē* Sole amictam, & *inter semen huius & semen illius*. Cæterum nunquam, vt contra Semeliparam, sic neque contra vnigenam Dei prçualuit. Promissum quippe Dei stat firmū. *Et ipsa ipse conteret caput tuum*. Contriuit adhucdum infans fugiens in Aegyptum, dum ibidem cultum abrogauit, statuas vocales deturbauit, ipsumque Principem tenebrionem profligauit. Contriuit insuper iam vir secedens in desertum, in templum, & in montem, dum ibidem flagitia eiusdem, gulam, superbiam & Apostasiam acerbè castigauit. Sed quid est quod se tentari permisit? hoc vnicum requiremus.

expli. loc. Apoc. 12.

Psalmographus cum sub imagine, *Maris Magni & spaciosi* Magnum & spaciosum Mundum adūbrasset, inter alia quæ in mundano Oceano creauit Deus, recenset Draconem formatum: *Draco iste, quem formasti, ad illudendum ei*.

expli. loc. Ps. 103.

Draconē, *intelligit Augustinus* Serpētem antiquum inimicum Ecclesiæ, quem, *inquit*, non, vidistis oculis carnis, sed videtis oculis fidei. ipse est qui & leo dicitur, qui circuit quærens quem deuoret.

Draco serpens antiquus intelligitur

Sub hoc typo Draconis, non semel Ioannes vidit Sathanam. Sub hoc eodem morticino viui Draconis, ostendit eum ipsum Deus Iobo afflicto, cum Bæhemothum, dormientem in secreto calami, & in locis humentibus absorbentem fluuiū & Iordanem describit, & Leuiathanum *Serpentem tortuosum vectem*, nulla ratione naturali præhensibilem proponit.

Iob 40.

Draco est siquidē: sed qui & leo. Leo, *inquit Augustinus*, sæuit aperte, Draco occulte insidiatur. Vtramque vim & potestatem habet Diabolus. Quando martyres occidebantur, leo erat sæuiens. Quando hęretici insidiantur, Draco est, surrepens. Addo. sed & quando ipse insidias nectit, Draco est. Namque nectit. Non enim desinit, *inquit Leo Papa* hostis antiquus transfigurans se in Angelum lucis, deceptionum laqueos vbique prætendere, &c, vt quoquo modo credentium mentes corrumpat, instare. Nouit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit quem mœro-

In Ps. 90. propter insidias & malitiam. quæ ei insita.

re

re conturbet, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione seducat.

Prius enim complexionem, *inquit Gregorius*, vniuscuisque perspicit, & hinc tentationis laqueos apponit. Alius namque lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quo ergo Draco occultus facile capiat, vicinas complexionibus deceptiones parat: quia lætitiæ voluptas iuxta est, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facile labitur, tristibus poculum discordię porrigit. quia timidi supplicia formidant, pauentibus terrores intentat. Et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quodcunque voluerit, blandis fauoribus trahit.

Deinde tanta arte se Draco versutus palliat, vt culpas virtutes fingat; vt inde quisque quasi expectet prçmia, vnde dignus est çterna subire tormenta.

Plerumque enim in vlciscendis vitijs crudelitas agitur, & iustitia putatur: atque immoderata iusti Zeli ira meritum creditur. Similiter effusio, misericordia: tenacitas, parcitas; & pertinacia, constantia reputatur.

Deinde obijcit oculis, *ait Lactantius*, irritabiles formas, suppetitque fomenta, & vitijs pabulum subministrat: tum intimis visceribus stimulos omnes conturbat & commouet, & naturalem illum incitat atq; inflammat ardorem, donec irretitum hominem, implicatumque decipiat. In ijs vero omnibus quç obijcit, Zizania, *inquit Augustinus*, seminauit. In commessatione posuit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignauiam, in conuersatione inuidiam, in gubernatione auaritiam, in correctione iram, in dominatione superbiam. In corde posuit cogitationes malas, in ore posuit locutiones falsas, in membris operationes iniquas; in vigilando mouet ad praua opera, in dormiendo ad somnia turpia, lętos mouet ad dissolutionem, tristes autem ad desperationem.

Nescio an vnquam audistis Crocodyli astum ad homines comprehendendos, quà nouit eos in flumẽ descendere ad aquationẽ, vel ad conscensionẽ ad naues, viam ore, quod quidẽ ipsum multa cõpleuerit aqua de nocte madefacit; præcipitem effi cere studẽs quo faciliorẽ sibi capturæ prædam reddat. Ij sane quoniam lubricum gradum sustinere nequeant, præcipites aguntur, & Crocodyli impetu corripiuntur & deuorantur. An bellè designat astum, Sathanæ quẽ designaui? Quamobrẽ *Insidiorum si ludis bella latronum, Gẽmeus iste tibi miles, & hostis erit.* In summa enim totus est Draco, ex multiplicibus dolis & fraudibus compositus.

Ad instar Crocodyli. Aelian. lib. 10. c. 26.

Huic tam versuto veteratori, cur Dominus se tentari permisit? Cur non sola nictu, aut verbulo reiecit? Causa prima est. *Formauit Draconem ad illudendum ei*. Non neminem mortaliũ, iste hellucus animarum destinabat sibi prædam. id quod Iob insinuauit, cum dixit. *Ecce absorbebit fluuium*, id est homines prophanos; *& non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Iordanis*, id est omnis sanctus; licet etiam alios depurans & sanctificans; *in os eius*. Quamobrem cum Christus, quoque humanam naturam præferebat, quam perpessionib. & infirmitatibus corporeis demonstrabat: ideo is sua sponte accessit ad tentandum.

1. Causa tentationis, vt illuderet Sathanæ.

expli. loc. Iob. 40.

Cęterum quia Christus, sub tegmine mortalitatis nostrę & sub hac forma serui, celabat formam Dei,

Qui nihil magis Christũ quam homine pratabat.

regis

regis seculorũ immortalis & omnipotentis, quam tamen formam Dei necesse erat occultare propter œconomiam salutis nostræ operandam: ideo hunc Tentatorem, ad magis occultandum seipsum excitauit. ea tamen ratione *vt illuderet ei*. Diserte Chrysostomus. Sicut hamo escæ præda posita illudimus, & decipimus pisces, qui videntes escam hamum non considerant, & dum prædam volunt rapere, hamo capiuntur; sic & Diabolo contigit, dum tantum hominis corpus in filio Dei considerat, & Deum in corpore non agnoscit, quasi in præparatam sibi prædam, solita rapina festinat. Sed dum vult draco auidus prædam rapere, ipse Draco, vt piscis adductus in hamo, præda Domini captus est.

In epist. ad Heb.

Cursus Athalantæ Orphica interpretatio.

Lubet explicare quomodo ei illuserit Christus. Sed prius narrabo illud quod est apud Orphicos de Atalanta. Ea cũ esset castissima, hominum consortium fugiebat. proinde castitati conseruandæ, solitudine, montibus & syluis delectata, venationibus sese exercebat. Quispiam contendere cum illa ausus in stadio decurrendo, præmio proposito. namque virgo tanta fuit prædita celeritate, vt neq; fera cursu euadere, neque homines insidiantes, si se in fugam coniecisset, eam consequi possent. Is itaque præcurrendæ Athalantę, tale reperit commentum. Tria poma aurea in sinu abscondit, quæ pariter ad metam currenti identidem objiceret: vt tantisper dum illa est in colligendis, ad præfixum terminum Stadiodromam præueniret. Hoc simbolo Orphico, veteres, hominem ad virtutis iter expeditũ, insinuabant, cui tandem aliqui se obices opponerent, atque ab incitato studio impedirent.

Ad hunc modum Sathanas egit cum Christo. & quidem cum vidisset illum quia *exultauit vt gigas ad currendam viam*, quam sibi iam ex vtero virgineo decurrendam esse, metatus fuerat; ratus quod ei posset, vt prothoparentibus illudere, pomum voracitatis primo obiecit. *Si*, inquit, *filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*. Sed tandem draco formatum se *ad illudendum* sibi sensit, cum Christus neque miraculo Deum tentandum, neque se a matre virtutum ieiunio pellendum, neque solo visibili cibo viuendum esse mortalibus indicauit.

Iob. 40.

Quærebat Deus a Iobo; *Nunquid illudes Behemothe quasi aui? Nunquid reuelabis faciem indumenti Leuiathan?* quasi hoc impossibile foret Iobo, quod non fuit impossibile Christo, qui sciuit & potuit, illudere, & personam impositam detrahere.

Illusio eius primæ tentationis. expli. loc. Iob. 41.

Larua qua primo tegitur Leuiathan, egestas est. Nam ita pronunciauit Deus Iobo. *Faciem eius præcedit egestas.* scilicet huic quem tentat, egestatem quasi indigeat insinuat. Sic Euæ & Adamo, egestatem scientiæ boni & mali. Sic iisdem egestatem Diuinitatis. Sic & Christo indigentiam panum, necessariorum subleuandæ tam diutinæ fami. Nam, *vt quidam pij animaduertunt*, in habitu religiosi, squalidus, vultu lurido, apparens Christo, pietate simulata ita ad Christum. Noui qui sis. Audiui vocem de cęlo super te detonantem Altissimi, quando dixit tibi loto in Iordane: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Fama huius rei percrebuit per vniuersam Iudæam, quę me quoque ad te videndum impulit. Sed video te diutino ieiunio confectũ. Eccur quid te maceras in vanum? Surge tandem ab ista contem pla-

templatione. Nę tu mihi sanctior Moyse. Nę religiosior Elia: qui post quadragenariam abstinentiam, cibo refecti. Ille quotidiano, hic ab Angelo porrecto. *Dic: si filius es Dei, vt lapis iste in panem demutetur*. hac ratione & corpus infirmum recreabis, & maiorem de te apud omnes opinionem conciliabis. Sic illudere Christi inediæ volebat Draco. Falsus fuit. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*. Namque sciuit Christus reuelare faciem indumenti ipsius. Aegestas est, Satana, quæ præcedit faciem tuam. Suades opera supererogationis omittere. Non ieiunare, non orare, non corpus castigare, signa sunt Aduentus tui. Aqualiculum explere, carne Aegyptia saginari, edere, bibere, ludere, sunt prodromi tui. Apagesis cum tuo pane.

Panis tuus in vtero eorum qui comedũt, *vertitur in fel aspidum intrinsecus*. Panes tui, quos ex lapidibus producis, lapides sunt, quibus tu solens obruere voraces. Adamum de paradiso intemperãtia cibi eiecisti: diluuium propter eandem in vniuersos prouocasti: in alios ignem sulphureum ex eadem edacitate, extorsisti: alios post esum ad lusum & a lusu ad idolomaniam pellexisti, & edulium ad percipitium, gradum fecisti. Apagesis vorax: *Non in solo pane, viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

Diuus Bernardus obseruabat illa Psaltis verba, *Super aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*. & his quattuor hieroglyphicis notis, aiebat designari Satanam. Aspidem vocabat in arena latitantem, qui flatu suo venenato attrahit aues volantes: eo quod Sathan persuasione sua venenata etiam sublimes mentes attrahere conetur. De Basilisco, *inquit*, quid dicimus? Monstruosus cæteris solo visu hominem inficere & interficere perhibetur. Nisi fallor, *inquit idem*, vana gloria est. Monet Christus; *Videte ne iustitiam vestrã faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*. ac si dicat. Cauete oculos basilisci. Sed cui nocere dicitur basiliscus? Ei qui non viderit basiliscum. Alioquin si prior eum videas, iam non tibi nocet, vt aiunt, moritur ipse. Ita est, dilecti. Non videntes necat inanis gloria, cæcos & negligentes qui se ei ostentant, qui se exponunt; & non potius ipsi inspiciunt, non attendunt, non discutiunt illam, non vident denique quam sit friuola, quam sit caduca, quam vana, quam inutilis. Si quis eum intueatur hoc modo, moritur basiliscus, nec iam occidit eum gloria, sed occiditur magis, & occidit ei, quodãmodo versa in puluerem, imò redacta in nihilum. Iste basiliscus petijt Dominum cum dixit, *Si filius Dei es, mitte te deorsum*. vt quid enim hoc nisi vt videretur, vt laudaretur a basilisco? Et vide quomodo seipsum occultauerit basiliscus, quasi vt non posiit ante videri. *Scriptum est*, inquit; *Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te*. Quid scriptum est maligne? quid scriptum est? *Angelis suis mandauit de te*. Quid mandauit? Animaduertite & videte, quoniam subticuit malignus & fraudulentus, quod malignitatis suæ commenta dissolueret. Quid enim mandauit? Nempe quod in Psalmo sequitur; *vt custodiant te in omnibus vijs tuis*. Nunquid in præcipitijs? Qualis via hęc de pinnaculo templi, *mittere se deorsum?* Non est via hęc, sed ruina: & si via, tua est, nõ illius.

Reuelauit hanc faciem indumenti eius Christus, ideo sub hoc auro, æra tinnula inaurata, & sub hoc pomo

In Ps. 90. Ser. 11. Secundũ pomũ tentationis, quo Sathan delusus.

Qui est instar Basilisci.

expli. lo. Ps. 90.

mo, subuẽtaneos cineres deprehendens, respondit. *Apagesis*. *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Frustra in tentationem capitis intorsisti, quod scriptum est ad corporis consolationem. Huic enim necesse est custodiri, cui timendum, ne offendat ad lapidem pedem suũ. Non est necesse vt custodiatur, cui non est quod timeatur. Mihi non est quod timeatur; frustra itaque ego custodiar.

Tertium pomũ tentationis in quo delusus Sathan. Præliantes cum acceperint lætales plagas, multo sanguine perfluentes, tenebrasq; patientes, moribunda hac & illac circumferunt membra: ita *Draco* quem Christus *formauit ad illudendum ei*, prima & secunda plaga percussus in alia verba deuolnitur, & illud ex superbiæ proma iactat; *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me*. Miser? omnia dabis? Quæ? Cui? Tuas tineas? tuos vermes? Mihi, cui pater dedit possessionem terram? Vade impudens. Apagesis miser.

expli. loc. Prou. Dicebat sapiens tria esse, quæ Deus odit, *Pauperem superbum, Diuitem mendacem, Seuem fatuum*. An non iste veterator fatuus, qui summæ sapientiæ se illudere putauit? An non iste Diues mendax, qui putredines, tineas, vermes, corruptelas, nihili vanitates, pro solidis veris diuitijs & opibus ostentabat? An idem iste pauper & mendicus, omnibus gratiæ thesauris spoliatus, non superbus, qui cum ne hilũ quidem opum spiritualium & temporalium; & ne guttam quidem melioris & dulcioris liquoris habens, audet Cræsos, & Crassos temporales, & exuberantias Parnassi & Heliconis Diuinioris polliceri? Apagesis, *ad eum Christus*, Pauper superbe, Diues subleste, Veterator maligne & fatue.

Draconem quoq; istum *formauit ad illudendum ei*: non tantum ab ipso sed etiam a nobis. & hac etiam de causa voluit tentari, vt nobis ostenderet modum, quo ei illudamus. Athlethæ cũ discipulos vincere docent, data opera in palestra cum a'ijs certamen exercent, vt in luctantium corporibus faciant artem spectare vincẽdi. ideo etiam Christus agonothetes noster, in hoc theatrũ virtutis processit, vt nos instrueret quomodo deludere & prosternere possimus inimicum virtutis. Facile. Verbo ille vno aut altero fugauit; constantia fugauit: eandem suo exẽplo nobis monstrauit. Verbo potes leonem sternere; constantia draconem concul care. Lysimacho ad sternendum leonem opus erat pallio quo manum tegeret; qua linguam exertam apprehẽderet: Banaiæ opus erat baculo, quo alterũ percuteret; Danieli illa massa qua draconem exanimaret: nobis vno verbulo, vno signo, vno pedis statu. Illudes crede mihi. nec modo illudes, *Sed conculcabis leonem & draconem: super aspidem autem & basiliscum ambulare*, delicias putabis. Namque Deus promisit. *Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauernam reguli mittet manum*. Delectabitur? Itaque lusum habebit super aspidem & basiliscum ambulare? Itaque ei illudere? Quis vero? Infans ab vbere. Ita *draconem formauit ad illudendum ei* a puero, ab infante, à puella. Vultis dabo exempla? Dabo Iulianæ virginis. huic iam in pœnis pro Christi nomine affectæ, & tantum coronam martirij in carcere expectanti, Belial diabolus formam angeli fidelis gerens apparuisse fertur, atque dixisse: *Christum iubere, vt illa potius Dijs gentilium sacrificaret, quam in cruciatibus deficeret*. Obstupuit Iuliana tali nuntio, & dubitans quisnam esset, a Deo sibi certius

2. Causa tentationis in exemplũ nobis, quomodo ei illudamus.

Nã Verbo possumus.

Et facile. Isai. 7.

Iuliana illusit.

certius indicari postulauit. Mox Diuinitus inspirata, manu illum apprehendens, vinculis constrinxit, verberibus affecit, volente Domino, vt scelestus Belial ab eadem, cui dissuadere ausus fuerat suppliciorum pro Christo patientiã, supplicia ipse perferret.

Margarita illusit. Dabo etiam Margaritæ virginis. hanc post varia tormenta carceri mancipatam, Draco latè patens faucium hiatu ferociter inuadens deglutire properabat. Verum vbi illa signum crucis edidisset, draco crepuisse visus est, quaque crepuerat, virginem viuam sanamque euomuisse, sicut euomitus a pisce Ionas propheta legitur. Iterum eidem in specie humana apparens imponere tentauit.

At illa per capillos apprehensum humi allisit. & cum quæreret; *cur tam infensus infestusque Christi cultoribus esset?* accepit, Cacodæmonum proprium ac peculiare esse, inuidiæ odijque facibus accendi erga eos qui saluandi sunt: cum pati non possint, vt ad cælum vnde ipsi deiecti sunt, homines trahantur. Semper ergo eos aliquid tentare, moliri, struere necesse est, quo iustitię opera impediant, & innocentes ad peccandum prouocent. Sub hęc dimissus euanuit. jlla ad martyrij palmam gaudens peruenit, tam diaboli victrix quam tyrãni. Eius capiti postmodum, dum ipsa grauibus afficeretur supplicijs, nec interim cessaret confiteri Christum, cunctis qui aderant cernentibus columba de cælo aduolans, auream coronam imposuit. Ita illusit Draconi ita meruit coronari post victoriam, quam ludens & illudens Draconem assecuta. At nos quid? Sponte illum in ludum vocamus, nec mirum quod illudimur & deludimur imo & lancinamur. An non in nos ille apologus canis grauidę, quę facile a quodam admissa? Sed narrabo. Canem aliquando partu grauidã locum precario a pastore petijsse, in quo pareret. quo obtento, iterato petisse vt sibi educare in eodem loco catulos liceret. at postremo adultis catulis, fultam domestico prędidio, & proprietatem loci sibi vendicasse, & eius filiolos lancinasse. An nos non tales, qui leonem & draconem sanguinarium, vltro admittimus, imo deposcimus? Proh; an non digni morte?

Apologus canis grauida.

Roman. eques dãnatus q̃ ouũ serpentis gestasset. Lego equitem Romanum, tanquam veneficum fuisse morte damnatum, quod deprehensus esset secum gestare serpentis ouum. Miseros nos omnes, qui oua Aspidis infernalis sponte quærimus, nobisque etiam gaudentes mortem accersimus. cum & fęmilla aliqua potissit nedum oua Basiliana conterere, verum etiam ipsum Basiliscum conculcare. Quanti qui in eius iugulo crucẽ sepelierunt? qui pedes eius exungularunt? qui capite minuerunt? Miles Christi *ita Origenes docebat*, incolumis debet redire de pręlio, nec vsquam debet ex iaculis maligni ignitis vulnus accipere: non in corde pollui, non in cogitatione maculari, non per iram, non per cupiditatem, non per aliam quamlibet occasionem dæmoniacis vulneribus locum dare. namque *Israel reuersus est a prelio incolumis, & non mutiuit quisquam in lingua sua.* possunt enim pedes nostri esse tam validi, qui valeãt calcare ceruicem Serpentis, vt nostrum calcaneum mordere non possit. Et tu quisquis es, etiamsi puppus, potes illudere Serpenti; potes insuper conculcare *leonem & draconem* si tamen caput eius obseruaueris.

Alleg. mo lit. Iosuan. Hom. 13 super Iosue. c. 9.

Caput serpentis quid. expl. loc. Gen. 3. Caput serpentis est, prima peccati suggestio. Venit tibi in mentem, nescio quid illicitum; noli ibi tenere mentem tuam, noli consentire. Hoc

quod venit in mentem, caput serpentis est. Caput calca, contemne suggestionem, & *leonem & Draconem* cōculcasti. Sed lucrum suggessit. Magnum ibi fænus? magnum aurum; magna voluptas. Magna dignitas; Si hoc feceris? Si fraudem admiseris. ——, diues felix, honoratus eris. Caput Serpentis est hoc: calca. Sed magnum aurum suggessit. Et *quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentũ patiatur?* Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum. Hæc & alia dicens, Caput serpentis obseruasti, calcasti, Draconi illusisti, & ob Teipsum seruatum adoream in cælis tibi texuisti. Est apud Orphicos, Achillem nullibi membrorum præterquam in talo fuisse vulnerabilem, quod eam partem mater Thetis non abluisset stygijs vndis vt cæteras. Huc ergo jaculatus Paris, euersorem Throię peremit. Crediderim, quia primos motus & affectus voluntatis innuebant. qui, ah quam facile, plagarum mortalium capaces, si cothurno continentiæ & abstinentiæ nō illigati, vel aqua cęlestis sapiētiæ & gratiæ non præloti. Tu quisquis es, cuius calcaneum serpens obseruat, talum ne facile, ne temere nudato; sed astrictiore mortificationis calceamento præmunito, & aqua purioris fontis præirrigato. Dicito etiam cum Origene.

Achilles in vulnerabilis ni si in talo.

Atque vtinam Dominus meus Iesus mihi istud concedat & jubeat me pedibus meis conculcare (ita deberet orare quisque vestrum) spiritum fornicationis, & calcare super ceruices iracundiæ & furoris, calcare auaritiæ dæmonem, calcare jactantiam, conterere superbiæ Spiritum: & cum hæc fecero, operis gesti summā, non mihi sed cruci eius appendere. vtinam & mihi dicatur *viriliter agite & confortamini, non timeatis, nec vereamini a facie eorum, quia Dominus tradidit vobis omnes inimicos vestros in manus,* quos prosternere, & ex eis coronam decerpere possitis vernātē in secula. Amen.

FERIA II. POST PRIMAM Dominicam Quadragesimæ.

Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli &c. Math. 25.

CONCIO.

De extremo judicio.



Deus legē populo electo Israelis laturus, non sine Maiestate apparuit. Cum enim ex præscripto dies tertius aduenerat & mane inclaruerat, quo se visendum ostendere volebat, vt refert historia, *cæperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat, ita vt timeret omnis populus qui erat incastris.* Iudicaturus quoque præuaricatores legis, idem legislator, non sine maiestate adueniet. Ipse nubem insidens horribilem apparebit, ex ore vibrans bifidum mucronem. Aderunt supernæ potestates Angelicæ, armaturam zeli indutæ. Audietur & vox tremebunda litui exci tantis, *surgite mortui ad judicium.* Sed ad quale? quam rigidum? Enarrabo.

Exod. 19.

Conciliandę ex maiestate authoritati, Thronum decretorium erexerat sibi Magnus Alexander, quo nec magnificentiorem, nec ditiorem, neque illustriorem illo tempore Sol aspexit. Puro ex auro solido factus erat duodecim cubitorum, ad quem per duodecim aureos gradus

1. Thronus Alexādri illustris.

dus ascendebatur. Hinc inde erant duodecim statuę aureę, in quibus erant scripta nomina 12. Principum. Sursum eminebat Alexandri sedes ex Smaragdo, vndique paries tes ex Topazio,& per vniuersos gradus pretiosi lapides cuiuscunque generis. Rutilabat in summitate noctu & interdiu pyropus varijs imaginibus illustratus. In circumferentia, nomina Prouinciarū quæ subijciebantur Alexandro, propendebant. Corona vero pendula, capiti supereminebat omni genere pretiosorum lapidum circumsepta. Titulus autem ante thronum præscriptus legebatur in hæc verba.

Ortus & occasus, Aquilo mihi seruit & Auster.

2. Christi illustrior Thronus iste poterat componi cum Throno Salomonis; quo etiam suo tempore, nō est factum simile opus in vniuersis regnis. cęterum, vt ad Thronum magnificentię nostri Iudicis Iesu conferatur, indignum est vel cogitare, nedum pronunciare. Ille auro puro Ophir, hic pura luce constat. Ille gemmis, hic Stellis. Ille Thopazio, hic omni scientia. Ille Saphiro vel Smaragdo, hic ipso judicio quod est *correctio sedis*. Ille pyropis, hic flammis. Ad illum duodecim gradus, hic elatus super aera. Illum duodecim statuę aureæ ambiebant; hunc duodecim Principes terrę Apostoli, hunc innumerabiles cęlites quibus dictum; *Sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel*; hunc denique millies decies centena millia Angelorum,& Beatorum spirituum excelsorum circumdabunt, omnes accincti vindictam. Namque *gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges superbos in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis judicium conscriptum*. Inter eos conspicuus, veniet Dominus Deus noster, *inquit Augustinus*, primo formam ipsam in qua Crucifixus est & resurrexit, demonstraturus generi humano, vt videant pij & impij. Illi videant & gratulentur se inuenisse, quod crediderunt antequam viderent. Et isti erubescant non se credisse quod videbunt. Gratulati coronabuntur; erubescentes damnabuntur. Dicetur gaudentibus: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Dicetur confusis: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius*. Quanta illis lętitia, dum spes suas, in res optatas transijsse videbunt? Quanta istis tristitia, quando spe sua quam vel in incerto diuitiarum, vel in momentaneo honorum, vel in lubrico voluptatum collocauerant, se fraudatos, suspirabunt? Quid facient, *ita interrogat idem Augustinus*, in illo metuendo judicij die, cum tremēte mundo Dominus precinētibus Angelorum buccinis, in illo maiestatis suæ throno circumdatus cęlestis militię luce consederit, ibique de terrę gremio & antiquo puluere suscitato humano genere, astante testimonio conscientiæ singulorum positis in conspectu peccatorum pęnis & iustorum præmijs, rationem vitæ cæperit postulare, & plus iam iustus quam misericors, seueritatis judicis contemptæ misericordiæ reos cæperit accusare & dicere?

In Psal. 129.

Ser. 67. de temp. 3. In quo quomodo alloquetur impios.

Ego te ô homo de limo manibus meis feci: ego terrenis artubus infudi spiritum; ego tibi imaginem similitudinemque nostram conferre dignatus sum; ego te inter paradisi delicias collocaui. Tu vitalia mandata contemnens, deceptorem sequi quam Deum maluisti? Cum

expul-

expulsus, de Paradiso iure peccati mortis vinculis teneretis, virginalẽ vterum sine dispendio virginitatis pariendus introiui; in præsepio expositus & pãnis obuolutus iacui, infantiæ cõtumelias humanosque dolores quibus tibi similis fierẽ, ad hoc scilicet vt te mihi similẽ facerẽ pertuli: irridentium palmas & sputa suscepi, acetum cum felle bibi, flagellis cęsus, vepribus coronatus, Cruci affixus, vulnere pfossus, vt tu eripereris morti, animam in tormentis dimisi. En clauorum vestigia, quibus affixus pependi. En perfossum vulneribus latus.. Suscepi dolores tuos, vt tibi gloriam darem. Suscepi mortem tuam, vt viueres in æternum. Conditus iacui in sepulchro, vt tu regnares in cęlo. Cur quod pro te pertuli, perdidisti? Cur munera redemptionis tuæ, ingrate renuisti? Non te ego de morte mea quæro: redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi. Redde mhi vitam tuam, quam vulneribus peccatorum indesinenter occidisti. Cur habitaculum quod mihi in te sacraueram, luxuriæ sordibus polluisti? Cur corpus meum, illecebrarum turpitudine maculasti? Cur me grauiore, criminum tuorum cruce, quã illa in qua quõdam pependeram afflixisti? Grauior enim apud me peccatorum tuorum Crux est, in qua inuitus pendeo, quam illam in quam tui misertus. mortem tuam occisurus ascendi. Cum eisem impassibilis, pro te pati dignatus sum. Sed tu despexisti in homine Deum, in infirmo Salutem, in via reditum, in judice veniam, in Cruce vitam, in supplicijs medicinam. Et quia post omnia mala tua ad medicamenta pænitentiæ cõfugere noluisti, a malo auditu, non mereberis liberari.

Qui tunc erit stridor dentium, cum Sanctorum multitudine ad dexteram regis & ad gloriã segregata, peccati populus in profundo tartari sine vlla miseratione ac venię spe demersus, excludi se tenebris suis, a Beata Sãctorum luce viderit, & in profundi sinum sine fine descendens *vrgente os suum puteo*, ęterna supplicia & perpetuam mortem non moriturus aspexerit? Frustra autem a paupere quem in hac vita despexit, misericordiam postulabit. frustra extremum Lazari digitum, quo ardens refrigeretur ardentibus labris rogabit apponi. Quam vellet miser, cum pauperum gloriam viderit, duris quondam paupertatis subiacuisse laboribus, & in illa vita, quę cũ vita moreretur mala portasse, ne ad illa ęterna mereretur supplicia peruenire?

Et hęc quidem judex reprobis im properabit. qui, si vultis scire, qualis sit? breuiter accipite.

Throno Alexandri inditus erat Carbunculus varijs imaginibus cęlatus. fors quę indicarent aliquo pręstigio Satanæ, quę quis siue clã, siue in propalam perpetrarat. Pro carbunculo jndicatorio, est omni scientia in Christo. qua & in seipso, & in animabus judicandis præuidit & peruidebit, omnia, quæ vnquam recte vel secus facta. jn seipso videbit. nam ille *est speculum*, omnium rerum characteribus exaratum. jn animabus vero. Nam & illæ quoque sunt speculum, factis, dictis, & cogitatis suis proprijs exsculptum. *4. Omni scientia Iudicatoria.*

Bithynij è cõspectu Solis tribunal ponebant, quod illum tanquam Sacrosanctum causæ dijudicandæ dicerent præesse, facta i euidentia jndicando. Nostri vero judicis *in Sole ipso tabernaculum*, & *Tronus eius sicut Sol*. a cuius illuminatione & scientia nemo est qui se abscondat. Omnia enim scrutatur eius sapientia; *Bithyniorum tribunal in Sole.* *Alex. ab Alex. li. 3. c. 5.*

tia, licet etiam sint profunda Dei. scilicet ipsi tantum Deo nota.

Tabula hierog. Iudicum. Stob. Ser. 43. Thebis judicū imagines visebantur absque manibus, & summi judicis oculi conniuere uidebātur. docebant, *vt iustitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur.* *Areopagitæ noctu iudicabant.* Areopagitæ ob eam rem litium controuersias, non interdiu, sed noctu & obscura luce judicabant, vt procul ab omni affectu, qui animos in diuersum agit, ferre possent judiciū. *Lib. 3. c. 10.* Non enim ignorabant hominis aspectu, cultu, vestitu, gestibus ita moueri interdum judicem, vt a iustitiæ & æquitatis tramite decedere cogatur. *Q. Calidij dictū.* Quintus Calidius, *apud Brusonium* ex prætura Hispaniensi accusatus a Gallis, quum sensisset judicibus pecuniam contra se datā, in eos judices, qui pretio corrupti ipsum damnauerunt, recte exclamauit: *Idoneam mercedem, pro meo capite pacisci debuistis.* Turpe est judici, cum oculos vel auro, vel purpura obuelatos habet, ne judicet ex æquo. Sol non alius est pauperi quam diuiti, nec quicquam ab vtroque habet: ita judex personam spectare non debet, sed rem.

Archytæ dictum. Archytas dicebat, *judicem & Aram idem esse.* Ara in templo non alia est regi, non alia olitori; ita & judex æqualis debet esse vtrique. quod si debet trutinam inclinare, magis debet pro oppresso. Ad aram confugiunt, qui iniuria afficiuntur; tales oportet judices esse, vt oppressis sint præsidio.

Antiphontis dogma. Præclarum & illud est quod Antiphon dixit. *Si peccandum sit in judicando, præstat*, inquit, *accusatum absoluere iniuste, quam perdere iniuste. Illud enim quidem peccatum est, hoc vero impietas.* Documentum est in rebus dubijs & non vsquequaque manifestis, in quibus satius est ignoscere reo, quam innocētem damnare. An audistis illud non ita pridem Basileæ factum? *Iudicij iniusti exempla. 1.* Captus quidam & in carcerem coniectus cum cōfiteretur se vxorem suam (quæ post varia annī inter ipsos coortum odiū nusquam videbatur) interfecisse, rotæ adiudicat⁹ & dānatus est. At post aliquot septimanas vxor, quæ adhuc in viuis erat, curru in vrbem inuecta, sua præsentia ostendit, maritum iniuste, (non tamen sine propria sceleris commissi confessione) damnatum esse.

2\. An audistis & illud aliud apud Saxones 1500. anno factum? Narrabo. Quidam mercator peregre profectus, reliquit domi vxorem cum filia & ancilla. Carnifex eius loci, viri absentia animaduersa, clā per cellam vinariam ingressus, noctu ancillam, quæ vinum pro cœna allatura eo descenderat, trucidauit. Illius moram ægre ferens filia, ipsa quoq; descendit, & a carnifice obtruncatur. Tandem & mater. Trina cadauera in cella vinaria sepelit, totamque domum compilat. Mercatore reuerso, cum de latrone non constaret, carnifex ipsum mercatorem, propter intestinas cum vxore rixas, facinoris tam atrocis authorem asserit. Mercator in vincula coniectus, tormentorum crudelitate victus, falsò latrocinium se commisisse fatetur, rotaq; plectitur innocens. Non multo post carnifex argentea pocula, mercatoris symbolo notata vendit, & seipsum incautus prodit. Comprehensus, ignitis forcipibus in foro dilaniatur. Hem? & annon sæpe apud nostros judices, talia decreta? Quid illud prouerbij est? *Decretum Osiecianum?* An multi sunt qui Berenices dictorum recordantur? Narrabo *Decreta Osieciana.* quod illa Ptolomeo Regi marito, inter casum talorum de capite hominis deliberanti, dixit: *Non esse simi-*

Berenices dictum. *similem casum talorum & corporum. ideoq; inter ludicra non esse agẽdum de hominis vita.* Quid quod aliqui inter pocula? O si Darium reducem in istos. Sandacem ille, quod iniuste iudicasset, eruei affigi iussit.

Sed ad nostrum iudicem reuerto.

5. *Iudi cia-ria.* Iudex noster non capitur muneribus. Ita ipse per Sophoniam & Ezechielem edicit. *Sophon. 1 Ezech. 27.* *Argentum*, inquit, *eorum, & aurum eorum, non valebit liberare eos in die furoris Domini. In igne zeli eius deuorabitur omnis terra; quia consummationem faciet cum festinatione cunctis habitantibus terram.*

Idem iudex non respicit personam cuiusque. *Sap. 6.* Ita Sapiens de illo pronunciauit. *Non enim*, inquit, *subtrahet personam cuiusq; Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam. quoniam pusillum & magnum ipse fecit & æqualiter est illi cura de omnibus.* Isaias vero de eodem testatur. *Isai. 11.* *Non secundum visionem oculorum iudicabit, neq; secundum auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* *1. Reg. 16* Non respexit personam Saulis, cum iussit Samueli. *Ne respicias vultum eius. quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico.* Non aspexit purpuram Ducum & Regum superborum, quorum solia euertit. *Ferdinã. Hisp. regis pena. Ritius li. 3. de reg. Hispan.* Terribile est quod referam de Ferdinando eius nominis Quarto Hispanorum Rege. Is post mortem Sanctij Patris, nonum tãtum annum agens in regno factus successor, per matrem fœminam prudentissimam omnia gubernabat. Verum cum iam quindecim annos regnasset, duosq; non obscuro loco natos, perduellionis reos ex altissima turri præcipites dari iussisset, ijque constanter ab se crimen amolirẽtur, nec aliquid profecissent; eo cõfugerunt, vt dicerent se Diuinum tribunal appellare, proindeq; meminisset ad dies triginta iudicio sistere Diuino. Itaq; Ferdinandus aduenienti trigesimo die, cũ dormire crederetur, in fata corruit. Præsignificauit Iudex viuorũ & mortuorum Iesus, vt & alijs innumerabilibus, ita & hoc facto, se nullius personam vereri, sed omnes promiscue pro ratione demeritorum ad vindicias postulare.

Audiant illi qui potẽtes in seculo, brachio ferreo opprimunt imbelles, *In iudices iniquos.* quid ipse de se Deus. *Et accedam ad vos*, inquit, *in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.*

Audiant illi, qui astuti in seculo, lege vel extorta, vel tacto non bene excusso, condemnant innoxios, quid idem Deus de suo Throno, *Cum*, *Apoc. 2.* inquit, *accepero tempus, iustitias iudicabo. Et scient omnes, quia ego sum scrutans renes & corda, & dabo vnicuiq; secundum opera eius.*

Audiant illi, qui maligni in seculo, lingua dolosa & sermonibus odij proscindunt & conculcant iniuste innocentes; quia vt sapiens dixit, *Omnis via viri recta sibi videtur, appendit autem corda Dominus &. Qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ meæ nihil fallit.* *Prou. 21. & 24.*

Decretoriæ illius virgulæ, qua retractat iudicia iniqua, dabo ex multis vnum præludium. ex quo, quis Diuinam iustitiam præesse in rebus humanis interdum dubitet, quum tacitus secũ admirabitur istud quod narrabo?

Brieij Thuronen. Episcopi, qui Diuo Martino successerat, casus est. Accusatus a perfidis scelestisq;, quod seruam suam violasset, quæ domi

suæ

suę pepererat: quum ille constanter id negaret, quinimo & igne in sinu suo gestato pudicitiam suam probaret, neq; illa tamen serua delictum inficiaretur, judicum iniquissimorum sententia in exilium actus est, in quo septem annos ita vixit, vt tandem postea patefacta re, Diuino iudicio, duobus successoribus intra hoc spacium vita functis, pristinæ dignitati etiam nolens, sit miraculose restitutus, hodieq; adhæc inter Diuos colatur.

Psal. 9. *Ezech. 8.* . Audiant insuper & illi, quorum vnus *dixit in corde suo, Non requiret.* & ex quorum numero *seniores illi domus Israel facientes* abominanda *in tenebris, vnusquisque in abscondito cubilis sui*, qui dixerunt. *Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram*, quid de isto Iudice pronun-*Dan. 2.* *Sophon. 1 & 3.* cient Prophetæ. Ita Daniel. *Ipse reuelat profunda & abscondita, & nouit in tenebris cōstituta, & lux cum eo est*. Per Sophoniam vero ipse de se, *Et erit in tempore illo*, inquit, *Scrutabor Ierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fecibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus & nō faciet male. Dominus autē iustus in medio, non faciet iniquitatem, Mane, mane, iudicium suum dabit in luce, & nō ab-* *6. Iudicādorum typus.* *scondetur. Nesciuit autem iniquus confusionem suam*, quę ab immenso lumine diffuso, coram vniuerso orbe apparebit.

explic. lo. Ezech. 32. *Ibi Assur*; scilicet insidiās viię, famę, rebus, familiæ, vxori vel virgini alienę, perfossor parietum, clancularius homo, qui latebat apparebit, nihil inultum remanebit. Nam & ipse, *& omnis multitudo eius* quod vidit Ezechiel, *interfecti cadentes gladio* illo versatili, *Ite maledicti*, descendent *in ignem ęternum*. *Ibi Aelam*; scilicet occultans malitiam, *homines qui posuerant* ex insidijs & malitia occultata *terrorem suum in terra viuentium, portabunt ignominiam suam, cum his qui descendunt in lacum*. Quicquid latet apparebit, nil inultum remanebit. *Ibi Mosoch*; scilicet sępiens sermonibus nequitię hortos labiorum: illi qui *in corde & corde locuti sunt*, quorum *lingua gladius acutus*, & *sepulchrum* dealbatum est *guttur eorum*, *qui dederant formidinem suam in terra viuētium, descendent ad infernum cum armis suis*: quicquid enim latet apparebit, nil inultum remanebit. *Ibi & Thubal*; scilicet ignominia opertus, sed a radio luminis reuelatus homo peccati, *in medio incircumcisorum conteretur, & dormiet cum interfectis gladio*, quicquid & sine arbitris patratum, apparebit, nil inultum remanebit. *Ibi Idumæa*; scilicet sanguine peccatorum illiti *Reges, Duces*, & omnes apud quos *sanguis sanguinem tetigit*; *& vniuersi venatores*, qui scilicet in rebus caducis veram felicitatem venantur: *& Principes Aquilonis omnes*, qui scilicet cum Aquilonarij spiritu, in cælum cōscendere, & similes esse Altissimo conātur, sese præsentabunt, vt vnusquisque eorum referat prout gessit in corpore. *Iudex* enim ille *cum sedebit, quicquid latet apparebit, nil inultum remanebit. Quid sum miser tunc dicturus, quem patronum rogaturus, dum vix iustus sit securus*. Malachias cum à longe præuideret. Ad- *7. Terror iudicij extremi. Malach. 3.* uentū huius omni scientis & omnipotentis judicis, ita ad se inquit. *Ecce venit Dominus, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? Vel quis tolerabit?* Iobus quoque in spiritu contemplans diē eiusdem, optabat? *Quis mihi*, ait, *tribuat vt in inferno protegas & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Isaias horrebat, cū recoleret quod *Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius*, ardens

FERIA III. POST PRIMAM Dominicam Quadragesimæ.

Domus mea, domus orationis vocabitur. vos aut fecistis &c. Matth. 21.

CONCIO.

De vsu & honore Templorum Christianorum.



Elus Dei quem exest, is amorem priuatum, Dei honori postponit. Moyses Princeps iatis amans fuerat gentis suæ, pro qua orabat, *Aut me dele, aut* illis peccatoribus *dimitte*. tamen cum vidisset illos eosdem Dei honorem cõmutasse, *in similitudinem vituli comedentis fænum*, amore gentis postposito, honorem Diuinum sibi zelandum proponens, gladium popularem in populum strinxit, quo ciderunt non pauca millia. Zelus quoque domus Dei, depascebatur viscera Iesu. quocirca non mirum est, cum videret illos nundinatores, Domum orationis mutare in speluncam latronum, si ipse funiculum virgam distrinxerit in eos. Quod enim Deo Sacratum, quod populo ex diuersis causis Sacrum, non debet esse prophanis prophanum. De vsu & honore Templorũ mihi hodie sermo.

explic. loc. Zach. 11. Duæ virgę Christo; altera gratię, altera iustitię. Vidit Propheta apparentem, & audiuit dicentem: *Et assumpsi mihi duas virgas*, inquit, *vnam vocaui Decorem, & alteram vocaui Funiculum*. Virga Decoris corripiens, deputat & ornat: Virga Funiculo percutiens, exanimat & damnat.

Virgam decoris, si quando a dorso alicuius amouet, vt amouerat & discinderat a populo Israelitico; non est amplius medelę locus. Virgam funiculum, si quando dorso alicuius admouet, vt admouerat & inflixerat populo Israelitico, non est amplius misericordiæ locus. Ita enim ipse. *Et dixi*: inquit. *Quod moritur, moriatur; & quod succiditur, succidatur. & reliqui deuorent, vnusquisque carnem proximi sui*. Distrinxit hodie virgam funiculum furoris sui, contra aliquos. Sed quos? Prophanos homines, quos vidistis ausos prophanare Deo sacrũ. Itane Deo templa chara? vt propter violata illa, is qui *linum fumigans non extinxit*, & cuius *vox non est audita foris*, non voce tãtũ intonet, sed & indignabundus funes expediat in temeratores? Eccur tandem? Quid ita Deo templa Sacra? Cui bono? cui vsui? *Vsus templorum.*

1. Cultui Diuino restando. Primo vsui consecrata esse scio Templa, nimirum, cultui Diuino. Non more ferarum, vagos esse voluit homines olim errones: qui illos primum in familias, has vero in tribus, has in populos, hos in pagos, oppida, vrbes, prouincias & Regna coadunauit.

Coadunatas in vnum, quo fundamentum haberent certum & firmum vnionis, vnicam religionem statim a principio indidit; inditam amplificauit, ornauit, adque augustiorem formam reduxit, sub vna tamen fidei forma. Huic palam testandæ, semper & nũc primo aras, postea tabernaculũ, postea templa voluit prostare, in quibus populus acquisitionis & ille vetustus suo ritu, & hic nouus suis ceremonijs, pietatem in Deum ostenderet.

Veteribus dictum: hic agnos, hic vitulos, hic similam, hic vespertinum, hic matutinum sacrificium, hic phase celebrabitis. Nostri au-

tem Antistites, Petrus, Ioannes, Paulus, & illi magni Pontifices religionis, & quotquot ab illis siue magni siue pusilli, Magno Capiti Orbis, capita inflectere docti, licet alibi, maxime tamen in templo inclinabant. Hoc fine conuenire olim solitos Christianos, vel ipse Ethnicus Plinius Traiano scripsit. Affirmabat, *inquit, de apostatis a fide Christiana, qui dissenti in equuleo prodebant qualia essent conuenticula Christianorum.* Hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum inuicem, seque Sacramento, non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus peractis morem sibi discedendi fuisse: rursusq; coeundi ad capiēdum cibum (*Sacram Eucharistiam intelligit. ignarus mysterij quod occulebatur*) promiscuum tamen & innoxium. Habemus ab Ethnico, vsum Templorum Christianorum; nimirū ad culturā Christi, quē & voce, & imitatione colēdū sibi proponebant. indidē se excitantes ad eius amorem, Eucharistico cibo simplicis & innocui Dei Agni, quo in accipitur, comeditur, & immolatur.

Plin. epistola. 97.

Conuenit cum Paulino aceto, testimonium Plinij. ille enim quoque sciris quam acer, iam tum prophanatores Templorum fuerit, dum eos coarguit. *Nunquid non habetis domos ad manducandum?* manifeste indicans Templa iam tum fuisse Sacrata, non ad commessationes & ebrietates, non ad colloquia, non ad nundinationes, sed ad cultū Dei testandum & augendum, oratione, cathechismo, hymnis & esu atque oblatione edulij sacrati, Corporis & sanguinis Christi quod ipse Christus iussit offerre in suam Commemorationem.

Ex his diduco duos alios vsus Templorum. & pronuncio hoc secundum assertum. *Templa esse sacrata, propter Sacra dogmata in eis euulganda.* quæ quia sunt Ignita eloquia, & præcepta Domini lucida illuminantia oculos, ideo etiam & Templa non in speleis, non in antris, nec in lustris, sed in meridiano Sole ędificata, & Basilicarum titulo insignita. Habeo Tertullianum glorianter insultantem Valentinianis, quod ego retorqueo in Latrinarios Lutheranos. inquit enim, hoc ex Sole, in spelça.

2. 3. doctrina vulganda.

Lib. aduersus Valētin. c. 2.

Abscondat se serpens quantum potest, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat. altè habitet, in cæca detrudatur, per anfractus seriem suam euoluat, tortuose procedat, nec semel totus lucifuga bestia. Nostra colūba DOMVS SIMPLEX, etiam in æditis semper, & apertis, & ad lucem; amat figurā Spiritus sancti, Orientem Christi figuram. Nihil enim veritas erubescit, nisi solummodo abscōdi; quia nec pudebit vllum aures ei dedere, cum Deum recognoscere quem iam illi natura commisit, quem quotidie in omnibus operibus sentit, hoc solo minus notum, quod vnicum non putauit, quod in numero nominauit, quod in alijs adorauit. An hęc omnia etiam in Aquilonares vespertiliones recte trahatur? Vos iudices este. ego sane cum Diuo Augustino, inter præcipuas Ecclesiæ deputo notas; quod hæreticorum Stilia, non nisi pædore se fornicis produnt: Catholicorum autem Templa, inquirentibus, radio solis ostenduntur. nam lux, figura Spiritus sancti est. item lux, nomen Christi est item lux & lucerna, doctrina est Catholica, quæ apricum amat, quæ solem amat.

Mysteriū incarnat. & Trinitat intellig.

Serpens

Serpens antra quærit, herbusta quæ rit. *latet* quod ille scripsit, *anguis in herba*. & quod Iobo de Behemoth Deus vulgauit, *dormit sub vmbra in secreto calami, & in locis humentib. & adhuc vmbra protegunt vmbram eius, & super hoc circumdabunt eum salices torrentis.*

Iob. 40.

3. Oratio nib. fundendis.

Tertium assertum de Templis nostris. *Sacrata sunt Templa, propter Orationes Deo in illis offerendas.*

Sed subsiste. Non tam pusillus nobis Deus est, vt eum templis solis concludi putemus. scimus, terram & cælos immensum implentem illum. Scimus quod ipse de se, *Cælum*, ait, *mihi sedes est, terra autem Scabellum pedum meorum*. &. *Cælum atque terram ego impleo*. Proinde illum nec tam pusillæ pupillæ, nec tam angustæ auris, facimus vel per somnium, qui tantum in vnicis Templis aut videat, aut audiat. Vidit in campestribus Abelem: audiuit Abrahamum in igne Chaldæo, Iacobum in lapide sub dio, Moysem in deserto, Israelitas in Aegypto, Ezechiam in lectulo, Manassen in ergastulo, Danielem in lacu leonum, Tres pueros in fornace, Susannam inter lictores, latronem in patibulo, Ionam in ventre ceti, alios vero alibi locorum. Ideo neq; hoc fine sunt nobis Templa, vt illū in adytis solis includere & exaudire cogitemus. prout neq; hoc fine Salomon magnificū illud Templū ædificauit, vt & ipse testatur, cum orat: *Ergo ne credibile est, vt habitet Deus cum hominibus super terram? Si cœlum & cœli cælorum, non te capiunt, quanto magis domus ista quam ædificaui?* Sed cui bono? vt tanto feruentius in eis orationes proferamus, & citius atque facilius impetremus, quanto magis peculiari ratione Deum adesse ibidem profitemur. Vnde & Salomō subiungit. *vt respicias orationem serui tui, vt sint oculi tui aperti super domum hanc die ac nocte, super domum de qua dixisti: Erit nomen meum ibi, vt exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te seruus tuus, vt exaudias deprecationem populi sui Israel.* Quapropter & ipse Deus apparens Salomoni, se in eius templo affore pollicetur. *Audiui*, inquit, *orationem tuam, quam deprecatus es coram me. Sanctificaui domum istam, vt ponerem in ea nomen meum. & erunt oculi mei, & cor meū ibi, & apertæ aures meæ ad orationem eius qui in loco isto orauerit. Elegi enim & sanctificaui locū istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.*

Quod si in Templo illo, nidore sacrificiorum repleto, propter vnanimem in cultu & oratione populum, peculiari modo interesse dignatus est: quid non magis adhuc speciali ratione in Tēplis nostris aderit, vbi nō Agni vel vituli vel hircorū, sed ipsius eius corporis & sanguinis holocaustum offertur? vbi non columbę, non passeres, non turtures venduntur aut retorto collo conciduntur, sed meliora cæli altilia, animæ videlicet Sanctis cogitationibus tanquam pennis inauratis, ad Dei Thronum attolluntur; vbi non ligneus Cherub assistit, sed supernorum Angelorum ministerium impenditur. vbi non in fumo aut nebula, sed in luce dia Deus, in medio non vnius gentis, sed tot populorum quot in vnitatem fidej congregati, inque terra non linguarum confusarum sed labij vnius & vniti, requiescit? *Nam hic Deus specialiter præsens.*

Agnosco te Deus meus, in hoc feretro Triumphatorio, purpura albicante panis tectum. Agnosco te Iesu mi, sub hoc symulachro, in Cruce clauis confixum. Video te mi Fullo, in spiritu ardoris peccatores *In Sacramento.*

profecto Dæmones vbi coronatorum martyrum corpora posita conspiciunt, illic. ab eorum conspectu longe pauidi diffugiunt.

Quocirca cum templa sint & tam horribilia Satanæ, & tam familiaria Cælitibus, & tantopere Deo dilecta, rite ad orationis oblationem sunt dedicata.

Hic munera spiritualia grataora. Exod. 35. In Exodo, non alibi locorum, quã in Tabernaculo testimonij, exactas recipiebat Deus primitias & donaria, aurum, æs, argentum, hyacinthũ, purpuram, & byssum, & oleum ad luminaria. Innuebat, hoc symbolo, ijs quicunque volebant offerre auro charitatis, argento castitatis, ære bonæ conuersationis, Hyacintho cœlestis intentionis, purpura tolerantiæ, bysso munditiei pectoris, & oleo misericordię tinctam, imbutam, coloratam, & variegatam orationem, non alibi effunderent, quam vbi adsunt Sancti de sub altari, si vindictam, multo magis clementiam Dei deprecantes; vbi adsistunt Angeli, in thuribula sua incensum orationum piarum excipientes, & de manib. suis ante thronum Dei & agni suffumigantes. Vbi quoque ipse Deus sedet super solium excelsum & eleuatum, velatus alis Beatorum spirituum; & illis defluuijs vestimentorum, & a vestimentis profluuio charysmatum replet Templum. In Templis enim, *expl. ver. Ps. 44.* *Myrrha & gutta, & cassia a vestimẽtis tuis o Deus, & a pixidibus, seu domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te Filiæ regum in bonore tuo.* *Hic charismata diuiniora* In templis myrrha, abstergens veteris hominis corruptelam. In templis Xylobalsamum, a quo computrescit iugum intolerãdum. In templis Cassia cõclusa absconditorum medicaminum mentis. In templis omne id quod, siue ad depurandã, siue ad roborandam, siue ad nutricandam, siue ad ornandam, siue ad muniendam, siue ad reconciliandã, siue ad recreandam, siue ad sanandam, siue ad illustrandam & felicitate suprema ex hinc cumulandam animam spectat, dimanat, a patre Luminum; ex his pixidibus & vrnis aureis pretio, eburneis vero Synceritate atque candore immaculato, qui præcipue illectauit filias regum Ecclesias, in honore summo, ad supremum honorem.

In hac Cella Proma, & in hoc Tabernaculo thesaurorum inæstimabilium reconditorio, an non libenter audit Deus? In veteri & Mosaico & Salomonico fumario, audiebat & exaudiebat. In illo Anna a Fennena exprobrante afflicta, animam effundens, prole optata augetur. In illo Samuel pro Israelitis orans, victorijs insignitur. In illo cælum clausum aperiebatur, fames & pestilentia depellebatur, plagæ omnes sanabantur, inimici sub iugum mittebantur, Prouinciæ subdebantur, & omnia optata propter orationẽ a Deo concedebantur. Si tanti potens domus fumi, quid non potens Domus Lucis? Si ibidem in nebula occultus Deus, nihil erat quod non reponeret orantibus; hic in Sole conspicuus, quid negabit supplicibus? Templa itaque Orationi accommoda. Hoc titulo ornauit domũ Salomonis Christus. *Templorũ antiquitas.* *Dom⁹ mea, domus orationis vocabitur.*

Quæ quam antiqua, & quam honora apud Christianos? vno aut altero exemplo demonstrabo. Apud *Baron. A. 106.* Baronium, vix non temporibus Apostolorum, iam habeo Templum S. Petri Romæ anno D. 106. Paulò post lego apud eundem, ann. 224. ex *& ann. 224. miraculũ in extructione tẽpli.* Hieronymo de viris illustribus in ædificatione Templi, tale miraculum a Gregorio Thaumaturgo factum. Erat in quodam arctissimo

loco

loco inter montem & fluuium posito Templum extruendum, at spatium sufficiens non erat. Cæterum D. Gregorio Thaumaturgo in orationibus pernoctante, mane facto, inuenta est rupes tanto spatio loco cessisse, quantum erat competens, pro ipsa Ecclesia fabricanda. Lego et Diocletianum Imperatorem, alicubi multitudinem Christianorum combussisse in Templo conclusorum anno 301. Porro quanto in pretio fuerint Basilicæ apud Christianos, illud vel solum ostendit, quod Ambrosius Valentiniano poscenti sibi dari vnam ex Basilicis, vim etiam minanti respondit. Cum enim ille propalam e templo Ambrosium exire iussisset, ita Ambrosius, *Libens id, inquit, non fecero. neque enim lupis, ouium caulam prodã, neque blasphemis Diuinum Templum concedam. Quod si necare me vis, in ipsa Ecclesia, in me ensem aut cuspidem stringe. Perlibenter enim eam cædem tulero.* O si tales nostri Pontifices, qui —— sed reuertor. Habeo etiam prophanos Templorum prophanatores, crudeliter a Deo acceptos. Temporibus D. Bernardi, Gaufridus quidam in Arcem conuerterat Aedem Sacrã. Parietes prophanati illico sanguinem sudarunt, portendentes etiam & horribilem mortem ipsi Principi & præsidi suasori, qua non multo post occiderunt. Theodorici Gottorum regis milites ipso adhuc viuente, cum Iuliani Martyris Templum in Aruernen. vrbe spoliassent, mox ab immundis spiritib. correpti, infestis dentibus se mutuo lacerarunt. Proculus a Genserico rege Vandalorum missus, cum Ecclesias diriperet, & Sacra volumina igni exureret, non multo post sibiipsi frustulatim linguam præcidit dentibus, & interijt.

Tutela ab Ambrosio. Theodoret. lib. 5. c. 13.

Vindicta in temeratores. Baron. an. 1144. in Gaufridum.

In Theodorici milites.

Gregor. Turonen. lib. 3. ca. 11. in Proculum in Sigebert.

Longobardorum quidam Episcopus Arrianus cum Spoleti locum non haberet Sacra faciendi, & Episcopus locũ dare negaret, Arrianus D. Pauli sacellum in vicinia situm, altero die se occupaturum professus est. Templi custos sacellum clausit, & lampades extinxit. Adest mane cum turba Arrianus episcopus, portas effringere conatur. Interea magno cum fragore sponte sua portę aperiuntur, & de super effuso lumine lampades omnes accendũtur. Arrianus episcopus subito excæcatur, aliorumque manibus domum reducitur. Tam seuere vltus est Deus iniurias *Ecclesiarum:* quas tamen porro, videte & dolete, quam turpiter habent hæretici? Lego apud Nicephorũ, infandam petulantiam illorum in templa nostra sub Valente. Velut *inquit*, in proscenio ludorum dissolutorum, vt puer sexum masculi abnegans, & mulieris expetens, stibio oculis perunctis & fuco facie rubricata, habitu muliebri, in ipso sanctiore altari, vbi descensum Spiritus Sancti inuocamus, conuersione scite in orbem facta, huc atque illuc manibus gesticulans saltabat. Hæc decora nõ obscęna putantes, alterum nefandæ fæditate notissimum veste detracta, & pudenda etiam corporis parte, prout naturæ habitus nudata, Ecclesię throno imposuerunt, & fędum contra Christum concionatorem appellarunt. Nam pro Diuinis rebus turpitudinem protulit, pro oratione graui & Sancta impudicam; lasciuiam pro pietate, ac pro temperantia fornicationem, adulterium, furtum, cibum & potum vna cum alijs ad uitam vtilia & commoda esse docens. Heretis, talia audientes? Sic hęretici, in honore Templa habent nostra. Sed quam impune? hęc quę adduxi demonstrãt, Deum

esse

In Longobardorũ Episcopũ Arrianũ

Gregor. li. 3. Dialog. c. 29.

Petulantia hæreticorum in tẽplis.

Niceph. lib. 11. c. 38.

esse seuerum vltorem Maiestatis Templorum violatæ.

Quid vos Bibones Vratislauienses expectatis? Fore vobis inultum, quod Templa septem in suburbio vestro familię Præmonstraten. ad D. Vincentium tormentis displosis diruistis? Quod Templum Diuo Adalberto Sacrum nuper inuasistis, spoliastis ?temerastis? Sumet, sumet, tandem vel sero *virgam funiculum* Iesus, & vos qui ex alijs sacra tis Templis fecistis speluncas latronum, profligabit, enecabit. Ostendi Templa esse Sacris mysterijs, Sacris dogmatibus, sacrisque Orationibus deputata. Vos qui pij, nolite illa facere speluncas latronum. An enim nõ facitis, qui colloquia impudica, qui mercaturas: qui risus, qui —— sed taceo.

Non pepercit Christus, quin eijceret illos, qui in Sacros vsus animalia vendebant. ne forte & vos funiculo exterminatorio percutiat, cauetote, sed magis vos dignos facitote qui steris in domo Dei, & in atrijs eius, *in quibus melior est dies vna super millia*, transferendi ad domum non manufactam in Cœlis. Amen.

FERIA IIII. POST PRIMAM Dominicam Quadragesimæ.

Viri Niniuitæ surgent in judicio, cum generatione ista & condemn. Matth 12.

CONCIO.
De qualitate pœnitentiæ.



ON noua, sed quasi coæua Israelitis, ficta pænitentia. Cum enim proni essent ad idololatriam, & illa alia scelera quæ ab ea: frequenter aũt partim prece, partim precio, partim etiam supplicio, a consuetis reuocarentur: si quãdo reuertebantur, pertæsi malorum quibus castigati, non semper in veritate pænitebat eos facti. Audio Deum de illis conquęrentem, apud Hieremiam Prophetam. *Et in omnibus his, inquit, non est reuersa ad me preuaricatrix Iuda. in toto corde suo, sed in mendacio, ait Dominus.* Ideo propter pęnitentiam fictam, illis coęuam, prout hodie enuntiat Saluator, *viri Niniuitæ, qui surgẽt in iudicio, condemnabunt eos cum generatione sua.* Ne nos quoque condemnent; pænitentiam Niniuitarum considerabimus, & ex ea formulam pęnitendi ostendemus. *Ficta pœnitentia coęua Hebreis. Hier. 3.*

Stultum illum ego censeo, qui quęrit, id quod alter a Tertulliano. *Bonum est pænitere, an non?* Cum non videat, non nisi bonum esse, quod a Deo institutum. *Quid* inquit Tertullianus, *reuoluis?* Deus pręcipit. jtaq; bonum atque optimum esse pro nostris angustijs inculcamus, quod Deus pręcipit. Et non præcipit tantum, sed etiam hortatur. Inuitat pręmio, salutem jurans; etiam *viuo* dicens; cupit credi tibi. O beatos nos quorum causa Deus iurat. O miserrimos, si nec juranti Domino credimus, in nostrã vtilitatem. Inuade itaque tu peccator pęnitentiam, & ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem. Hęc te peccatorum fluctibus mersum proleuabit, & in portum Diuinæ clementiæ protelabit. Rape occasionem inopinatę felicitatis, vt ille tu nihil quondam penes Deum, nisi *stilla situlæ*, & areę puluis, & vasculum figuli, arbor exinde fias illa, quę penes aquas seritur, & in folijs perennat, & tempore suo fructus agit, quę non ignem, nõ securim videbit. Pęniteat errorũ reperta veritate, pęniteat amasse quę *Lib. de pę nit. ca. 4. & 8. Pœnitentia bona, quia a Deo præcepta. Tanquã medicina.*

Deus non amat; quando ne nos quidem ipsi seruulis nostris, ea quib. offendimur, non odisse permittimus. Obsequij enim ratio, in similitudine animorum constituta est. Neminem pudeat. Iteratæ valetudinis, iteranda medicina est. Gratus in Dominum extiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaueris Offendisti? sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, & quidē volentē. Id si dubitas? euolue *quæ spiritus Ecclesiis dicat.* Desertā dilectionem Ephesijs imputat, stuprum & idolothytorum esum Thyatirenis exprobrat; Sardios nō plenorū operū incusat, Pergamenos docentes peruersa reprehendit; Laodicenos fidentes diuitijs obiurgat: & tamen omnes ad pęnitentiam commonet, sub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non pænitenti, si non ignosceret pænitenti. Dubium si non & alibi hanc clementiæ suæ profusionem demonstrasset. *Non, ait, qui occiderit, resurget? & qui a uersatus fuerit nō conuertetur.* Ille est scilicet, ille est qui misericordiam mauult quam sacrificia. Lætantur cæli, & qui illic Angeli, pænitentia hominis. Heus tu peccator bono animo sis, vides vbi de tuo gaudeatur; Quid illa Dominicarum similitudinum argumenta nobis volunt? Quod mulier drachmam perdidit, & requirit, & repperit, & amicas ad gaudium inuitat; nonne restituti peccatoris exemplum est? Errat & vna pastoris ouicula, sed grex vna carior non erat: vna illa conquiritur, vna pro omnibus desideratur, & tandem inuenitur, & humeris pastoris ipsius refertur: multum enim errando laborauerat. Illum etiam mitissimum patrem non tacebo, qui prodigum filium reuocat, & post inopiam pænitentem libens suscipit, immolat vitulum præopimum, conuiuio gaudium suum exornat. Quid ni? Filium enim inuenerat, quem amiserat, cariorem senserat quem lucrifecerat. Quis ille nobis intelligendus Pater? Deus scilicet. Tam pater nemo: tam pius nemo. Is ergo te Filium suum, & si acceptum ab eo prodegeris, & si nudus redieris recipiet, quia redisti: magisque de regressu tuo quam de alterius sobrietate lætabitur. Sed si pæniteat ex animo, si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos immundum pecus relinquas, si patrem repetas vel offensum, *Deliqui*, dicens, *Pater, nec dignus ego iam vocari tuus.* Tantum releuat confessio delictum, quantum dissimulatio exaggerat. Si deniq; quod fecerūt Niniuitæ, 1. ieiunio, macerabis corpus, 2. si deposito molli syrmate cilicino sacco te obteges, 3. si sedebis in fauilla & cinere, 4. si ad Deū clamabis in fortitudine, & 5. si postremo cōuertes te a via tua mala, & ab iniquitate q̄ est in manu tua. Has enim quinque Niniuitarum pęnitentiæ partes, vulgauit Propheta, cum scripsit. *Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum: & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis a maiore vsque ad minorem. & peruenit verbum ad regem Niniue: & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum a se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. & clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis, & principum eius, dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam nec pascantur, & aquam non bibant. & operiantur saccis homines & iumenta, & clament ad Dominū in fortitudine, & conuertatur vir a via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorum,* Examino singulas pęnitentię istorum laudatæ partes.

Et reconciliatio. *Apoc. 2. & 3.* *Præsertim si talis qualis Niniuitarum.* *Ionæ. 3.*

1 *Ieiunium.* Inprimis *prędicauerunt ieiunium.* Nam istud *ex sententia Augustini*, pur-

purgat mentem subleuat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentię nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis vero lumen accendit. Ita Dauid pęnitens, se Dei misericordiam promeruisse testatus est. *humiliaui*, inquit, *in ieiunio animam meam, & oratio, mea in sinu meo conuertetur*. ita Iudith pollicetur Israelitis misericordiam: *Scitote*, inquit, *quoniã exaudiet Dominus preces vestras si manentes permanseritis in ieiunijs, & orationibus in conspectu Domini*. ita Deus ipse instruit pænitentes, *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio. Canite tuba in Syon, sanctificate ieiunium, vocate cetum*. ita Esdras quoque se fecisse memorat; *prædicaui*, inquit, *ieiunium, vt affligeremur coram Domino Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis, & filijs nostris*. Non mirum si omnes pænitentes ieiunio sese afflictarint. ieiunium enim, *vt Ambrosius ait*, est mors culpæ, excidium delictorum, remedium Salutis, radix gratiæ, fundamentum sanctitatis. Quemadmodum vermes qui in puerorum intestinis germinant, pharmacis quibusdam vehementer acribus & amaris excutiuntur: ita peccatum in intimis recessibus habitans, extinguit, enecatque simulatque in animam superuenerit ieiunium. ob hoc ipsum suo dignum nomine, quod inedia animæ viscera expurget.

quod est mors peccat.

jocundum quidem. *ait Chrysostomus*, nautis est ver, jocundum quoque agricolis. Nam hos delectat aspicere tunc depictam floribus terram, & varijs frondibus virgulta comantia: illos vero quod dorsum maris deductis nauibus tuto licet ascendere, nec vndarum pericula formidare: sed pænitentibus magis jocũdum est jeiuniorum ver; quod tunc non vndarum sed cogitationum & concupiscentiarum carnis fluctus ac turbines mitigat, & ab eo coronæ nobis non florum, sed spiritualium gratiarum parantur.

Inter hyeroglyphicas notas illorum qui virtute delectantur, Aegyptij Cephalum (*alijs Plotes agnomi natum*) ex mugilum genere transli toranum pingebãt; eo quod is cum nonnisi mucore vescatur suo, semper quasi ieiunus, ganeę suauitatem expetiam ex se ministret. innuebant hominem qui abstemius, & diutina inedia refrenatus, virtutum esse quasi repositorium, quibus Superos & inferos oblectare potis. Itaque recte inprimis jeiunium pænitentibus indictum, quod illud & peccatorum flammam restinguat, & animam virtutibus illustret.

Hierogl. ieiun. Cephalus & Amianthon.

Amianthon, genus est lapidis, qui eius est naturæ, vt inquinari non possit. hic ab igne non vincitur, sed igni impositus videtur ignescere, & in prunam verti; rursum exemptus igni, perinde quasi fuisset aqua candidatus, purior apparet. Ponamus illum pro hieroglyphico ieiunantis. Hic enim igne concupiscentiæ non facile aduritur. Hic in igne tentationum positus, non nigratur; quinimo ex camino Babylonio, sanctior emergit; si modo non corpore sed & mente jeiunet. Nam *Bernardus* monebat. Si sola gula peccauit, sola ieiunet, & sufficit. Si vero peccauerunt & membra cætera, cur non ieiunent & ipsa? Ieiunet igitur oculus, & ia curiosis aspectib. & ab omni petulantia: vt bene humiliatus coerceatur in pænitentia, qui male liber vagabatur a culpa. jeiunet auris, nequiter pruriens a fabulis & rumoribus, & quæcunque otiosa sunt ad salutẽ minime pertinentia jeiunet lingua a detractione, & murmuratio-

ne, ab inutilibus vanis, atque scurrilibus verbis. ieiunet manus ab operibus omnibus quęcunque non sunt imperata, sed multo magis anima ipsa ieiunet a vitijs & a propria voluntate sua. Etenim sine hoc ieiunio cætera a Domino reprobantur, sicut scriptum est: *Quia in die ieiunij inuenitur voluntas vestra.*

2. Cilicio & sacco quem gestarunt. Secundum est quod fecerunt Niniuitę, *abiecerunt vestimenta sua a se & vestiti sunt saccis, a maiore vsque ad minorem.* Dauid rex cum

2.Reg. 3. occisum Abner efferret, *dixit ad Ioab, & ad omnem populum qui erat cum eo: scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner.* Si tam lugubris ornatus in vnius corporali morte; quanta putatis debet esse in vnius animæ casu?

3.Reg. 20. Benadad. Postquā cæsus fuisset exercitus Benadad rex Syriæ, ne & ille cū reliquis percuteretur, tale consilium audiuit a seruis suis: *Ecce audiuimus,* aiunt, *quod reges domus Israel clementes sunt. ponamus itaq; saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad regem Israel: forsitan saluabit animas nostras. Accinxeruntque saccis lumbos suos & posuerunt funiculos in capitibus suis, veneruntque ad Regem Israel.* Non despexit iste humilitatem illorum, qua seipsos dignos morte ostenderant; non despicit quoque

3.Reg.21 Achab. Deus, imo clemens aspicit, si qui tali habitu supplices illi. Non despexit Achabum, qui auditis sermonibus Eliæ, *scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitq; & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite.* Non despexit

Ezechias. Ezechiam, qui exemplo paterno, *scidit vestimenta sua, & opertus est sacco, ingressusq; est domum Domini*

4.Reg.19 Israelita. *ad orandum, & misit Eliam Præpositum domus, & Sobnam Scribam, & Senes de Sacerdotibus opertos saccis, ad Isaiam Prophetam,* Non despexit filios Israel qui *conueneerant in ieiunio, & in saccis, & humus erat super eos.* Non despexit Mardocheum, qui & ipse quoque *scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti, & ostēdens amaritudinem animi sui.* Non despexit & Iobum, qui de se vulgauit, *Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam; facies mea intumuit a fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.* Non despexit Baruchum qui & ipse testatur, *Exui me stola pacis; indui autem me sacco obsecrationis, & clamabo ad Altissimū in diebus meis.* Non despexit & Danielem, qui ait, *Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare & deprecari in ieiunijs, sacco & cinere.* Producam aliquos nostrates, qui pro sacco cilicium commutarunt.

2.Esdr. 9 Mardocheus. Esth 4. Iob. 16. Baruc. 4. Daniel.

Eadmūdus. Eadmundus Canthuariensis Archiepiscopus, quadragesimæ diebus pro cilicio quod perpetuo gestabat, loricam plumbo contextam induere solitus erat. Itaq; non dubitauit solum cilicini tegminis, verumetiā plumbei grauitate, carnem frenans, & ipse virginitatem perpetuo incorruptam seruare.

Ludouicus. Ludouico quinto Gallorum regi multo plus contulit interius ciliciū, quam purpura exterior. Hæc terreni regis insigne erat, illud cælestis aditum præbuit. Ad cilicij quippe squalorem respiciens Deus, non ad purpuræ luxuriam, Christianissimo Regi, & temporale regnum tutatus est, & æternum indulsit.

Radegundis. Cæcilia. Radegundis Clotharij Gallorum regis vxor, sub pretiosis & delicatis vestibus, vile & asperum cilicium tulit. Cæcilia virgo Valeriano desponsata, nec ipso quidem nuptiarū die ciliciolum suum deposuit. Exterius

terius noua nupta auro textis fulgebat vestibus, interius Christi ancilla cilicio squallebat. Cumque fescennini concinerent ur, & multi generis perstreperent instrumenta, illa tacita gemitibus Deum fatigabat, & virginitatem illi ipsi cui se prius desponderat, Deo commendabat. Deus igitur per Angelum suum eam ita tutatus est, vt integram inuiolatamq; seruarit, martyrio coronarit, sertis mirificis adornarit & pro cilicio luce induerit immortalitatis.

3. *Cinere* *Iob.* 42. Tertium est quod fecerunt Niniuitæ, *Sederunt in cinere*. Ita & Iob. *reprehendo me*, inquit, *& ago pœnitentiam, in fauilla & cinere*. Declarabat *Gregorius*. In fauilla & cinere pęnitentiam agere, est contemplata summa essentia, nil aliud quã fauillam se cineremq; cognoscere. Vnde & Ciuitati reprobæ in Euangelio Dominus dicit: Si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. In cilicio quippe asperitas & compunctio peccatorum, in cinere autem puluis ostenditur mortuorum. Et idcirco vtrumque hoc adhiberi ad pęnitentiam solet. vt in punctione cilicij cognoscamus, quid per culpã fecimus: & in fauilla cineris perpendamus, quid per iudicium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio, pungentia vitia. consideretur in cinere, per mortis sententiam subsequens iusta p. na vitiorum. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate ci icij superbiendo quid fecit. Videat in cinere vsq. quo peccãdo peruenit.

Math. 11.

In quo Tribunal iudicatorium erigendum. Docebat Augustinus. In pœnitentia, *inquit*, ascendat homo aduersum se tribunal mentis suæ, si timet illud quod oportet nos exhibere ante tribunal Christi, vt illud recipiat vnusquisque, quod per corpus gessit, siue bonum siue malum. Constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori dicens, *Arguam te, & statuam te ante faciem tuam*. Atq; ita constituto in corde judicio, assit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidem sanguis animæ confitentis, per lachrymas profluat. Postremo ab ipsa anima talis sententia proferatur, vt se indignum homo iudicet, participatione corporis & sanguinis Domini.

Hanc cordis rixam, *ait Gregorius* Dominus requirebat cum per Prophetam diceret; *Attendi & auscultaui*. Nemo quod bonum est loquitur. Nullus est qui agat penitentiam super peccato suo, dicẽs, Quid feci? *Hieren.* 8. Ista cordis humani rixa placata est, cum Prophetæ suo de Achab rege, semetipsum reprehendente loqueretur dicens: *Vidisti Achab humiliatum coram me?* Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius. Ista quoque rixa placata est, cum Dauid fateretur, *peccaui*. namque Propheta ad eum intulit, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. Quando ergo succrescens amaritudo pœnitentiæ, verecundanti cordi importune ingerit illicita quæ commisit; quãdo suppliciorum minas incutit, pauore animam ferit, pudore contundit motus illicitos increpat, quietem noxiæ securitatis turbat: quando quæ ei conditor bona contulit, quæ ipse bonis illius mala rependit enumerat: quod mire ab eo conditus, quod gratuito nutritus, quod rationis substantia in conditione ditatus est, quod Conditoris gratia vocatus, quod sequi ipse & vocatus noluit, quod vocantus misericordia

nec

nec surdum hunc renitentemque despexit, quod illuminatus donis, quod sua sponte prauis actibus etiam post dona cæcatus est, quod a cęcitatis suę erroribus paternæ solicitudinis flagellis expiatus, quod a flagellorum doloribus ad salutis gaudia misericordiæ medicamento reductus est, quod quibusdam culpis subditus, peccare tamen & inter flagella non desinit. Cum itaque afflictam mentem modo per replicationem donorum Dei, modo per improperia actionis suæ tanta seueritate increpat habet in corde iusto rum amaritudo iudicatoriam animę linguam suam, quæ tanto eis subtilius loquitur; quanto & interius auditur. In hoc Cinericio Tribunali sedentes Niniuitæ, semetipsos iudicauerunt, & non amplius a seuero Christo iudicabuntur.

4. *Cordis tribulatione.* Quartum est quod lego in pænitentia illorum; quia *clamauerunt in fortitudine ad Dominum*. Fortitudinem intelligo nō vocis labiorū, sed spiritus cōtribulati conatū. In ea fortitudine Dauid, *laboraui* inquit, *clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, dum spero in Deum meum.* Et iterum, *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum. lacrymis meis stratum meum rigabo.* Vidisti regem, *ait Chrisostomus*, qui noctibus atque diebus lacrymis præcibusque deditus fuit? Quid nos dicemus, vel quid respondebimus, neque eam compunctionem declarare volentes, quā rex tot obseptus negotijs egit? Nihil certe oculis illis formosius, perpetuo lacrymarum imbre, quasi margaritarum decore ornatis. His ille animam dealbauit, his Deum iratum exorauit, his flammam inferni succensam extinxit. his gladium in manu vindicis incensum hebetauit, his paradisi adamantem excauauit, quando laborans in gemitu dixit, *Peccaui*. Et nos quid? An potius illud impiorum geminamus, *Peccaui, & quid mihi accidit triste*. Cum ——. Harpalum quendam pyratam insignem lego Dijs illudere suetum, quod *in illa fortuna tandiu vixisset*. Quid si & inter nos tales impænitentes; tales impudentes? Sed non reuelo. *Harpali insolētia.*

5. *Amalo abstinētia condita. Iob. 11.* Vltimū est quod Niniuitæ pęnitētes obseruarunt, dum sibi dixerunt. *Conuertatur vir a via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorum.* Ita enim amici ad Iobum, *Si iniquitatē quæ est in manu tua abstuleris a te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc leuare poteris faciē tuā absq. macula & eris stabilis, & non timebis.* Statyra M. Alexandri vxor, cum vidisset Roxanā quandā sibi esse superinductam, non tulit, sed furijs acta, riualem amoris in puteum præcipitauit. Non fert etiam Deus consortium amoris humani. Vult vt quicquid est peccati, ex corde auferamus, nec vltra admittamus Nam sapiens monebat, *Fili, peccasti non adijcias iterum. Sed & de pristinis, deprecare, vt tibi dimittantur.* Inanis est pęnitentia, *aiebat Augustinus*, quam sequens culpa coinquinat. nihil prosunt lamenta, si replicentur peccata. Nihil valet a malis veniam poscere, & mala de nouo iterare. Vel Pharao suffecerit in exemplum, qui toties castigatus, totiesque pęnitudine correptus, recidebat, donec in profundum decideret. Qui plangit peccatū, & iterum admittit, quasi si quis lauit laterem crudum; quem quanto magis diluerit, tanto amplius lutum facit. Quemadmodum non satis est morbum expurgari, sed intemperiem beneficio oppositorum oportet restitui, vt homo ex molesta ęgritudine sanus fiat: sic etiā & vitia nostra, cum eruta sunt, necessariū est contrarijs *Statyra Zelotypia.*

trarijs

trarijs studijs immutari. Alioquin vt illic incerta cōualescentia, ita hic erit suspecta pęnitentia. *Mus gustans picem*, non regustat: *piscator ictus sapit*, nec reuertit: *Sus* tantum *ad volutabrum lutulentum* redit. Non decet hominē regredi ad sorditiem, non decet se conficiendum iterato offerre. non decet sulphur inferna le regustare. Cōuersi Niniuitę a via sua mala, non amplius tunc sunt reuersi. Illud dum ego considero, atque nostram pœnitentiam ad illorum formulam examino, & video, saturo ventre——. Sed me cohibeo. Illud tantum, quod in mentem venit, adduco, de Gabaonitis. Ad Iosue venerant, facie lurida, vestibus detritis, panes mucidos & quasi a longinquitate itineris arētes secum ferentes, & longam peregrinationem assimilantes. Dum sunt ante illum, pęnitentiam fingunt, & misericordiam gemebundi implorant. Falsi vt specie, sic & spe sua. Nam Iosue admisit quidem illos, sed non in Ciuium sortem. Gabaonitę ad Iosue venientes, *vt explicabat Origenes*, significāt eos quorum fides hoc tantummodo habet, vt ad Ecclesiam veniant, & inclinēt caput suum Sacerdotibus officia exhibeāt, seruos Dei honorent, ad ornatum quoque altaris vel Ecclesiæ aliquid conferant: non tamen adhibent studium, vt etiam mores suos excolant, actus emendent, vitia deponant, castitatem colant, iracundiam mitigent, auaritiam refrenent, rapacitatem reprimant maleloquia & stultiloquia vel scurrilitatem, aut obtrectationum venena ex ore suo vomant. Hi quemadmodū Gabaonitę qui audiētes, quod fecerit Dominus in mari rubro & in deserto, ad clementiam Iosue deprecandum venerunt, nihil tamē fide dignum aut tantarum virtutū admiratione gesserunt, ignobilitate notantur, nec in partem sortis Sanctorum pp fictā pęnitentiam recipiuntur. An nos non plerique tales? Ne simus tales, vos per vestram salutem oro. ne in nos quoque dicatur, *viri Niniuitæ surgent in Iudicio* cum Christianis, *& condemnabunt generationem istam*, Hæbraica pęnitentia nixam. Auerte Iesu benigne qui venisti saluare, pęnitentes. Amen.

Adagia.

Gabaonitarum fictio quid innuit.

FERIA V. POST PRIMAM Dominicam Quadragesimæ.

Filia mea male a dæmonio vexatur. Matth. 15. c.

CONCIO.

De virtutibus eijcientib. Dæmones.



POTERAT Tobias polline iecoris ambusti suffumigato, septiceps Dęmonium eiecisse a Sara, quam deperibat. Maioris tamen efficaciæ ego video apud Chananæam virtutes, quibus digna, vt ab eius filia pelleretur. Sed quas? Humilitatem amaram, patientiam constantem, & orationem ardentem. Hoc trino flagello ex Hyacintho, cocco, & bysso retorta texto, eiecit malignum: & hoc triplici aromate effumigauit Serpentem Ista ego in pręsenti discutio.

Polline effumigauit Sathanā Thobias.

Pōtifex Mosaycus quotiescunq. Sacris operabatur, aromaticū pollinē in acerra suffumigabat. Ita lego in Tabulis Leuitici. *Pontifex ingrediens interius. tabernaculū, ignē & incensum deferet ex altari.* Suauē itaq. odorē incēdebat, tū in Sanctuario, tū extra quandocūq; opus fuerat. Nam Aaron inter viuentes & mo-

expli. lo. Leui. 16. c.

morientes, quos sæuiens incendium depascebatur, quosque hiscens terra absorbebat in profundum, cum stetisset, thuribulum impleuit multo aromate. Cui bono? Credo, effumigandis Principibus aereis, Deoque suauitatis odore mitigãdo. Mysterium erat virtutum, quæ eijciendis Dæmonibus aptæ. Oratio quæ dirigitur *sicut incensum in conspectu* Dei, fugat Sathanam. Humilitatis *nardus* quæ *dat odorem suum*, pellit superbum. Patientiæ *balsamum* cuius *odor non mixtus*, profligat iniquum.

Et Pontifex Moysaycus.

Origenes ita secum differebat. Putasne dignabitur Dñs meus verus Pontifex, & a me suscipere partem aliquam incensi compositionis minuti, quod secum deferat ad Patrẽ? Putas ne inueniet aliquid igniculi, & holocaustum meum ardens, vt dignetur ex eo thuribulum implere carbonibus, & in ipsis Deo patri odorem suauitatis offerre? Beatus est, cuius tam viuos, tamque ignitos holocausti sui carbones inuenerit, vt eos aptos iudicet, quos altari superponat incensi. Beatus in cuius corde inuenerit tam subtilem compositionem minuti, virtutum suauitate compositum, vt replere dignetur ex eo manus suas. Infelix anima, cuius fidei ignis extinguitur, & refrigescit charitatis calor; ad quam cum venerit cælestis Pontifex noster, quęrens ab ea ignitos ardentes carbones, super quos incensum offerat Deo Patri, inuenit in ea aridos cineres, & frigidas fauillas. Tales sunt omnes, qui subtrahunt se, & longe faciunt a verbo Dei, ne audientes sermones Diuinos accendãtur ad fidem, incallescant ad charitatem, ignitantur ad misericordiam. Infelix tu, cum te inflammauerit furor, cum te repleuerit iracundia, cum te accenderit libido. Alienus est iste ignis & contrarius Deo. Hunc ignem qui accendit, sine dubio Nadab & Abiu perferet fortè, cum Sathana in inferno. Qui vero in humili oratione dicit; *concaluit cor* (vt Dauid dicebat de se,) *meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*; quique pollinem minutæ compositionis aromatum virtutis inspergit ignito cordi suo, is partem habet cum Sacris Mystis, Aaron & Thobia: quorum alter Deum placauit, alter Sathanam effugauit.

Et nune mo potest

Primam humilitatem examino, sed illã amarore plenam. Dracus infernalis, scio quia non alibi dormit, quam, vt Iobus ait, *in secreto calami*; scilicet in mentibus elatis, & typho superbiæ inflatis. Per calamum, *explicat Gregorius*, nitor gloriæ exprimitur, & secularium mentes, temporali glorię deditę designantur: qui tanto apud semetipsos intus manescunt, quanto alti & nitidi exterius ostenduntur. quia dum ad exteriorem gloriam per superficiem defluunt, nulla intus firmitate solidantur. More quippe calami, inanitus sunt quidem per fatuitatem vacui, sed foris per speciem & ostentationem pulchri. Sed quanto ab eis exterior gloria studiosius quęritur, tanto eorum corda grauioribus cogitationum stimulis agitantur. Vnde recte Behemot iste, in secreto calami dormire perhibetur: quia quorum studia ad appetitũ temporalis nitoris atque altitudinis cõmouet, eorũ corda tenacius tenet, & quasi ipse ibi quietus dormit, vbi eos quos possidet, quiescere nõ permittit. Dũ enim excedere cæteros bonorum altitudine ambiunt: dum more calami per nitorem exterioris mũdicię iustorum speciem, quasi solidarum arborum corticem, vincunt; in hoc quod ipsi interius vacui remanent

1. Humilitate. Expl. Io. Iob. 41.

Quam in secreto calami dormiunt.

Et in locis humẽtib. quiescens.

nent, locum Behemot isti, vbi apud se requiescere debeat præbent.

Dormit adhuc Dracus & *in locis humentibus*. Loca humentia sunt terrenorum mentes, quas humo carnalis concupiscentiæ, quia replet, fluidas facit. In quibus Behemoth iste, iniquitatis suæ vestigia tanto altius imprimit, quanto in eisdem mentibus, per transitus illius quasi in fluxa terra descendit. Loca quippe humentia, sunt opera voluptuosa. Pes autem in arida terra non labitur; fixus vero in lubrica vix tenetur. In locis ergo humentibus, iter vitæ prætentis faciunt, qui in hac ad justitiam recti stare non possunt. In his itaq; locis humentibus Behemoth dormit; quia in reproborum hominum lubrica operatione requiescit. Nonnulli vero loca humentia, membra impudica suspicantur. Quod si ita est, quid apertè aliud locis humentibus nisi luxuria designatur, vt & per calamum gloriæ superbia, & per loca humentia luxuria corporis exprimatur. Duo quippe hæc sunt vitia, quę humano generi immaniter dominantur. Vnum scilicet spiritus, atque aliud carnis. Elatio namque spiritum erigit, luxuria carnem corrumpit. Antiquus itaque hostis, humanum genus, vel per elationem præcipue, vel per luxuriam premens, *in secreto calami atque in locis humentibus dormit*; quia hominem damnatum, sub ditione suę dominationis aut per elationem spiritus, aut per carnis corruptionem tenet. Quosdam vero in vtroque possidet: quia cum eos superbię spiritus eleuat, a tumore suę altitudinis, nec verecũdia corruptionis inclinat. Contra hos, an sint aliquę virtutes in Ecclesia? Sunt vtique plures, ex quibus prima humilitas: sed amara.

Expl. loc. Gen. 34. & instar Sychemi animas opprimit

Audio eundẽ Gregorium, Dinæ amores exponentem. Scriptum est inquit. *Egressa est Dina vt videret mulieres regionis illius, quam cum vidisset Sychen filius Emor Princeps terræ illius, adamauit & rapuit, vi opprimens virginem. & conglutinata est anima eius cum ea, tristemque blanditijs deliniuit.* Figuratè exprimitur, quia hostis callidus mentem quam peccato supplantat, cum de ruina sua afflictã respicit, securitatis pesti feræ blãditijs seducit. Dina quippe, *vt mulieres videat extraneæ regionis egreditur*, quãdo vnaquaque mens sua studia negligẽns, actiones alienas curans, extra habitum atque extra ordinem proprium vagatur. Quam *Sychen Princeps terræ illius opprimit*: quia scilicet inuẽtam in eu ris exterioribus diabolus corrũpit. Et *conglutinata est anima eius cum ea*: quia vnitã sibi per iniquitatẽ respicit. Et quia cum mens a culpa resipiscit, ad se ducitur, atque admissum flere conatur, corruptor autem spes & securitates vacuas ante oculos reuocat, quatenus vtilitatem tristitię subtrahat; rectę illic subiungitur, *Tristemque blanditijs deliniuit*. Modo enim aliorum facta grauiora, modo nihil esse quod perpetratum est, modo misericordem Deum loquitur: modo adhuc tempus subsequens ad pœnitentiam pollicetur. Vt dum per hęc decepta mens ducitur, ab intentione pœnitentiæ suspendatur. quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala contristant, & tunc plenius obruatur supplicijs, quæ nunc etiam gaudet in delictis.

Hinc habeo amuletum certissimum contra spiritum superbiæ, qui semel aliquam insedit mentem, Humilitatem amaram. Rex iste superbiæ, neminem inhabitat, nisi Filios superbiæ. Porro neminem tantopere fugitat, quam Filios lacry- *maxime expauescit.*

H marum

narum, post myrrhā mortificationis, guttam humilitatis destillantes. Quemadmodum aquæ & ignis cōtraria est societas; sic quoque contraria sunt inter se, superbia & humilitas. Aqua ignem extinguit, humilitas superbiam. Sicut species aromaticę, cum in puluerem rediguntur, vehementer redolent, & fætorem expellunt; ita hominis anima cum per humilitatem quasi commi nuta fuerit; Deo est gratissima; cęterum Satanę qui aufugit, sat insuisa.

Deoque locū cędit

Ruth Moabitis dū spicas colligeret post terga metentium, cum a Booz permissa, lubens intingeret buccellam suam in aceto communicato, maximopere placuit Patrifamilias: Huic enim de industria iussit relinquere spicas demessas. Sic & ista Chananitidis, cum Apostolorum vestigijs inhęreret, atque ab eis peteret vel granum vnicum medelę pro Filia, atque illam aspiceret Christus humiliter adgeniculari pedibus suis, & magno contritionis dolore affligi, miseratus est. & non vnicum tantum granum, sed totum horreum benedictionis suę illi permittens, Sathanam ante cuius faciem pręcedit egestas, a filia eius, profligauit. Hoc indicio pręcipue significans, spiritum tumoris ab anima depelli, non nisi propter illud dictum, *Magna est velut mare contritio tua*.

Cuius tropolog. Ruth.

expli. loc. Zach. 1.

Zacharias propheta viderat *per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo*. Virum, flammeo ardore erubescentem tolutarium ascendentem, non aliū accipio, quam Iesum, qui flammea charitate humanitatem ardentem assumpsit, atque in ea ad nos accessit, & Principem tenebrarum exterminauit. Hic transiliens montes & colles superbos, amat stare in mente per humilitatem profundata, & myrto amaritudinis adornata. Quæ anima talis, ad hanc Christus inclinat, & ex hac veterator exulat. Talis Chananea, a demissa humilitate, ab amaro amarore; ideoque digna a cuius Filia pelleret Malus.

Et hieroḡl. myrteta.

Et Acetum quo Cleopatra vniones.

Ferunt vniones macerari aceto, qui solent esse delicium sorbile alicui regi. Hoc pacto vnum macerauit Cleopatra & ipsa desorpsit, mox alterum Antonio porrectura. Cleopatræo ferculo dulcior est gēma cordis, Sacrificium Deo spiritus contribulatus, hac acrimonia humilitatis amaræ temperatæ.

Et Annibal Alpes resoluit.

Ferunt acetū Punicum laxare e solidas compages alpium. Hoc enim inuento laxauit Anibal Pœnus: Acetum amari spiritus, dissoluit & frontem Adamantinā peccatoris, & cautes horridas peccatorum, & ex petreo corde pellit serpentem inerrantem.

2. Patientia.

Sed alteram virtutem Chananeæ examino, *Patientiam* videlicet *constantem*, per quem eijcitur Satan. Appellat illam Christus nomine canis: illa tamen nequicquā mouetur, sed cum ad verbum contumeliosum obdurasset, fatetur se talem, & humiliter atque constanter infert. *Nam & catelli edunt de mensa Dominorum suorum*: ¶ Diuus Chrysostomus mirabatur constantiam Annæ vxoris Elcanæ, quod cum in oratione amaro esset animo, ab Heli sacerdotis puero temulentiæ insimulata ebria audierit. Dixit enim illi puer Heli. *Quousque eris ebria? Discute vinū tuū abs te, & recede a cōspectu Domini.* Hic potissimū licet, huius mulieris philosophiam contemplari. Domi exprobrat ęmula. venit in templum, & Sacerdotis puer afficit illam contumelia, & increpat ipse sacerdos. Effugerat domesti-

laudata in Anna Elcanæ

mesticam tempestatem. venit in portum, & rursum inuenit vndas. venit acceptura medicamen,& vulnus exasperatum est. Scitis quomodo animi in mærore constituti, aduersus contumelias & conuitia sint affecti. Quemadmodum acerba vulnera, ne leuem quidem manus contactũ ferunt: sic & animus perturbatus difficilis est ac morosus, & ad omnia indignatur, quouisque verbo mouetur ac offenditur. Verum hoc nõ accidit mulieri, ne tum quidem cum a puero cõuitijs peteretur. Nam si Sacerdos fuisset conuitiatus, non erat perinde miranda tolerantia: propterea quod dignitatis magnitudo, ac magistratus autoritas, vel inuitam illam compulisset ad modestiam. nunc vero nec aduersus Sacerdotis puerum indignata est: quo magis etiam sibi conciliauit Deũ. Sic enim res habet, quoties opprobrijs milleque malis affecti, conuiciantes excelso ferimus animo, & inimicum generis humani magis confundimus, & maiorem nobis a Deo beneuolentiam conciliamus. Vnde patienter illa dixit verba plena Philosophiæ, multaque referta mansuetudine, *Nequaquam Domine. Sed mulier infelix nimis ego sum. Vinumq; & omne quod inebriare potest non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini. Ne repures ancillam tuam, quasi vnam de filiabus Belial. quia ex multitudine doloris & mæroris mei locuta sum vsque in præsens.* Obserua quomodo nec hic commemorat æmulæ cõuicia, neq; traducit illius malitiam, nec domesticam calamitatem exaggerat euulgans, sed hactenus aperit suam calamitatem, vt tantum sese apud Sacerdotem purgaret. Neq; ait, deprecor Dominum, Supplico Domino, sed *effundo animam meam coram Domino*. hoc est meipsam totam conuerti ad Dominum, mentem meam exinaniui apud illum, toto animo totaque virtute precationem meam peregi, Deo narraui calamitatem meam, ostendi vulnus; ille potest dare remedium. Rursus ancillam appellat seipsam, multam adhibens curam, ne a Sacerdote malam referat opinionem. Nec apud se dixit: Quid mihi curæ est istius calumnia? Ignoranter ac temere accusat, suspicatur vbi nihil erat opus. Mea conscientia pura esto, & omnes me traducant. Sed Apostolicam impleuit legem, quæ iubet, vt prouideamus bona, non tantum coram Domino, sed etiam coram hominibus. atque omnimodo suspicionem depulit, cum ait. *Ne des ancillam tuam in faciem, in filiam pestilentem*. Quid autem est in faciẽ? Ne me existimes effrontem & impudentem esse. Angoris non vinolentiæ est hæc audacia, mæroris non ebrietatis. Vnde cum audisset ab Heli. *Vade in pace dabit tibi Dominus Deus Israel omnem petitionem, quam ab eo petisti*; ex accusatore fecit patronum. Tanta res est humanitas ac mansuetudo. Pro contumelia, copioso accepto viatico discessit, eumq; nacta est propugnatorem & intercessorem, quem habuerat obiurgatorem.

Par vel forte an superior Chananæa quam illa. Illa a puero conuicium audit, vel etiam esto ab ipso Sacerdote. quod seruus vilis, puer petulans, Sacerdos autem ignarus, poterat conuitij lenire dolorem: hæc autem ab ipso Deo quo nihil maius, qui nouerat abscondita cordis amari. Illa a Dei ministro, a quo prouocatio fuit ad ipsum Deum, qui est adiutor & Solamen in tribulationibus, quæ illam inuenerant nimis, hæc autem & ab Apostolis, qui importunam appellabant, & ab *magis vero in Chananæa.*

 ipso

ipso fonte consolationis tribulationem, a medico vulnus, a mansuetudine ipsa opprobrium passa. Illa audit, *ebria & temulenta*, quod vitium quandoque mærentibus per missum. datur enim sicera & vinũ, his qui amaro sunt animo; hæc autem Canis indigno vocabulo signata, quod ingenuæ mulieri probrum. Illa forte sola in templo eiulans, a solo & coram solo Sacerdote iniuriam tulit; hæc coram duodecim discipulis, & coram innumera populi caterua. Et vide quomodo posuit faciem suam vt Adamantem durissimum. repulsa a discipulis tacet; confusa a Christo non tacet, sed modeste fatetur. Verum equidem est, quia ego canis. cæterum scio quia & catelli comedunt de mensa Dominorum suorum. Magnam fidem, Magnã patientiam, Magnam humilitatẽ; quæ tres sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs, penetrantes corda inimicorum regis, a quibus ille sauciatus, primum ab animo supplicantis, postmodum a corpore filiolæ abscessit.

Patiẽtia virtutis. Et certe si aliquod est flagrum cõtra superbiæ & iracundiæ dæmonium, est intolerabile illis, patientiæ conuitiorum. Scitè Chrysostomus. Quemadmodum si insles in scintillam ignis, excitas incendium; contra vero si inspuas, extinguis. & vtrunque tibi in manu est, quoniam vtrunque ex ore tuo proficiscitur. Idem fit, si conuitijs asperseris proximum, si inflatos ac vecordes ingeras sermones, excitas ignẽ illius & accendis carbones, & te Dæmonio committis; sin mites ac moderatos admoueas sermones, si illatos contumeliæ plenos toleraueris, priusquam excandescat, iram omnem extinxeris.

Symbola. Vt Olympiæ porticus vocem receptã arte septies reddit, vnde heptaphonon oppidani vocãt. Ita quosdam si vno tangas conuicio sexcenta regerunt, aut si paucis ad loquendum prouoces, garriendi finem nõ faciunt: si tacueris & patienter tuleris, nihil plane mussabunt.

Lacus Lucernensis, si quis data opera aliquid vel minimum inijcit in illum fremit; quod non facit si casu: sic & hominem facile prouocaneris, si studio in eum aliquid reieceris. Piscium abdomine effuso prohibentur lacus in Noruegia gelascere: ita mansuetudinis oleo affuso, non possunt animi gelu iracundiæ rigere. Narrabo quid patientia conuitiorum meruerit Eulogius presbyter Alexendrinus. *exempla. 1 Eulogius.* Is leprosum quendam domi susceptũ iã per annos quindecim benignius quam dici potest, aluerat, & tandem pro tanto pietatis officio conuicia excipiens, & ab eo cui amore Christi contempto contagiosi morbi periculo, suis ipse manibus ministrabat, contumelijs assidue affectus, iam, quid ageret nesciebat. Antonium ergo Abbatem consuluit, *vtrum illũ dimittere deberet, a quo talia patiebatur?* Vtrique consultum est: modicum ad huc sustinerent, donec alter sicut pietatis ita & patientiæ meritum impleret: alter ingratitudinis vitium emendaret, ne grauiorem animi quam corporis leprã incurreret. Itaq; cum admoniti, tranquillius manere simul cœpissent, Eulogius dies 40. super vixit, leprosus die tertio post eum obijt. Pius ergo ac patiens Eulogius consilio saniore vsus, geminæ tandem virtutis diademate meruit coronari. Quod nequaquam meruisset, si illum quẽ languentẽ misericorditer acceperat, ingratum impatiẽter repulisset. junxit pietati patiẽtiam, & binã adeptus est coronã. Dabo ex fœmineo sexu eidẽ statui exempla.

Saram

Sara. Saram inprimis Raguelis filiam quę ab ancillis probro petita, quasi interfectrix esset maritorum, non ad vindicandam ignominiam animum appulit, sed ad Deum preces porrexit. vt sicut crimine se carere nosset, ita infami a liberaret. Inde illa quæ iam septem maritis orbata fuerat, in octaui Thobię thalamo feliciter conquieuit, multoque cum illo rerum successu lętata est. Tantum profuit non vindicasse contumeliam, sed pro abolenda orasse. Et hodierna Chananea, cum repelleretur a Christo, non indignabatur, & cani bus comparata, magis se submisit. Quod ergo confidenter petierat, efficaciter obtinuit, dum contempta atque despecta mitis modestiq; animi constantiam non amisit. *Paula.* Paula quoque Grachorum stirpe nobilis, sed nobilior vitæ humilitate se ostentat. hæc cum omnia contempsisset propter Christum, nec ipsa quidem morsu hominum carere posset, nihil quicquam moleste ferebat. Cumq; audisset se quorundam judicio stultam ac mentis emotæ; quin quid lego? a consuetudine Diui Hieronymi, non vsqueq aque mundam reputari: *Theatrum*, inquit, *facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum, sed stultum Dei sapientius est hominibus*. Et nos quid? Pro vno verbulo, quam contumeliosi? — — Sed relinquo.

Oratione. Tertiam virtutem profligando demonio, adiunxit Chananea, Orationem videlicet. Docta forte a Dauide. qui orabat, *Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*. Si cremium iecoris ex pisce Euphrateo non potuit sustinere malus, vt a suffitu eius non statim discederet: multo magis non potest suffumigationem incensi orationis sufferre, quin non illico animam relinquat. præsertim si titiunculo aromatario Sanctæ fortitudinis percussus.

Paternianum in deserto Aegypti abbatem, qui postea Vtis, illius regionis oppido Episcopatum gessit, sub puellari figura dæmon semel agressus est. *Paterniani facinus.* Cum iam diej vesper esset, ei in limine monasterij stanti apparuit dicens: *Seruam se cuiusdam principis viri nouitiam esse, & dum ad aquam hauriendam missa esset, viam aberrasse: proinde orare, vt sui misertus nocte illa sibi locum intra monasterij septum concederet, ne forte foris manentem solitudinis bestiæ laniarent*. Pietate motus Paternianus puellam admisit: & cum attentius eam spectasset, formam admiratus, concupiscere cæpit. Verumtamen ad se reuersus, illicitum in præcordijs sensum non sine inimici opera prouenire intellexit: ac oratione jaculatoria præmissa, protinus ex foculo, qui iuxta erat arrepto torre, faciem puellæ percussit, atque ita omnem malam tentationem cum tentatore simul effugauit. Hoc siquidem dæmonium, vt jeiunio, ita & oratione depellitur.

Itaque & nos dilecti, Si forte in arundineto nostro, vel in inaquoso aliquo dedimus locũ diabolo, triplicem istum funiculum Chananeę arripiamus. Sed in tempore opportuno. jncipiente maligno suum affundere caput, medicorum imitanda prudentia est. statim ad remedium recurrendo, neque patiendo vt malum curatoris dilatione inualescat. Si facimus, sique hoc flagrum distringimus, fugiet & a nobis, locumque dabit Iesu, Demoniorum profligatori Regi qui regnat in secula. Amen.

FERIA

FERIA VI. POST PRImam Dominicam Quadragesimæ.

Erat autem Ierosolymis Probatica piscina, quæ cognominabatur Beth-saida, quinque porticus habens Ioan. 5.

CONCIO.

De affluentia meritorum passionis Christi.

Mare fusile. 2. Paral. 4.



ABLVENDIS Hebreis, in veteri lege, labro Mosayco facto ex speculis mulierum, fufecerat Salomon Mare fusile, cuius gyrum ambiebat funiculus triginta cubitorum. Mari autem portatili siue conflato ab aliquo Balthasaro, siue ex Templo Salomonis elato, supparauerat Deus probaticam piscinam, in qua Angelus statis diebus descendens *commouebat aquam, & sanabatur vnus*. Melioris autem Testamenti Angelo Saluatore succedente, virtutemque suam immensam in orbē diffundente, in locum Probaticę aquę, successit, *Fons Patens domui Iacob* in qua ille regnat in æternum, *ad ablutionē peccatoris atque menstruatæ*. Sed quis ille? Affluentia meritorum Passionis ipsius, per hos quinque tullios corporis in Cruce vulnerati, de quibus mihi sermo. Vos qui sitientes, qui male habentes, qui sordide squallentes, adeste inebriandi, persanandi, abluendi in hoc mari magno, sanguinis Iesu pretiosi.

explic. lo. Gen. 2. & fons quadripertitus paradisi. Olim ad irrigandam uniuersam terram, prout refert Aboriginum author; *fons ascendebat è terra, inebrians vniuersam superficiem terræ,* Egrediebatur quoque & *fluuius de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phison, ipse est qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum optimum, & bdelium, & lapis Onychinus. Nomen fluuij secundi Gehon, ipse est qui circuit omnem terram Aethiopiæ. Nomen tertij Tygris, ipse vadit contra Assyrios. Fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.*

typus meritorum Christi. Sanctior & copiosior scaturigo aquarum perennātium, & in vitam æternam salientium, nobis erumpit a benignitatis Fonte Iesu, diuisa ex quinque amplissimis riuis, quinque vulnerum eius. Illud profluuium primosluum, irrigabat terras; hoc vero terras, cælos & inferiores partes terræ. Illud humum vno verbo factam; hoc animas Diuinis manibus plasmatas. Illud ferebat aurum optimum; hoc lytron redemptionis animarum. Illud abluebat Aethiope; hoc homines Aethiope quouis tetriores. Illud rapiebat Assyrios hoc mentes Cælestes. Illud ditabat & amęnabat Babylonios; hoc pretiosioribus opibus & floribus vniuersum orbem. Quinque præcipue habemus, ex hoc Probatico Oceano quinque vulnerum Saluatoris nostri, ad salutem animarum nostrarum. 1. Aurum redēptionis, 2. Bdelium & Onychinū proffligationis Dæmonum, 3. Aquam ablutionis, 4. Sanctificationis, & 5. Diuitationis. Singula per ordinem examinabo. *ex sanguine Christi.*

1. q. redimit orbē. Petr. Hispan. p. 5. c. 12. Fluuius paradisi Phison, alluens *terram Heuilat*, proferebat *aurum optimum*. Huic similem esse perhibent in Orbe nouo, cui nomen est Zeneu, non procul ab insula Carthagena: quem tradunt auro magis scatere quam piscibus; cuius glebæ sunt sępe gallinacei oui magnitudine

ne. tum igitur accolæ retia in ipsum amnem demittunt, expiscantes magis auri glebas, quam pisces. Esto sit & Phison, & Zeneu, & Pactolus & Tagus vel quisquis alius fluuius ferax auri: non tamen eius precij & æstimationis quale generat, fluuius profundus sanguinis Iesu Christi. Auro illo parietes inaurabis, hoc animam. Illo seruum emes vel redimes, ex seruitute vel ad seruitutem corpoream, hoc vero Christus orbem redemit ex seruitute impura, inferna, dura & abominanda. Vnde huic tanta æstimatio? tantum pondus? Non aliunde quam ex vnione hypostatica ad illum Fontẽ, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.*

Auro. Sponsa proprijs coloribus depingens Christum, dicebat, *Caput eius aurum optimum.* Proinde quando ipse ad eã cupiens introire dicebat, *Caput meum plenũ est rore, & cincinni mei guttis noctiũ*, credo non alio rore, neque alijs guttis madebat, nec alias stillas in pauperem animam aspergere cupiebat, quam aureas, auro Diuini pretij æstimatas. Ab auro enim eliquato, non nisi aureæ stillæ, & à Deo homine, non nisi Diuinus sanguis. Porro Diuinus sanguis, vt & ipse Deus precium nõ habet, pote, omni precio maior. Has itaque aureas sanguinis sui pretio si guttas, afflictę sponsę instillabat, *Neque enim corruptibilibus auro & argento redempti sumus, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati.*

Syclo. Hostiam redemptionis quę in veteri lege pro peccato offerebatur, nõ alia moneta licitari licebat, quã *Syclo Sãctuarij.* Despicit Deus oẽm aliã fodinam: non enim illius ęquiualet iustitiæ aliud metallũ, præterquam ipsius charactere signatũ. illo scilicet qui *figura & imago substãtiæ et emanatio claritatis auri* Omnipotentis *Dei sincera*. quod eius pretiũ vt veteri populo innueret, non alio volebat emi hostias redemptorias, quam Sacrato Syclo, ex Iesu auriferis vulneribus deprompto.

Diuus Augustinus expendebat quid est quod Iudas Yscariothes precium sanguinis Iesu retulerit ad Pontifices; illi vero pro eo emerint agrum Hacheldema. Mysterium aperit. Quod autem *inquit*, triginta argenteos Iudas venditor prophanus refudit, indicabat nihil sibi Christi precium profuturum: sed salutis beneficium scelere suo alijs conferendum. quod vero refuso precio, emerunt ex eo agrum figuli in sepulturam peregrinorum, datur intelligi, ex illo emptam Ecclesiam. Figulus enim Christus est; ager Christi Ecclesia, acquisitio peregrinorum populus est gentium. Itaque Dominus noster in statera crucis precium nostræ salutis appendit, & vna morte vniuersum mundum sicut omnium Conditor, ita omnium reparator redemit. Totum enim mundum illico redemit, qui plus dedit quam totus mundus valeret. Meritum enim redemptę mercedis, dignitas insignis precij supergressa est. inter redemptum & redimentem dispensatio fuit, compensatio non fuit. Qui ergo non habebat peccata propria, recte & digne deleuit & redemit aliena. Solus hic pia victima pro omnibus cecidit, vt omnes leuaret. & quia debitum solus non habuit, recte fænus misericordiæ pro omnibus erogauit.

Ser. 114. de temp. Hachel-dema.

Fingant Poeæ Iouis aureos imbres, quibus sibi quandam amatam conciliarit. Concinent medici aurum potabile, a quo illi vitam pollicentur. Ab his quinque porticibus in Cruce probatæ piscinæ, quinque vulnerum Iesu fluit nobis aurum

Iouis imber.

rum pluuiale a quo cunctis redemptio; fluit & illud idem potabile, a quo captiuis redemptio, mortuis absolutio. Agnosce homo, *monet Augustinus*, quantum valeas, & quantum debeas; & dum tantam redemptionis tuæ persentis dignitatẽ, ipse tibi indicito peccādi pudorẽ. Ecce pro impio, pietas flagellatur; pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur. Damnatur iustitia pro iniquo, misericordia affi citur pro crudeli. Pro misero repletur sinceritas aceto; inebriatur felle dulcedo. Addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. Hinc intelligamus quantum hominem diligere dignatus sit ante culpam, quem sic diligit post ruinam.

2. Sathanam pellet. Fluuius paradisi Phison, terram Heuilath inundabat, in qua bdelium, & lapis Onychinus nascebatur. Heuilath, interpretatur dolens: & significabit recte, vallem istam plorationis, in qua exules filij Euæ suspiramus gementes & flentes. Bdellij gūma seu lachryma, qa est gustu amara & bene odorifera vt pote aromatica, serpentes fugare, & vermes noxios necare dicitur. Onyx Græce, nobis vnguis dicitur, quia est ad similitudinem vnguis humani, cum forma, tum colore, præsertim is qui Indicus. *Onychinus symbolū virtutis expulsiuæ dęmonis.* Habeo in hac valle lachrymarum, ex isto profluuio vulnerum Christi, virtutẽ immensam, qua spoliauit Principatus & potestates, & traduxit confidenter affigens cruci. qua iugum exactoris, & sceptrum bellatoris crudelis cõtregit, & de nostris ceruicibus detraxit. qua Pharaonem infernalem, in rubro sanguinis sui Oceano, vna cum curribus & æquitibus ipsius demersit. qua Principem mundi huius eiecit foras, & vngue Carpo omnia traxit ad seipsum.

Onychinus Arabicus nigricat colore, intercurrentibus candidis zonis. Talis erat sanguis Christi; qui in grummos collectus, nigricabat humilitate, sed fulgebat Deitate, quam maligni spiritus sustinere non poterant, quin ab aspectu eius non fugerent.

Onychinus Arabicus oculis obiectus, tristitiam excitat, timores multiplicat, & animos mouet ad ignes furibundos. Talis erat sanguis Iesu, qui Sathanæ obiectus, magnam illi tristitiam excitauit, ingentem timorem incussit, & ad furias prorit auit. quod videret hominem cui non erat aspectus, mortem prosternentem, inferi claustra reserantem, nihil ignes nec tenebras metuentẽ, vinctos in vmbra mortis euinculare, & omnes suos hostes in hoc eluuio obruere. O quam bene te tuo impetu diabole percussisti. Crudelitas tua tibi exitium, nobis attulit commodum. *August. ser. 122.* Tu certe ille es qui tibi Diuinitatis similitudinem arrogabas elatus, nunc ab homine Deo prosterneris superatus. Et quid mirum, si te vtpote creaturam tuā virtus Diuina vicisset? Sed hoc est magnum atque mirificum, vt de puluere assumeret, vnde tuam nequitiam prosterneret atque contereret. vt qui supra sydera superbus erigebaris, nunc a carne supereris. Ille igitur sanguis quem tu effudisti, te vicit, me redemit. Denique illum bibo, & veneni tui perniciem saluatus vltra non timeo. Prȩualuisti in paradiso, sed victus es de patibulo. Quid mihi circuniectam paradiso igneam romphæam opponis? Ecce exaltati crucifixi profluens vnda, restinxit versatilem flammam. Iam iam patet humano generi paradisus, in quem latronem, confitentem reduxit Dominus Iesus Christus.

De nostro flumine Naruia prodi dit Cromerus, quod nō ferat venenosa *Naruia fluuius.*

1. lib. de-scrip. Po-lon. nosa animantia, vsque ad eo, vt serpentes in Bugo flumine delati adhuc ferint edito sibilo refugiant, cum primum Naruiæ aquam attigerint. Maior vis inest Sanguini precioso Iesu Christi, ad fugandos dęmones, vt ne aspicere, nedum contingere possint, aliquã ex his Porticib. quinque exundantibus medicatũ Cruorem. In hoc enim Probato profluuio, *confregit capita draconis, & contribulauit eadem in aquis*. In hoc eodem fluuio nouus Tobias, cum sanguini suo innaret, magni illius Leuiathan branchiam apprehendens, vngue *Iob. 40.* virtutis suæ discerpsit, jugulauit, *sudibus perforauit nares eius, fune coccineo ligauit linguam, armilla perterebrauit maxillam, & posuit circulum in naribus eius*, atque *in profundam abyssũ* semicæsum detrusit.

Plin. lib. 6. c. 32. 3. ani-mal inal bat. Referunt qui viderunt, ex nonnullis arboribus, aquam & lac distillare Distillat in Fortunatis insulis, aquarum scaturigo, a cuiusdam arboris tum stipite, tum a ramis ac folijs, non aliter atque si nebula in aquas solueretur. In Hispaniæ autem gleba similiter ab arboribus exciso ramo lac effluere dulcissimum, Strabo tradit. Profluant non profluant, non inquiro. Ab hac tamen Crucis Iesu arbore, *fluminis impetus* aquei & lactei deriuat *qui lætificat Ciuitatem Dei*, propter nitidationem, a qua qui *lauerunt stolas suas in Sanguine Agni*, inalbantur.

Gehon quid. Fluuius Gehon inundans Aethiopiam, non tamen potest illas gentes candidare. Candidat hic ex vulneribus Iesu emanans sanguis, non tantũm Aethiopes, sed & omnes, quorum denigrata est animæ facies, super omnes carbones. *Si fuerunt*, inquit, *peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & quasi byssus, alba erunt*. Hic est fluuius quem pol- *Ezech. 36.* licebatur Deus deriuare, cũ diceret per Ezechielem prophetam. *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos*. Hoc est canale regalis tincturæ, in quo Patagium animæ nostræ inauratur, vt de sponsæ capite, *comæ* auratæ dependeant, *Sicut purpura regis vincta canalibus*: ipsa vero de hoc lauacro emergat *in vestitu deaurato circumdata varietate*. hæ sunt vrnæ Iacobeæ, ex quibus bibentes oues spirituales, aureo vellere uariegatos multicoloribus virtutum fœtus concipiunt.

Cuidã Imperatori ferunt Iouem apparuisse, & manu permulsam barbam eius in auream demutasse. Falsum. Noster Iesus si quem in fluuio sanguinis sui immerserit, totum inaurat, totum Diuinat. *Aurea barba.*

Tradidit Solinus in Bęotia duo esse flumina separi natura, ex quorum vno si ouillum pecus albescens debibat, pulli fieri coloris; ex alterius haustu, quæcunque vellera fusca sunt in candidum verti. Aelianus quoque ait, Scamãdrum Troianum fluuium, ex aqua sua potantes oues fuluas efficere. Efficiat vel non. Nobis scitum, sanguinem Iesu Christi ex quinque eius foraminibus profluentem candidare peccatores, & multiuario colore justos jllustrare. An audistis Agneté confitentem; *& sãguis eius, inqt, ornauit genas meas?* Vniones & lapides pretiosi, nõ tam ornant collum, vel caput vel manus alicuius, quam ornant guttæ sanguineæ stillantes ex his quinque porticibus. Aristoteles ex Policrito res Siculas enarrãte retulit, jn loco quodam mediterraneo stagnum quoddam esse exiguum, *ambitum clypei habentem* atque id habere aquam pellucidam ac reliqua non turbulentiorem. Si quis igitur se loturus in hunc deuenerit, in magnum spa- *Solin. ca. 12. Aqua colorantes. lib. 8. ca. 20. Fons aut stagnum mirabile de admirand. c. 108.*

I uum

tium dilatatur. quod si rursus alij multo etiam dilatatur, deniq; in tantum spatium, quantum ad capiendos quinquaginta homines sufficiat: quem numerum vbi cœperit, rursus ex profundo ex tumescit, corpora que se lauantium in sublime extollit extra se in solũ aridum: quod cum factum fuerit, iterum in prioris ambitus formam decrescit. Voluit Auctor naturæ Deus, vestigium aliquod prostare in natura, quod haud credulos manuduceret, in cognitionem affluentissimi fontis sanguinis Iesu. Clypeum & iste sanguineus lacus mihi refert, quo me defendit ab Exterminatore maligno. Cæterum non tam angustus est, vt me solum tegat; potest obumbrare & vniuersum superum & inferiorem orbem. Nec obumbrare tantum, sed & ad vsum thermarum sese prolatare, in ablutionme peccatoris, quisquis est in via, peccator, & depuratione hemorrhoissæ animæ, quæcunque est in via, sanguinis profluuio conspurcata illa. Da decem, da viginti, da triginta, da quadraginta, da quinquaginta decades, vel millia; tantum modo non excedant numerum Iubilæi quinquagenarium; Hæc piscina quinque porticuum vulneratorum, sese dilatabit, receptabit, inalbabit.

Allusio ad annos Iubilæi.

Homo pictor sui.

Nimis ex vero Origenes, hominẽ quemlibet sui ipsius Pictorem esse pronunciauit. Cum te libido fuscauerit, *inquit*, induxisti vnum colorẽ terrenum. Si vero & auaritiæ studeas, miscuisti & alium. Sed & cum te ira sanguineum facit, addis nihilominus & tertium. Superbiæ quoque additur fucus, & impietatis alius. Et sic per singulas quasque malitias, velut diuersis coloribus congregatis, hanc imaginem terreni quã in te Deus non fecit, tu tibi ipse depingis. Propterea venit ille qui dicit per Prophetam, *Ecce ego deleo sicut nubem iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua*. Et cum is deleuerit omnes istos in te colores, qui ex fucis malitiæ sumpti sunt, tunc resplendebit in te imago illa, quæ a Deo creata est.

Mystolog. Ios. 3. v. 7. 4. ornat.

Iosue cũ transisset Iordanem, audiuit a Deo: *In hac* inquit, *die incipio exaltare*, alij vertunt, *magnificare*; alij *Sanctificare te, in conspectu populi mei*. mystologia insinuat, hominem quemcunque Sanctificari, ab ascensu huius Fontis sanguinei.

Tygris, sagitta.

Quæris vnde ista Sanctificatio ex Tygride, qui vadit ex Paradiso contra Assyrios? *Tygris*, idem est quod *sagitta*, et significat sagittas amoris, in hoc fluuio sanguinis Iesu reconditas: quæ cum animam vulnerauerint, inextinguibiles Radios in ea excitant, & his radijs illam ornant. Da mulierem alicuius viri amore ardentem, cupientemque in consortium eius asciscí, non ne omnia ita aget, & omnes motus suos ita têperabit, vt scit illi placere, quẽ diligit; ne forte si in aliquo contra voluntatem eius gesserit, cõsortia eius vir ille optimus refutet atque spernat. poteritne hęc mulier quæ erga amorem viri illius toto corde, tota anima, totisque viribus feruet aut adulterium committere, quæ eum nouerit amare pudicitiam? aut homicidium, quę eum nouerit mitem? aut furtum, quæ ei sciat liberalitatem placere? aut concupiscet aliena, quæ omnes suas concupiscentias erga amorem viri illius habeat occupatas? Da animam, quæ hac sagitta carbonis desolatorij icta, præsertim cuius *oculi* spirituales, transformati a contemplatione, sunt *quasi* ipsæ istę, *piscinæ in Hesebon, quæ prostant in porta filiæ multitudinis*, scilicet sicut ipsa quinque vulnera Iesu: an ista talis ab hoc bal-

Cant. 7. Mystolog. piscinarũ Hesebon.

neo

neo non clamabit? *vulnerata charitate ego sum? An stipate me malis fulcite me floribus*, scilicet orna me mi Iesu virtutibus, non geminabit? Respectas enim in has sanguineas piscinas, non tanquam Elephas ab vuæ sanguinæ proritabitur, sed inflammabitur amore.

expli. Ver. Ps. 119. Carbones ornant. libro 17. originũ. c. 17. Illum versum Psalmographi, quẽ nos legimus, *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs*; Hieronymus alijs legebat, *cum carbonibus juniperorum*. Scio ex Isidoro, juniperum arborẽ sic dictam esse, quod conceptum diu teneat ignem, adeo, vt si prunę ex eius cinere fuerint opertæ, vsque ad annum perueniant.

Hic grumosus sanguis ex vulneribus mei Iesu excretus, sagitta est carbonis juniperi, incendens animam. quę quia ex carbone in Carbunculos pretiosos versa est, adornat eandem. Hoc carbone grumoso percussa aliqua pia columba, dũ iuxta has piscinas Originarias residebit, dicet ad se. Meus Iesus non elatus; meus sponsus non iratus; Meus dulcis non pollutus. Sanguis iste non clamat vindictam, non gastrimargiam olet, non vitio alio inquinatus sordet. sanguis iste immaculati, immaculatus & ipse. Quid ni & ego immaculata? non inquinata? impolluta? O stipate malis. O stipate me floribus virtutum. Felicem animam, cui *sagittę carbones*, vertuntur in pyropos ornantes.

5. diuitat Thrames *Euphrateus* a frugifero alluuio dictus. Sed non tam ille suas terras, quam iste a quinque vulneribus suis, animas diuitat; gratia, virtutibus & gloria. Erit tempus cum hoc aurum, has gemmas, hos vniones, hanc fauillam ditem proferamus, ad Regna capessenda. Hortor, obsecro, supplico, vos, *Omnes sitientes venite ad* has *aquas*, ad hoc aurum. *Et qui non habetis argentum*, ne animum despondete, venite: Aurum pro nihilo emite. *Absque argento*, absque *vlla commutatione, vinum & lac*.

Tomyris in Crassum & Cyrum facta. Tomyris Scytharum Regina, aurum liquefactum in os gutturque Crassi Romani infundẽs, etiam maledictis insultauit; *Aurum sitijsti, auro igitur sitim leua*. Non insultat Iesus, sed inuitat ad poculum auri sui potabilis, dicẽs; *Aurum meum si sitis; & sitim exple; imo, & inebriare*. Item eadem Tomyris cum Cyrum Persam prostrauisset, mortui caput in humano cruore repletum vtrem demittens dicebat: *sanguinem sitijsti, sanguinem bibe*. Non exprobrat Iesus, sed inuitat; *sanguinem meum sitijsti, sanguinem bibe*. Quo plus exhauseris, plus inebriaberis, ornaberis, diuitaberis, & ab hac cruenta Rosa mea rubescens, non erubesces in secula. Amen.

SABBATHO POST PRIMAM Dominicam Quadragesimæ.

Et duxit illos in montem excelsum seorsum &c. Matth. 17. c.

CONCIO.

De perfectione Christiana.



CVM Illustrem gloriam suã Deus Moysi manifestare vellet, noluit intra promiscuũ vulgus id facere, sed in monte excelso. Nõ est itaque mirandum, si Saluator Deus, magis illustrem gloriam noluerit Apostolis reuelare alibi, quã in monte. Sed in quo? Istum montem dum inquiro, Christianæ perfectionis

fectionis montem ostendo.

expli. lo. Iosu. 8. v. 33. Non vno, sed bino tramite incedebant Hebræi, ad terram promissionis. *Media enim pars eorum iuxta montem Garizim, & media iuxta montem Gebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini*. Quærens qui sint *Origenes*, tandem decernit. Mons, inquit, *Garizin* benedictiones habet; mons autem *Gebal* maledictiones, quæ peccatoribus imminent. *Mons Garizim perfectionis.* Statuerunt etenim (sicut scriptum est in Deuteronomio) sex tribus ad benedicendum in monte Garizin, & ipsas tribus quæ nobiliores sunt & eximię, id est, Simeon, Leui, Iuda, Isachar, Ioseph & Beniamin. Alias vero sex ignobiliores ad maledicendum: in quibus & Ruben, qui ascendit cubile patris & thorum maculauit paternum, & Zabulon qui est vltimus filius. Hęc quidem veterum historiæ referunt gesta. Sed quomodo nos hanc historiæ narrationem ad mysticam intelligentiam referemus, vt ostendamus, qui sunt isti qui incedunt iuxta montem Garizin, & qui sunt isti qui iuxta montem Gebal? Ego sic video, duas esse species eorum, qui per fidem festinant & properãt ad salutem. Vnam eorum qui promissionum cœlestiũ cupiditate succensi, summo studio diligentiaqne nituntur, ne vna saltem minima eos beatitudo pertranseat: habentes desiderium non solum benedictionis capiendæ, & effici in parte sortis Sanctorum, sed etiam adsistere in conspectu Dei & semper esse cum Domino. Alij vero sunt qui & ipsi tendunt ad salutem, sed non tam amore benedictionum vel promissionum ipsarum, quam hoc magis habentes in prospectu, & dicentes; Sufficit mihi non ire in gehennam, sufficit mihi non mitti in ignem æternum, sufficit non expelli in tenebras exteriores. Cum ergo in singulis quibusque fidelium talis sit propositi varietas, hoc mihi designari videtur hoc in loco, quod dimidij illi qui iuxta montem Garizim incedunt, illum qui ad benedictiones electus est, istos singulariter indicent, qui non metu pęnæ, sed benedictionum & repromissionum desiderio veniunt ad salutem. Illi vero dimidij, qui iuxta montem Gebal incedunt, in quo maledictiones prolatę sunt, istos alios indicent, qui malorum metu & suppliciorum timore, complentes quæ in lege scripta sunt, perueniunt ad salutem. Illi nobiliores, qui boni ipsius desiderio & benedictionum amore, quod bonum est agunt: isti ignobiliores qui pro mali metu, mala cauent & bona sectantur. Illi incedunt in monte Garizim ad capessendas benedictiones; isti in monte Gebal ad maledictiones, non vt illas accipiant, sed vt intuentes ex præscriptis maledictionibus pęnas peccatoribus constitutas, incurrere caueant eas.

Duos montes habemus exinde, perfectionis Christianæ, quos etiam Psaltes attigit, dum quæreret hominem, qui vellet vitam, diligeretque dies videre bonos. scilicet, *Declinare a malo & Facere bonum*.

1. Mons profectionis christianæ in peccãtia. Primum ascendo & denuncio: *homini Christiano necesse est ex volutabro luti exscendere, & in montem Gebal declinãdi a peccato, ascendere.* Diuo Hieronymo interprete *Gebal*, est *Terminus*, seu *limes diuidens possessiones*. *Gebal quid.* Nam ille diuidebat Hierichanos ab alijs. Recte significabit ad nostrum sensum, jmpeccantiam & jnnocentiam, quæ sola diuidit filios lucis a filijs tenebrarum; Christianos, videlicet a contluge barbarorum. Hoc termino jmpeccantię, gloriabatur olim *Tertullianus* contra Gentiles, se ab eis discriminari.

Si

qua Christiani differunt a gentilium Philosophis. Si de pudicitia *inquit* prouocamur: lego partem sententiæ Atticæ, in Socratem melioris sexus corruptorem pronunciatam. Sexum, nec fęmineũ mutat Christianus. Noui & Phrynen meretricem Diogenis, supra recubantis ardorem subantem. Audio & quendam Speusippum de Platonis schola in adulterio perijsse. Christianus vxori suæ soli masculus nascitur. Democritus excæcando semetipsum, quod mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, & doleret si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur. At Christianus saluis oculis fęminam videt; animo aduersus libidinem cæcus est. Si de probitate defendam: ecce lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis thoros alia superbia decalcat. Christianus nec in pauperem superbit. Si de modestia certęm; ecce Pythagoras apud Thurios, Zeno apud Prienenses tyrannidem affectant; Christianus vero nec ædilitatem. Si de ęquanimitate congrediar: Lycurgus apocarteresim optauit, qđ leges eius Lacones emendassent: Christianus etiam damnatus gratias agit. Si de fide comparem; Anaxagoras depositum hostibus denegauit: Christianus etiam extra fidelis vocatur. Si de simplicitate consistam; Aristoteles familiarem suum Hermiam turpiter loco excedere fecit: Christianus nec inimicum suum lędit. Item Aristoteles tam turpiter Alexandro regendo potius adulatur, quam Plato a Dionysio ventrisgratia vendicatur. Aristippus in purpura sub magna grauitatis superficie, (in cubiculum, mobilibus scalis, catarracta ferrea aperta, puellam admittebat, & ne falli posset, lecto catarractæ super positæ incubabat. In inferiore loco puellæ mater scalas amouebat, & mane illas postea restituebat) Nepotatur. Et Hippias dum Ciuitati insidias disponit, occiditur. Hoc pro suis omni atrocitate dissipatis, nemo vnquam Christianus tentauit. Vestros contestamur actus, qui quotidie iudicandis custodijs præsidetis, qui sententijs elogia dispungitis. Tot a vobis nocentes varijs criminum elogijs recensentur, quis illic Siccarius? quis manticularius? quis sacrilegus, aut corruptor, aut lauantium prædo? quis etiam ex illis Christianus ascribitur? Aut cum Christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? De vestris semper æstuat carcer. de vestris semper metalla suspirant; de vestris semper bestiæ saginantur. de vestris semper munerarij noxiorum greges pascunt. Nemo illic Christianus, nisi plane tãtũ Christianus: aut si & aliud, iã nõ Christianus.

In Apologetico ad uer. gentes.

id ẽ mortem ab inedia vel suffẽdio voluntario.

& 40. plus.

Nos Christiani soli jnnocentes. Quid mirum, si necesse est? Enimuero necesse est. jnnocentiam a Deo edocti, & perfecte eam nouimus, vt a perfecto magistro reuelatam; & fideliter custodimus, vt ab incontemptibili dispensatore mandatam. Quid enim plenius, dicere, *Non occides*? an docere. *Ne irascaris* quidem? Quid perfectius, *prohibere adulteriũ*? an etiam *ab oculis solitariam concupiscentiam arcere?* Quid eruditius, *de maleficio*, an & *de maliloquio* interdicere? Quid instructius, *jniuriam non permittere*? an *nec vicem jniuriæ sinere?* Nos itaque qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pęnam prouidemus, merito soli jnnocentiæ occurrimus, & pro scientiæ plenitudine & pro latebrarum difficultate, & pro magnitudine cruciatus non diuturni verum sempiterni, eum timentes quem timere debebit & ipse

Soli innocentes.

Difficile est latere omniscium.

se, qui timentes judicat, Deum non Proconsulem timentes.

Primus itaque mons perfectionis Christianæ Gebal est, idest innocentia & impeccantia, quæ sola Terminus est discernens inter Christianos & Philosophos, qui apud gentiles Sanctissimi censebantur, imo & inter alios communiter gentiles. Et quidē statim a princ'pio fidei, Christiani appellabatur Sancti. ita nonnullos Paulus in suis epistolis vocat Sanctos. Romanis scribens, ex formula prēmisit, *Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis Sanctis*. Sic & Corinthijs: *Omnibus* scripsit, *in Christo Iesu vocatis Sanctis*. Sic & Ephesijs, ex eadem formula, *Omnibus Sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu*. Porro hoc nomēn *Sanctus*, in Sacris scripturis significat *segregatum*. Sic enim primogenita boum vel pecorum, sic vasa dedicata in templo, sic stola pontificis Aaron, & tunica linea, & cætera huiusmodi vestimenta, sancta dicuntur. idest segregata a prophano vsu. Natus erat alicui primogenitus bos? non licebat illum occupare ad opus commune. Pateras vel phialas quas dicit sanctas: illæ sunt, quæ nunquam efferebantur de templo, sed semper erant in sanctis, nec vllis penitus humanis vsibus applicatæ. Vestimenta quoque Sancta nominantur, illa quibus Deo ministrans Pontifex induebatur, nec licebat ea de templo domum referre. Sic itaque olim Christiani dicebantur Sancti, quasi segregati a Gentibus; non habitatione, sed conuersatione; non Orbe, sed more; non locorum distantia, sed viuendi innocentia atque impeccantia. Si quis enim, *inquit Origenes*, seipsum deuouerit Deo, si quis nullis se negotijs secularibus implicauerit, vt ei placeat cui se probauit; si quis separatus & segregatus est a reliquis hominibus carnaliter viuentibus, & mundanis sceleribus obligatis, non quærens ea quæ sunt super terram, sed quæ in cęlis sunt, iste merito Sanctus appellatur. Quamobrem cum Christianis specialiter iubet Deus, *Sancti estote, quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester*, intellige quia hoc dicitur tibi. Separa te ab omni non solum homine, sed & fratre inquiete ambulante & non secundum traditiones Apostolicas. Separa te a terrenis actibus, & a concupiscentia mundi. *Omne enim quod in mundo est*, secundum Apostolum, *concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum*, quæ non est a Deo. Cum ergo separaueris te ab his omnibus, deuoue te Deo tanquam primogenitum vitulum. Non operetur per te peccatum, nec iugum tibi imponat malitia, sed esto semotus & segregatus, vsibus tantum Diuinis, tanquam primogenitum animal mancipatus. Segrega te & secerne tanquam phialæ sanctæ, & sancta thuribula, solius Dei ministerio vacans. Separa te & semoue ab omni pollutione pecca'i, & esto semotus atque segregatus intra templū Dei tanquam sancta indumenta pontificis. In templo namque Dei est segregatus & separatus ille, *qui in lege Dei meditatur die ac nocte*, & *qui in mandatis eius cupit nimis*. *Sancti* ergo *estote*, dicit Dominus, *quia & ego Sanctus sum*. q.d. Sicut ego segregatus sum, & longe separatus ab omnibus quæ adorantur vel coluntur, siue in terra, siue in cęlo; & sicut ego excedo omnem creaturam, atque ab vniuersis quę a me facta sunt segregor: ita & vos segregati estote, ab omnib. qui nō sunt sancti, nec Deo dicati. segregati autem, non locis sed actibus. nec regionibus sed conuersationibus,

[Margin notes: & sāti. — Rom. 1. — 1. Cor. 1. — Ephes. 1. — Hom. 11. in Leuit. — Leu. 20. Seu separati & impolluti]

sationibus. Denique & ipse sermo in Græca lingua, quod dicitur ἅγιος quasi extra terram esse significat. quicunque enim se dedidit Deo, merito extra terram, & extra mundum esse debet, atque dicere. *Super terram ambulantes, conuersationem in cælis habemus.*

Hierogl. innocent. Agnus. Ouis, Pisces. * Iam habemus primum montem professionis Christianę, Gebal, Terminum impeccantię & innocentiæ. quem si quis non attingit, indignus est ille cęlo. Apud Aegyptios, *Ouis, Agnus, & Piscis*, hieroglyphica erant innocentię. Tali vocabulo Christus suos agnominauit. Oues: vt innocentia Christiana ouibus æquetur. Agnos: vt agnorum naturam simplicem, simplicitas mentis imitetur. Pisces: vt illorum innocuitatem, vitę innocuitas & puritas repręsentet. Nihil .n. *vt Lactantius docuit*, sancta & singularis illa maiestas aliud ab homine desiderat quam solam innocentiam, quam si quis obtulerit Deo, satis piè religiosèque litauit. Ideoque etiam volebat, suos effici instar paruulorum. Sicut enim paruulus, *inquit Hieronymus*, non perseuerat in iracundia, non lęsus meminit, non videns pulchram mulierem delectatur, non aliud cogitat & aliud loquitur; sic & nos nisi talem habuerimus innocentiam & animi puritatem, regna cęlorum non poterimus intrare.

Termini sacrum. Numa Pompilius Templum Termino sacrauerat, ac lege sanxerat, vt *Qui terminum exarasset, ipse & boues Deo sacrificerent.* Termino quoque seu Gebal innocentię, Summus Pontifex Iesus templum in cęlo consecrauit, atque lege sanxit. Quicunque hunc Gebal temerasset, violasset, polluisset aliquo delicto, ipse & scelera, ignibus ęternis traderentur.

2. Mons perfectio- Alterum montem profectionis & ascensus Christiani Garizim intelligo, secundam partem professionis Christianæ, *Facere bonum*. Ita deffiniebat *Diuus Augustinus* Christianum, cum præmisisset, neminem esse tā stultum, qui se dicat, id quod non est. Quis tam vanus ac miser est, *inquit*, qui aduocatum se, cum literas nesciat audeat profiteri? Quis tam insanus ac excors, vt se profiteatur militem, qui nesciat arma gestare? Nemo enim quodcunque nomen, sine causa sortitur. Sutor vt dicatur, necesse est vt calciamenta conficiat. vt vocetur quis faber aut artifex, artis peritia facit. vt negotians nuncupetur quis, charius quod vilius emerat distrahit. Nullum sine actu nomen, sed omne nomen ab actu. Tu ergo quomodo Christianus diceris, in quo Christiani actus non apparent? Et mox declarat, qui sunt actus Christiani. *nis Christianæ, actio virtutis.* *lib. de vita christiana.*

Christianus Iustitię, bonitatis, patientiæ, castitatis, prudentiæ humilitatis, humanitatis, innocentiæ, pietatis est nomen. & tu illud tibi quomodo defendis & vendicas, cui de tam plurimis rebus, nec pauca subsistunt? *Christianus quid.*

Christianus ille est, qui non nomine tantum, sed opere est: qui in omnibus Christum imitatur & sequitur: qui Sanctus, innocens incontaminatus, intactus. cuius in pectore malitia non habet locum, cuius in animo sola pietas consistit & bonitas. qui neminem nouit lædere & nocere, sed omnibus opem ferre.

Christianus ille est, qui exemplo Christi nec inimicos nouit odire, sed magis aduersantibus sibi benefacere, & pro persecutoribus suis & hostibus exorare. Nam qui aliquem lædere aut nocere paratus est, ille mentitur se esse Christianum.

Christianus est qui potest justa voce dicere, *Neminem hominem nocui, juste vixi cum omnibus, hac omnia*

nia qua Deus praecepit, seruaui a iuuentute mea. Nam Christiano dictum est, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata Dei*. Non dixit serua tantum fidem. Nam si sola fides quçritur, frustra & superflue iubentur mandata seruari. Sed absit, vt ego Deum meũ aliquid dicam praecepisse superfluum. Sed dicant hoc illi, qui peccando iam filij perditionis effecti sunt. & in hoc tantum solatium se habere credunt, si alios secum potuerint morti perpetuae mancipare. Si enim Deus fidelem peccatorem non punit, vbi est illud propheticum, *Si iustus vix saluabitur, peccator & impius vbi apparebunt?* & alibi. *Sicut deficit fumus ita deficient; sicut fluit cera a facie ignis, sic peribunt peccatores a facie Dei.* Et Saluatorem nostrum quodam loco dixisse lego. *Non omnes qui dicunt mihi Domine Domine, intrabunt in regnum cçlorum*. Sed qui faciunt voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Vtique isti Christum credebant, qui eum etiam Dominũ nũcupabant. Nec idcirco illis cçlestis ianua panditur, quia illum ore, quẽ factis abnegant cõfitentur.

In Lutheranos.

Negari autem Deum factis non minus quã verbis, Apostolus dixit: *Confitentur nosse Deum, factis autem negant*. Et Dominus in Euangelio. *Multi mihi dicent in illa die, Domine Domine. Nonne in nomine tuo eiecimus daemonia, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & dicam illis. Nunquam vos cognoui. Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem*. Vsque adeo credidisse isti dicuntur, vt in nomine Domini virtutes etiam operarentur: nec tamen eis proderit fides, quia iustitiae opera non fecerunt. Itaque si sola Fides prodest, cur illi cum Angelis Sathanae in perpetuum ignibus gehennae mancipantur, qui non perfidiae causa, sed quia nihil boni fecerunt, iudicantur? Sicut scriptum est. *Et dicet eis rex, qui ad sinistram sunt; Discedite a me maligni in gehennam aeternam, quam parauit pater meus Diabolo & Angelis eius. Esuriui enim & non dedistis mihi manducare &c.* non dixit vtiq; quia non credidistis mihi. Vnde intelligi datur, nõ eos incredulitatis causa, sed propter bonorum operum sterilitatem esse damnandos. Nemo igitur alterum decipiat, nemo seducat. nisi qui iustus fuerit, vitam non habebit. nisi qui in omnibus mandata Christi seruauerit, partem non potest habere cum Christo. nisi qui terrena despexerit, Diuina non capiet. nisi humana contempserit, non potest habere cçlestia. Nec quisquam se Christianum judicet, nisi qui Christi doctrinam sequitur, & imitatur exemplum. Sed tu Christianum putas illum, cuius nunquam pane vllus saturatur esuriens; cuius potu nullius sitis extinguitur; cuius mensam nullus pauper cognoscit; sub cuius tecto nec aduena, nec peregrinus aliquando succedit; cuius vestimentis nullus nudus tegitur; cuius auxilio nullus pauper fouetur; cuius bonum nemo sentit; cuius misericordiam nemo cognoscit; qui in nullo imitatur bonos, sed deridet potius & subsannat? Absit vt huiusmodi Christianus dicatur. absit vt Dei filius possit appellari, qui talis est.

Christianus ille est, qui viam Christi sequitur, qui Christum in omnibus imitatur, sicut scriptum est. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.*

Christianus ille est, qui omnibus misericordiam facit, qui omnium mouetur iniuria, qui opprimi pauperem se praesente non patitur, qui miseris subuenit, qui indigentibus saepe succurrit, qui cum maerentibus

mçret,

mæret, qui dolorem alterius sicut proprium sentit; qui ad fletum fletibus alienis prouocatur, cuius domus communis est omnibus, cuius ianua nemini clauditur, cuius mēsam pauper nullus ignorat, cuius donum panis cunctis offertur, cuius bonum omnes norunt, a quo nemo sentit iniuriam, qui Deo die noctuq; deseruit, qui eius præcepta indesinenter meditatur & cogitat, qui pauper mūdo efficitur vt Deo locuples fiat, qui inter homines habetur inglo riosus vt corā Deo & Angelis eius gloriosus appareat, qui in corde suo nihil videtur habere simulatum aut fictum, cuius simplex & immaculata est anima, cuius conscientia fidelis & pura est, cuius tota mens in Deo est, qui cœlestia potius quam terrena desiderat, qui humana spernit, vt possit habere Diuina.

Hæc formula montis Garizim Augustino. Huius vel extremum limitem, an nos attigimus? Quid si ego in nobis aliud video, quam quod voce profitemur? An Christianum decent ista, quæ in—— sed non pergo vlterius. Vereor tamen, ne in nos Chamelopardalis hieroglyphica nota cadat. Refert illa collo equum, pedibus & cruribus bouem, capite camelū, maculis tigrim aut pardum. Aegyptij per illam notabant hominem sibimet varias formas induentem, qui scilicet cultu externo, sanctus; oratione Satrapa; vita autem impura, nebulo exitiosus: qui Curios simulat, & bacchanalia viuit. An inter nos pauci tales? Tamen nemo Deo dignus, nisi qui sibi ipsi & Christo idem. Nemo cęlo dignus nisi qui vel de monte *Gebal*, vel de *Garizim* fastigio, ambulo pernix & perpes. Cui illud ex triuio dicitur, *Aliter loqueris, aliter viuis*, dignus inferno. Qui cupit itaque ascendere montem illum, ***in quo beneplacitum est Deo habitare in eo***, primo *Gebal* & *Garizim* pererret; exhinc ascendet, bonisq; supernis potietur in secula. Amen.

Chamelopardalus hierogl. pseudo Christiani.



K DOMI-

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMAE.

Et transfiguratus est ante eos. &c. Matth. 17. c.

CONCIO.

De gloria Beatorum Corporum.



Sol iustitiae nube teg.

FVTVRVM pollicebatur Deus, venturum olim Orientem Messyam, cui nomen est SOL iustitię. Ad cuius splendorem immensum, ne caecutirent insipientes mortales, praenunciauit. *Et Solem*, inquit, *nube tegam*. Bene dixit *tegam*, non immergam, nec inuoluam, nec damnabo. Si enim nubi perpetuae damnasset, aut inuoluisset, aut demersisset, nunquam ille nobis radios gloriae suae exeruisset, neque ostēdisset. Sed quia tantum texit, ideo potestatem ei reliquit, splendores ęternos in nubem assumptam humanitatis refundere, quando placeret, & quando opus salutis nostrae deposceret. Refudit & retexit hodie. ea vel potissimum ratione, vt discipulos credentes incitaret ad videndum suum Solem; ex cuius visione, ipsi tandem quandoque *fulgebunt iusti tanquam Sol in regno* sidereo. An etiam in corpore? Istud solum vestigabo & pronunciabo.

In resurrectione Sancti, stellarū instar. Dan. 12. Matt. 13.

Sanctos in stellarum modum effulsutos, vel Daniel propalauit, qui dixit, *Et multi de his, qui dormiunt in terrae puluere euigilabunt, alij in vitam aeternam, & alij in opprobrium vt videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi Stellae in perpetuas ęternitates.* Ne vero quis dubitet iustis defuturum suum fulgorem, Saluator ipse denunciauit, quia *Tunc fulgebunt iusti sicut Sol, in regno Patris eorum*. Porro Paulus se & omnes Fideles hac spe solabatur futuri fulgoris corporum beatorum. *Saluatorem*, inquit, *expectamus Dominum Iesum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum claritati corporis sui.* vt videlicet, sicut ille hodie facietenus resplenduit sicut Sol, & sicut post resurrectionem suam fulsit amictus lumine, ex anima in corpus totum refuso: ita & nos omnes postquam audierimus, *Venite benedicti patris mei percipite regnum* sydereum, instar fulgentissimorum syderum resplendebimus: omnes quidem velut Sol, docti autem & Doctores vltra Solarem fulgorem, auctario luminе tanquam firmamentum, & velut Stellę.

Rebecam Isaaco desponsam, Eliezer statim ornauit monilibus ab Abrahamo transmissis: sic & animam & corpus Deo coniunctum, vt in hac vita donis gratiae gratum facientis & gratijs gratis datis, ita etiam post mortem dotibus gloriosis, a caelesti sponso deriuatis exornat.

Merito. Si & naturam luminis gloriae, & rationem praemij caelestis consideres. Has enim duas causas

ſcio, diffuſilis gloriæ beatorum ex anima jn corpus. Examino primã.

1. ex natura luminis glo riæ. Typum redanimationis & glorificationis noſtrę, ſi quid aliud geſſit in Sacris, gerit in primis Amygdalus arbor. ita lego in Eccleſiaſte, qui exitum & reſurrectionem corporum myſtica locutione inuoluens, inquit: *Excelſa timebunt, & formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locuſta, & diſſipabitur capparis, quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuę*. Volebat dicere, Cum homo mortale corpus relinquet in extremo vitæ ſuæ, vt ingrediatur *Viam vniuerſæ carnis*, quam omnes antenati ab Adamo vſque ad præſens intriuerunt; tunc excelſa illius omnia, intellectus, voluntas, memoria, timebunt examen diſtricti judicis. & maxime in hac via judicatoria & Decretoria, formidabunt, ne forte aliquid ſecum ex mundo efferant, propter quod digni ſempiterno exitio. Ne timeant. Veniet tempus, quando eis inclamabitur ab Iudice, *Surge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus*; *Surge, propera, veni, jam hyems tranſijt, imber abijt & receſſit*; jam Sol innouans & recorporãs omnia apparuit, tunc *florebit Amygdalus*. ſcilicet corpus rediuiuum reſurget, tanquam amygdalus poſt horridum gelu reuirer. jn quo corpore ſi, olim habitauit Spiritus ſanctus, ſique in eo reliquit aliquod vitæ melioris principium, tanquam ſolet ſublatere commortuum in amygdala per tempus brumæ, non modo reſurget, ſed & puſillum illud vigoris ſpiritualis ex anima diffundet ſe in corpus, quod velut amygdalus emortua reſlorebit. Ita explicat *Olympiodorus*. Qui agriculturæ, *inquit*, ſunt periti, aiunt ante cæteras arbores efflorere amygdalum, & reliquarum poſtremam folia exuere, vt videatur quodammodo frondibus viuere perpetuis. Scimus autem nuces amygdalas triplices eſſe: Nam extrinſecus viridem corticem, ligneæ teſtæ, ſiue duriori putamini impoſitum habent; cui nucleus ineſt, quem comedimus. Talis vero eſt homo ex anima & corpore ſpirituque compoſitus. Inquit ergo, *Tunc florebunt iuſti ſicut amygdali*. habentes in vigore & gloria corpus, animam, & ſpiritum.

Expl. lo. Eccl. 12.

quod diffuſile.

in Eccleſiaſt.

adũbratũ in reflorescens amygdala.

Pulchrum erat videre Aaronis exſuccam virgam, quando intus inditam a Deo vitalem germinationem profudit in extima, quæ nouo cortice operuit, nouiſque frondibus veſtiuit, atque ex turgentibus gemmis erumpentibus floribus, & in folia dilatatis, amygdalino fructu ariditatem ſuam venuſtauit. Sed longe erit pulchrius videre gratiam, & ex gratia animę gloriam, velut aliquod reformationis ſemen in corpus reſumptum vires exerere, & illos fulgores quibus in ppetuas æternitates ipſa fulgebit, in conſortem ſuum diffundere. Aliud typum ex eadem Scriptura habeo, futurę gloriæ corporum ex anima. ſcilicet *Aquam* illam *craſſam*, ex igne extincto factam, & poſtea in illum ipſum ignem fulgidum reuerſam. Num. 17

Cum Iſraelitę ducerẽtur in Perſidem, *Sacerdotes qui tunc cultores Dei erant, acceptum de altari ignem occultè abſconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & ſiccus, & in eo contutati ſunt eum. Porro redeuntes nepotes eorum, non inuenerunt ignem, ſed aquam craſſam*; quam tamen Sacriſicio ſuperfũderunt. *Vtque hoc factum eſt & tẽpus affuit, quo Sol refulſit qui prius erat in nubilo accẽnſus eſt ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.* expli. loc. 2. Mach. 1.

& in igne qui ex limo rediuiuus.

Typum habeo futuræ reſurrectionis

nis & gloriæ beatorum, quando veniet dies illa, in qua qui in monumētis sunt reconditi tanquam limus aliquis crassus, resurgent. Beati illi, qui igne Diuino quem venerat Iesus mittere in terram, olim animati, viuificati & illustrati; ad quos dicebat Paulus, *Templum Dei estis vos, & spiritus Sanctus habitat in vobis.* Tunc enim licet corpora eorum fuissent tabo resoluta, velut in aquā limosam, recuperata tamen & à suo Sole, id est anima illustri redanimata, pari splendore quo anima irradiabuntur. Videtis vanum rubicundum in crystallo diffusum, purum vitrum in aspectu colorare? Videtis nubem aliquam Soli oppositam in arcum formari, & cyano, smaragdo, pyropo colorari? Videtis primo vere guttas noctium roscidarum, in prato floribus vernante, receptas a virtute Solari sursum trahi, & a radio sydereo, nunc adamante, nunc sapphyro, nunc carbunculo radiare, ita vt lapillis, non guttulis pratum resperssum putes? Ad eum modum erit glorificatio Beatorum. Nobile illud meracum gloriæ, quod anima ex illiquio emanationis synceræ bibit, cum omni splendore splēdidius sit, non poterit intra seipsam cōtinere, quin ipsius claritate non & corpus crystallinum clarificet. Rutilans ille Solaris fulgor, quo ipsa fulgebit, non se illa concludet, quin se in obiectum corpus tanquam in aliquam depuratam nubem vel rorem non exerat, & illud parili rutilatione non illustret.

Similia. 1. 2. 3. Quam corpus nostrum receptiuū gloriæ eiusdem.

Chamæleon de suis amatoribus colores sumit; viret a virore, rubet a purpura, flammescit ab igne, propter diaphanum omni colore aptū tingi. Aptum & nostrum corpus quemuis sumere colorem. An videtis ita deformatos liuere? Venere taminatos luridari? sagina obrutos denigrari? Si potest in peccatores dici illud tritum, *Denigrata est facies eorum super carbones, non sunt cogniti in plateis*; poterit et in iustos illud aliud prædicari, *Candidiores sunt Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphyro pulchriores*, propter diffusiūem gloriam ab anima, cui eorum corporea iuncta. *Thren. 4.*

Huius futuræ gloriæ corporum, quasi pignus quoddam dedit hodie Iesus cum se transformauit ante illos. Dedit insuper, cum aliquos Sanctorum adhuc in mortali corpore peregrinos, luce mira illustrauit. Ambrosius Mediolanensis Episcopus quo die dictauit enarrationem Psalmi 43. Deus auribus nostris audiuimus, inter dictandum conspecta est lux clypei figura: quæ cum euanuisset, mirifico fulgore faciem Ambrosij illustrauit, & per os eius intrare visa est. Indicabat, Christianæ fidei clypeum Ambrosium, contra hæreticorum insultus, paulo post obiturum & veluti dispariturum: cuius tamen corpus in resurrectione communi, nouo splendore illustrari deberet. *Quam adhuc in mortali exhib. Ambrosius.*

Diuo Patre Dominico in baptisterium delato, visa est in eius fronte stellæ figura lux emicans: portendens illum fore qui ad iustitiam erudiret multos, & crassas hæreseon, quibus tunc mundus obrutus erat tenebras dispelleret clarissimo radio veritatis. *S. Dominicus.*

De Sancto Francisco refert S. Bonauentura, quod idem in Solarem fulgorem demutatus, velut Solis iubar inter medios fratres de ipso loquentes apparuerit, & transiens disparuerit. *S. Franciscus.*

Narrant qui viderunt, in noui Orbis Hispania vermem esse cui nomen Coccuius, noctu tanquā lucernam fulgentem. Solent ex illis plerique *Coccui lux. Ouetan hist. libro 15. c. 8.*

riique sibi restes conficere, & collo appendere nocte modo torquium. exinde enim tanta lux emicat, vt non paucis passuum mil ibus aspiciantur. alij ex intestino eorum confricant sibi faciem, manus, pedes vel pectus, vel quamuis aliam corporis partem, & ibi præbent ex affrictu fulgorem non modicum. Præstat idem lignum putre in tenebris lucens, quo si quis frontem defricuerit, aliquo lumine effulgebit. Maior vis gratię & glorię cęlestis est quam naturę. Proinde lumine illo perfusum corpus quo anima fulget, & ipsum quoque in empyreo corruscabit. Mutabatur facies Moysi, in contemplabili claritate, a pusillo lumine. Stephanus Angelicum iam fastigium induerat, ex aspectu lumine. Dominus quoq; in secessu môtis, etiam vestimenta luce mutauerat ex diffuso lumine. Vbi & Moyses & Helias, alter in imagine carnis nondum receptæ, alter in veritate nondum defunctæ, gloriam corporis, etiam in gloria perseuerare docuerunt. De quo exemplo instructus & Paulus, *qui transfigurabit*, inquit, *corpus humilitatis nostræ, conforme fieri corpori claritatis suæ*. Merito, vt eadem anima quæ in hac carne totum vitę ordinem decucurrit, quę in hac carne Deũ didicit & induit, & spem salutis seminauit, in eadem metens fructum, eidem partem gloriæ Sãctorum communicet. Hæc est secunda causa gloriæ Beatorum in corpore.

Moyses.

Stephanus.

de resurrect. car. c.6.

2. ex ratione premij cælestis in cuius partes cipiũ venit corpus.

Docte Tertullianus. Caro, *inquit* dum ministra & famula animæ deputatur, consors & cohæres inuenitur, si temporalium, cur non & æternorum? Videamus quanta huic substantię friuolę ac sordidę apud Deũ prærogatiua sit; & si sufficeret illi quod nulla omnino anima salutem possit adipisci, nisi dum in carne crediderit: adeo caro salutis est cardo, de qua cum anima Deo allegitur, ipsa est quæ efficit, vt anima allegi possit. Sed & caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur. Non possunt ergo in mercede separari, quas opera coniungit. Nam & sacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, jeiunia, & seras & aridas escas, & adpendices huius officij sordes, caro de proprio suo incômodo instaurat. Virginitas quoque & viduitas, & modesta in occulto matrimonij dissimulatio, & vna notitia eius de bono carnis Deo adolentur. Age iam quid de ea sentis, cũ pro nominis fide in medium extracta, & odio publico exposita decertat? cum in carceribus maceratur, teterrimo lucis exilio, penuria mundi, squalore, pædore, contumelia victus, ne summo quidem libera, quippe ipsis etiam cubilibus vincta, ipsisque stramentis lancinata, cũ iam & in luce omni tormentorum machinatione laniatur, cum deniq; supplicijs erogatur enisa reddere Christo vicem moriendo pro ipso, & quidem per eandem Crucem sæpe, nedum per atrociora quoq; ingenia pœnarum? Næ illa beatissima & gloriosissima, quę potest apud Christum Dominum parere debito tanto, vt hoc solum debeat ei, quod ei debere desierit; hoc magis vincta, quod absoluta. Igitur vt retexam, quam Deus manibus suis ad jmaginem Dei struxit, quam de suo afflatu ad similitudinem suæ viuacitatis animauit: quam jncolatui, fructui, dominatui, totius suæ operationis præposuit, quã Sacramen-

quod par= ticeps laborum.

& afflictionum.

tis

sis suis disciplinisque vestiuit, cuius munditias amat, cuius castigationes probat, cuius passiones sibi appropriat, hæccine non glorificabitur, toties Dei? Absit vt Deus manuum suarum operam, ingenij sui curam, afflatus sui vaginā, molitionis suæ Reginam, liberalitatis suę heredem, religionis suę sacerdotem, testimonij sui militem, Christi sui sororem, in æternum destituat interitum. Bonum Deum nouimus: solum optimum a Christo eius addiscimus, qui dilectionem mandans post suam in proximum, faciet & ipse quod præcepit: diliget carnem tot modis sibi proximam: & si infirmam, sed *virtus in infirmitate perficitur*: & si imbecillam, sed *medicum non desiderant, nisi male habentes*: & si inhonestam, sed *in honestioribus maiorem circundamus honorē*: & si perditam, sed *ego* inquit, *veni, vt quod perijt, saluum faciam*: & si peccatricem, sed *malo mihi*, inquit, *salutem peccatoris quam mortem*: & si damnatam, sed *ego* inquit, *percutiam & sanabo*. Quid ea exprobras carni, quæ Deum expectant? quę in Deum sperant? quę honorantur ab illo? quibus subuenit? Ausim dicere, si hęc carni non accidissent, benignitas, gratia, misericordia, omnis vis Dei benefica vacasset. Tenes scripturas quibus caro infuscatur? tene etiam quibus inlustratur. Legis cum quando deprimitur? adige oculos & cum quando releuatur. *Omnis caro fænum*; non solum pronunciauit Esaias, sed &, *Omnis caro videbit salutare Dei*. Notatur in Genesi, dicens; *Non manebit spiritus meus in hominib. istis, quia caro sunt*. sed & auditur per Iohelem, *Effundam de spiritu meo, super omnem carnem*. Apostolum quoque ne de vno stylo noris, quo carnem plerumque compungit. Nam etsi negat habitare quicquam boni in carne sua; etsi adfirmat eos qui in carne sint, Deo placere non posse, quia concupiscat aduersus spiritum, & si qua alia ita ponit, vt carnis non tamen substantia, sed actus inhonoretur: verumtamen interim in illis literis Paulus est, cum stigmata Christi in corpore suo portat: cum corpus nostrum, vt Dei templum vitiari vetat: cum corpora nostra, membra Christi facit: cum monet tollere & magnificare Deum in corpore nostro. Itaque si ignominię carnis glorificationem eius expellunt, cur non dignitates potius inducent? Quoniam Deo magis congruit in salutem redigere, quod reprobarit interdum, quam in perditionem dedere, quod etiam probauit, præsertim cum idem Paulus, ex Dei mente dicat. *Alia est claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* *ea propter & gloria.*

Triumphantium vultus, recepto more, apud Gentiles, minio illinebantur. quem vsum prudentiores repudiarunt, quod dicerent, minij soli Baccho conuenire, qui non solum triumphi, sed vini etiam repertor extitisset. Non fuco, sed luce perenni perfundit Iesus omnes, qui in hoc mundo crucifixerunt corpora sua, cum vitijs & concupiscentijs suis.

Triumphantes Romani patagiū auro textum, & lapidibus pretiosis corruscum induebant. Non auro, sed lumine, amiciet suos Iesus, quando ad Regna celestia capessenda vocabit. Coronas gramineas vel oleagineas,

gineas, vel quarnas aut laureas gestabant illi victores: Christus suos syderibus coronabit, quando ignobile istud corpus, in gloriosum träsformabit. Præludia huius gloriæ demonstrare dignatus est in quibusdam. In Diui Patris nostri Dominici obitu, ad quantam ipse migrasset beatitudinem, testatū est duorū visione. Alteri somnianti apparuit cęlum apertum, & Angeli Dominicum eo de terra transferentes, & Iesus Christus multa cum iucunditate eundem suscipiens. Alter sensibus corporis consopitus tantum spiritu vigilans, illum cum reuerendo quorundam virorum comitatu, ab vrbe Bononia processisse vidit, aurea corona, micantiq; fulgore conspicuum, quem nondum vita audierat defunctum.

quæ visa in S. Dominico.

Francisci

Francisci Assisiatis a quo Minorum ordo cæpit, vt vita, ita vitæ finis nobilis ac magnificus fuit. Quo expirante, quidam fratrum animam eius in stellæ specie de ore emicuisse, cęlumque petijsse vidit. Eadem illa hora Minister Terræ laboris grauiter ægrotans, cum iam deficiente spiritu & languescente lingua obmutuisset, repente in vocem prorupit, dicens: *Expecta me pater, expecta me*. Et interrogatus, patrem Franciscum se videre dixit, multa cum luce cęlum versus tendentem.

Prisca.

Prisca virgo, dum Christum confitens torqueretur, luce de cęlo lapsa circumfunditur; cum Sanctis in carcere sibi apparentibus psallit, carceris pedor in odorem suauissimum vertitur: ipsa ab Angelis in throno Diuini fulgoris gloriose collocatur. Si tanta illi inter tormenta affuit beatitudo, quantam exhaustis iam tormentis, consummatoque agone futuram credimus? Neque enim æqua esse debet, merces pugnantis adhuc, & post pugnam iam victricis. illic auxilium petitur, hic triumphus debetur.

Ad tam sublimem gloriam vocans suos Christus, vt certi essent de pollicitatione, voluit hodie nonnihil gloriæ diffundere in corpus, vt fideles subarraret: si illum in fastigium perfectionis comitati fuerint, in hoc monte Thabor: futurum spe rarent in regno fęlicitatis æternæ, tali gloria quali ille rutilare. Nunc dicito mihi, *inquit Chrysostomus*: Si quis te senio confectum, & viuentem in paupertate, subito se iuuenem facturum promisisset, & in ipsum ætatis florem reducturum, & super omnes pręualidum & speciosum redditurū esse, & regnū in mille daturum annos, regnum, inquam, pacem firmissimam possidens: quid pro hac promissione nō eligeres facere & pati? Ecce Christus non hęc, sed his multo maiorā promittit. Non enim quantum est senectutis & iuuentæ medium, tantū est corruptionis & incorruptionis interuallum; neque quantum est regni & paupertatis, tantum est glorię pręsentis & futuræ, sed quantum somniorum & veritatis. Quinimo nec adhuc quicquam dixi. Quō enim pręsentibus aliquis comparet vitam fine carentem? Pacis autem illius tantum est medium ad pręsentem, quantum pacis & belli discrimen, & incorruptionis, quantum gleba lutea melior mundi margarita. Imò vero quantumcunque quis dixerit, nihil par exprimere poterit. Nam si Solari lumini comparauero futurorum pulchritudinem corporum, sine splendidissimo fulgure, nondum quicquam illa claritate dignum duco. Propter hæc quę pecuniæ, quæ corpora non sunt impendenda? Imo quot animas exponere dignū fuerit? Nūc vero si quis te in regiam aulam deduxit, & omni-

Christu.

omnibus præsentibus regem alloqueretis effecit, & illi te reddidit commensalem & continuam, omnium te dicis esse beatissimum. In cęlum autem ascensurus, & omnium regi assistere, & parem Angelis debens habere splendorem, & illa frui ineffabili gloria, dubitas pro hac dignatione pecuniam pauperibus erogare? Cum opus esset, etiamsi vita exerenda esset, gestire, exultare, & voluptate efferri, pro voluptate qua nos olim perfundere dignabitur scaturigo voluptatis Iesus benedictus. Et quidem pro adipiscendo regno vel dignitate terrena, nihil non faciunt homines, nihilq; non patiuntur. Dicit vnus: Si ius violandum est, causa regnandi violandum est. Alter in viscera parentis mortui iaculum torquere nō veretur, alius nec matri viuenti, quę gestauit & lactauit non parcit, tantū vt purpureo splendeat paludamēto. Pro regno vero cęlesti ne minimū quidem aut agere aut sustinere lubido est. *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Theribazus Persa etiam contumelias passus libenter, dummodo potestatem habuisset regio amictu ornari. Sed narrabo. In venatu, Persicam vestem dilaceratam suo regi ostendit, consulens quid faciendum esset. Respondente autem Artaxerxe rege, aliam induendam: *Tuam igitur*, inquit, *mihi tradas oportet*. Rex suam tradidit dicens: *Dono do tibi hanc vestem, sed gestare prohibeo*. Theribazus vi minime quidem malus, sed pręcipitis consilij, neglecta regis monitione vestem induit, muliebribus etiam donis ex auro quæ a rege acceperat exornatam. Hoc cæteris omnibus indigne ferentibus rex effuse ridens; Tibi, inquit, vt mulieri aurum, vt insano regium amictum gestandi, ius potestatemq; concedimus. Tulit patienter contumeliam pp splendorē paludamenti regalis, quod deferendum erat. Et nos non tolerabimus ista leuicula, propter immortalitatis splēdidissimum terrestrum, quo in anima & corpore amiciemur in terra illa beatorum? Eia si agendum vel patiendum est, causa huius vestitus deaurati agendum & patiendum est. vt possimus dicere. Concidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia in secula. Amen.

FERIA II. POST SEcundam Dominicam Quadragesimæ.

Principium, qui & loquor vobis Ioannis 8. Cap.

CONCIO. I

De Diuinitate Filij Dej.



COccus, Cedrus, & hysopus addebantur hostijs concremandis, in veterum sacrificio, ex præscripto ritualis Diuini. Dicant alij comprimendo fætori, quem reddebant fimus & intestina ipsius vaccæ, dum amburebatur. ego assero Diuinitatis confitendæ causa, quæ in hostia, per vaccam rufam designata, scilicet in Iesu Christo emicuebat. *Coccus*, qui & granum purpurissans, Princeps est colorum. *Cedrus*, Princeps est arborum. *Hysopus* quoque, est Princeps Plantarum, (ille videlicet quem nos ros marinum appellamus: nam in lingua Hebræa ista planta dicitur אזוב Esob; quod ex vicinitate vocis cum hysopo, nostri traduxerunt hysopum; sed ros marinus dicitur, cuius rami ad aspersiones faciendas aptissimi sunt; qui

explic. Num. 19

Christus Princeps.

qui & congeneus cum hysopo existimatur) Hæc tria in vno fasciculo adalligantes hostię cremandæ, confitebantur Messyam qui semetipsum obtulit pro nobis Deo, nō solū carnel rubentem, sed & Diuinitate Principantem vniuerso Orbi. vt potecuius nomen, *Princeps Pacis*, & vt ipse de se hodie euulgat, Principium, qui & loquor vobis. De hoc Principatu Diuinitatis Christi, hodierna die videbimus.

lib. de incarn. Sacram. c. 2. Dictum erat Caimo, *Si recte offeras, recte autem non diuidas, peccasti*. Id si in alijs, præcipue tamen in hac hostia salutifica Iesu obseruandum esse monebat D. Ambrosius. *verus Deus & homo.* vt scilicet illum per fidem offerentes, & credentes hostiam esse Sanctam Deo placentem, neque Diuinitatem ab humanitate, neque humanitatem a Deitate separemus. sed coccum, cedrum hyssopum hostiæ cremandæ, id est Deum homini, & hominem Deo jungamus; confitentes Christum verum Deum & hominem patri æterno in Diuinitati ęqualem, nobis autem in humanitate assumpta similem. Itaque si Iudęus offerat, qui filium Virginis Marię a patre Deo separat, dicitur ei, *Si recte offeras, non autem recte diuidas, peccasti, quiesce*. Si offerat Eunomianus, qui ex impietatis Arrianæ fonte progrediens, redundanti perfidiæ suæ labi tur cæno, generationem Christi quæ super omnia est asserens ex Philosophiæ traditionibus colligendam; cum vtique alia creaturarum sit ratio, alia secretorum potentia Diuinorum, & ipsi dicitur: *si recte offeras, non recte autem diuidas, peccasti, quiesce*. Dicitur hoc Sabelliano, qui Patrem filiumque confundit. Dicitur hoc Marcionitæ, qui alium putat Deum noui, alium veteris testamenti. Dicitur hoc Manichæo & Valentino, qui non putauerunt veritatem carnis humanæ a Christo esse susceptā. Dicitur hoc Arrio, qui Diuinitatem filij Dei negauit. *Si recte offeras, recte autem non diuidas, peccasti, quiesce*. Est enim periculum grande, *inquit Tertullianus*, Saluatorem generis humani, totius Dominū & Principem mūdi, cui a suo patre omnia tradita sunt, per quem instituta sunt vniuersa, creata sunt tota, digesta sunt cuncta, æuorum omnium & temporum regem, Angelorum omnium Principem, Patri æterno coæternū & Consubstantialem hoīem tantūmodo dicere, & autoritatem illi Diuinam in his abnegare. *lib. de Trinitate.* Hæc enim contumelia hæreticorum, ad ipsum quoq; Deum patrem redundabit, si Deus Pater, Filium Deum generare non potuit.

Sed enim veritati cęcitas hęreticorum nō pręscribet. nec, quoniam in Christo aliquid tenent, aliquid non tenent, alterum vident, alterum non vident, eripietur nobis illud quod non vident, per illud quod vident. Quasi hominis enim in illo fragilitates considerant, quasi Dei virtutes non computant, infirmitates carnis recolunt, potestates Diuinitatis excludunt. Quando, si probatio hæc ex infirmitatibus Christi illuc proficit, vt homo ex infirmitatibus comprobetur, probatio Diuinitatis in illo collecta ex virtutibus illuc proficiet, vt etiam Deus ex operibus asseratur. Si enim passiones, ostendunt in illo humanam fragilitatem, cur opera non asserant in illo Diuinam potestatem? Non est ergo in vnam partem inclinandum, & ab alia parte fugiendū. quoniam nec tenebit perfectam veritatem, quisquis aliquam veritatis excluserit portionem. Tam enim scriptura etiam Deum adnuntiat Christum, quam etiam hominem ipsum adnuntiat

nunciat Deum. Quoniam nec Dei
tantum filium illum esse proponit,
sed & hominis; nec hominis tãtum
dicit, sed & Dei referre consueuit;
vt dum ex vtroque est, vtrumque
sit. ne si alterum tantum sit, alte-
rum esse non possit. Vt enim præ-
scripsit ipsa natura hominem cre-
dendum esse. qui ex homine sit; ita
eadem natura præscribit, & Deum
credendum esse, qui ex Deo sit; ne si
non & Deus fuerit, cum ex Deo sit,
iam nec homo sit, licet ex homine
fuerit: & in alterutro vtrumque pe-
riclitetur, dum alterũ altero fidem
quod pater ex attributis. perdidisse conuincitur. Qui legunt
ergo hominis filium hominem
1. Christum Iesum, legant hunc eundẽ
& Deum & Dei filium nũcupatum.
Nam quomodo est quà homo ex
2. Abraham, sic etiã est quà Deus, ante
ipsum Abraham. Et quomodo quà
3. homo filius Dauid, ita Dominus Da
uid quà Deus nũcupatus est. Et quo-
modo quà homo sub lege factus est;
ita quà Deus, sabbati Dominus ex-
4. pressus est. Et quomodo quà homo,
sententiam patitur, sic omne quà
Deus, de viuis & mortuis iudicium
5. habere reperitur. Et quomodo post
mundum quà homo nascitur, sic an
te mundum quà Deus fuisse perhi-
6. betur. Et quomodo ex semine Da-
uid quà homo genitus est, sic ita per
ipsum quà Deum mundus dicitur
7. institutus. Et quomodo quà homo
post multos, sic quà Deus ante om-
8. nes. Et quomodo cæteris quà homo
inferior, sic omnibus quà Deus ma-
9. ior. Et quomodo in cælum quà ho-
mo ascẽdit, sic inde Deus quà Deus,
10. ante descendit. Et quomodo ad pa-
trem quà homo vadit, sic obediens
patri quà filius inde descẽsurus est.
Ita si mediocritates in illo adpro-
bant humanam fragilitatem, Maie-
states in illo adfirmant Diuinam
potestatem. Periculum est enim, cũ
vtrumque legis, non vtrumque sed
alterum credidisse. Cur enim hæsi- *Osee. 1.*
tabit fidei veritas, in quo scripturæ
nunquam hæsitauit authoritas? Ec-
ce enim, Osee Prophetes ait ex per-
sona patris *Iam non saluabo eos in ar
cu neque in equitibus, sed saluabo eos
in Domino Deo ipsorum.*
Si Deus saluare se dicit in Deo; nõ
autem saluat nisi in Christo Deus;
cur ergo homo dubitet Christum
Deum dicere; quem Deum a patre
animaduertit positum per scriptu-
ras esse? imò si non saluat nisi in
Deo Pater Deus, saluari non pote-
rit a Deo Patre quisque, nisi confes-
sus fuerit Christum Deum, in quo se
& per quem se repromittit pater sa-
lutem daturum. vt merito quisquis
illum agnoscit & Deum, salutem in-
ueniat in Deo Christo: quisquis nõ
recognoscit & Deum, salutem per-
diderit, quoniam alibi, nisi in Chri-
sto Deo eam inuenire non poterit.
De hoc Saluatore Deus alius Pro- *Isai. 35.*
phetes: *Conualescite manus dissolutæ,* 2.
*& genua debilia; consolamini pusil-
lanimes sensu, conualescite, nolite ti-
mere. Ecce Deus noster iudicium re-
tribuet, ipse veniet & saluabit nos.
Tunc aperientur oculi cæcorum, & au
res surdorum audient: tunc saliet
claudus sicut ceruus, & diserta erit
lingua mutorum.* Si in aduentu Dei
dicit Prophetes hæc futura signa
quæ facta sunt, aut Dei filium
agnoscant Christum, in cuius ad-
uentu, & a quo hæc sanitatum signa
facta sunt, aut Diuinitatis Chri-
sti veritate superati, in alteram hæ-
resim ruentes Christum dum filium
Dei & Deum confiteri nolunt, Pa-
trem illum esse confitebuntur. Vo-
cibus enim Prophetarum inclusi, iã
Christũ Deum negare non possunt.
Quid ergo respondent, cum in ad-
uentu Dei hæc signa futura dicun-
tur, quę in aduẽtu Christi gesta sunt

Christum

Christum qualiter accipiunt Dominum? Deum enim iam negare non possunt.

Quasi Patrem, aut quasi filium Deum negant? Si quasi patrem, cur eos non sequuntur, qui eiusmodi blasphemias tenere videntur, nisi quoniam nobis in hoc aduersus illos de veritatis certamine hoc interim sufficit, vt quocunque genere conuicti, Christum conntoantur & Deum, quem etiam Deum negare voluerunt.

3. Ioan. 1. Iam & Ioannes natiuitatem Christi describens sic ait: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus claritatem eius, claritatem tanquam vnigeniti a Patre. Plenus gratia & veritate.* Nam & vocatur nomen eius Verbum Dei: Ps. 41. Nec immerito. *Eructauit*, inquit, *cor meum verbum bonum*, quod verbum regis nomine consequenter appellat inferendo, *Dico ego opera mea Regi.* Per ipsum enim omnia facta sunt opera, *& sine ipso factum est nihil.* Colos. 1. inquit enim Apostolus; *siue throni, siue dominationes, siue virtutes, siue potestates, visibilia & inuisibilia per ipsum oia constant.* Verbum aũt hoc illud est, quod *in sua venit, & sui eum non receperunt. Mundus enim per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Verbum* autem *hoc erat in principio apud Deum, & Deus erat verbum.* Quis igitur dubitet, cum in extrema parte dicitur: *Verbum caro factum est: & habitauit in nobis*, Christum cuius est natiuitas, & quia caro factus est, esse hominem: & quia Verbum Dei, Deum incunctanter edicere esse? pręsertim cum animaduertat scripturam Euãgelicam, vtramque istam substantiam in unam natiuitatis Christi fęderasse concordiam?

Ps. 18. Hic est enim qui *sicut spõsus egreditur de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam. a summo cęlo egressio eius, & vsque ad summum regressio eius.* Qtoniam vt que ad summum it; *nec quisquam in cælum ascendit, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælis,* repetens ipsum hoc dicit: *Pater clarifica me eo honore, quo fui apud te, antequam mundus esset.* Ac si de cælo descendit Verbum hoc tanquam sponsus ad carnem; vt per carnis adsumptionem filius hominis illuc posset ascẽdere, vnde Dei filius Verbum descẽderat: merito dum per connexionem mutuam, & caro Verbum Dei gerit; & filius Dei fragilitatem carnis adsumit, cum sponsa carne conscendens illuc, vnde sine carne descenderat, recipit iam claritatem illam, quam dum ante mundi institutionem habuisse ostenditur, Deus manifestissime comprobatur.

Et nihilominus dum mundus ipse, post illum institutus; refertur per ipsum creatus esse reperitur: quo ipso Diuinitatis in ipso, per quem factus est mundus, & claritas & autoritas comprobetur.

Quod si cum nullius sit nisi Dei, cordis nosse secreta; Christus secreta conspicit cordis; quod si cum nullius sit nisi Dei, peccata dimittere, idem Christus peccata dimittit: quod si cum nullius sit hominis de cęlo venire; de cælo veniendo descendit: quod si cum nullius hominis hęc vox esse possit, *Ego & Pater vnum sumus*, hanc vocem de conscientia Diuiniatus Christus solus edicit: quod si postremo omnibus Diuinitatis Christi probationibus & rebus instructus Apostolus Thomas respondens Christo; *Dominus meus & Deus meus*, dicit: Ioan. 20. quod si & Apostolus Paulus, *quorum*, inquit, *Patres & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus per secula* Rom. 9.

la, in suis literis scribit: Quod si idem *se Apostolum non ab hominibus, sed per Iesum Christum constitutum* esse depromit: Quod si idem *Euangelium non se ab hominibus didicisse, aut per hominem, sed per Iesum Christum accepisse*, contendit, merito Deus est Christus. Itaque hoc in loco ex duobus alterum constare debebit.

Gal. 1.

nam omnia per ipsu creata.

Cum enim manifestum sit omnia esse facta per Christum: aut ante omnia est, quoniam omnia per ipsum. Et merito, & Deus est. Aut quia homo est, post omnia est, & merito per ipsum nihil factum est. Ante omnia est enim, quia per ipsum omnia; ne si homo tantum, nihil per ipsum: aut si omnia per ipsum, non homo tantum, quoniam si homo tantum, non omnia per ipsum, imo nihil per ipsum. Quid ergo respondent;, nihil per ipsum, vt homo sit tantum? Quomodo ergo *omnia per ipsum?* Ergo non homo tantummodo est, sed & Deus. Si quidem omnia sunt per ipsum, vt merito intelligere debeamus, nec hominem esse Christum tantummodo, qui est post omnia, sed & Deum, cum per ipsum facta sint omnia. Quomodo enim aut hominem tantummodo dicas, cum illum etiam in carne conspicias, nisi quoniam si vtrumque animaduertitur, vtrunque merito credatur scilicet & Verbum & Caro. Et tamen adhuc dubitat hęreticus Christum dicere esse Deũ, quem Deum tot & rebus animaduertit, & vocibus approbatum?

Si enim homo tantummodo Christus, quomodo *mundus per ipsum factus* esse refertur, cũ non per hominem mundus, sed post mundum homo institutus referatur?

Si homo tantummodo Christus, quomodo veniens in hunc mundum, *in sua venit*, cum homo nullum fecerit mundum?

Si homo tantummodo Christus, quomodo non ex semine tantum Dauid Christus, sed *verbum caro factum est & habitauit in nobis*? Nam etsi protoplastus non est ex semine, sed tamen protoplastus nõ ex verbi & carnis coniunctione concretus. Nõ enim Adam est verbum caro factum & habitauit in nobis.

Si homo tantummodo Christus; quomodo *qui de cælo venit, qua vidit audit testificatur*, cum constet hominem de cęlo, quia ibi nasci non possit, venire non posse?

Si homo tantummodo Christus; quomodo *visibilia & inuisibilia, throni, virtutes & Dominationes per ipsum & in ipso creata* esse referuntur, cum virtutes cælestes per hominem fieri non potuerunt, quę ante hominem ipsum esse debuerint?

Si homo tantummodo Christus, quomodo adest vbique inuocatus, cum hæc hominis natura non sit, sed Dei, vt adesse omni loco possit?

Si homo tantummodo Christus, cur homo in orationibus Mediator inuocatur, cum inuocatio hominis ad præstandam salutem inefficax iudicetur?

Si homo tantummodo Christus, cur spes in illum ponitur, cum spes in homine maledicta referatur? Dicitur n. *Maledictus qui ponit carnem, spem seu brachium suum.*

Si homo tantummodo Christus, cur non licet Christum sine exitio animæ negare: cum in hominem commissum delictum referatur posse dimitti?

Si homo tantummodo Christus, quomodo Ioannes Baptista testatur & dicit, *qui post me venit, ante me factus est, quia prior me fuit?* cum si homo tantummodo Christus, post Ioannem natus, ante Ioannem esse non possit, nisi quoniam illum

quà

quà Deus est ante præcessit?

Si homo tantummodo Christus, quomodo *quæ pater facit, & filius facit similiter*: quum homo cælestibus operibus Dei opera similia facere non possit?

Si homo tantummodo Christus, quomodo *Sicut pater in se vitam habet, ita dedit Filio vitam habere in semetipso*, cum exemplo patris Dei, homo in se vitam habere non possit, cum non in æternitate sit gloriosus, sed in materia mortalitatis effectus?

Si homo tantummodo Christus, quomodo refert, *Ego sum panis vitæ æternæ qui de cælo descendi*: cum neque panis vitæ homo esse possit ipse mortalis, nec de cęlo descenderit, nulla in cęlo constituta materia fragilitatis?

Si homo tantummodo Christus, quomodo dicit quia *Patrem Deum nemo vidit vnquā: nisi qui est a Deo, hic vidit Deum*. Quoniam si homo tantummodo Christus; Deum videre nemo potuit, quia *Deum nemo hominum vidit*. Si autem dum ex Deo est, Deum vidit, plus se quam hominem, dum Deum vidit intelligi voluit?

Si homo tantummodo Christus, cur dicit, *quid si videritis Filium hominis ascendentē illuc vbi ante erat*: ascendit autem in cęlum; Ibi ergo fuit, dum illuc post passionem redit, vbi prius fuit?

Si homo tantummodo Christus, quomodo ipse de se fatetur, quod illi sit nomen, *Principium*? Homo enim non potest esse principium tale quale Christus fuit Principale, ita quod omnia tam naturæ, quam gratiæ opera facta sunt. De operibus naturæ, iam abunde dictum.

Nam omnia per eū dem facta.

De facinoribus gratiæ quæ solo verbo patrauit, non est ambiguum, quod illa qui verbo vnico, & tanquam habens potestatem Principij gessit in corpore, certam plenamq; faciant eius Diuinitatis fidem, vt ita jure sibi vendicarit, esse PRINCIPIVM, in quo omnia facta.

Aqua enim in vinum solo verbo versa; febris verbo itidem propulsatæ, quà apud Petri Socrum, quà apud Regi, hominis puerum, curatio: leprosorum volūtate sola purgatio: claudorum item mandato solo sanatio: multorum etiam a natiuitate cæcorum illuminatio: surdorū, eorundemq; vel difficulter, vel omnino non loquentium, linguæ simul & auditus articulata & clara expeditio: membra quæ longiore temporis spatio soluta erant, ad officium suum reducta, quum in eo qui a quattuor baiulis ex tecto, per tegulas funibus demissus fuerat, tum in eo quoque qui ad probaticam Salomonis triginta & octo annos æger decubuerat: aridarum manuum laxata vincula: eorum qui in terram corporis inclinatione vergerent, directa restitutio: plurimorum dæmonum præsidia & castra vno impetu in fugam versa: lunatici morbi piatio: fluxus sanguinis occulto fimbriæ vestis contactu consistens: Centurionis puer expectato & iam imminente periculo liberatus; Iairi filia a morte reducta: adolescens ex feretro redíuiuus; Lazarus quatriduanus ex sepulchro eductus; panes multiplicati; reliquiæ ex panibus multo plures panibus collectæ; in mari non alia quam in solido pauimento ambulatio, nec ipsius ea tantum, verumetiam Apostolorū Principis, ipsius Iesu cohortatione suscepta: vehementis increpatio procellæ, quæ mare pacauit, atque ex tempestate sæua ad malaciam & summam tranquillitatem reduxit; hydropici venter nutu contractus atque ad statum suum reductus: & illa

Ista omnia alia mira miranda, quæ si scriberentur, mundus totus libros non cæpisset, annon manifesta Diuinitatis eius argumenta?

An non & illa manifesta Diuinitatis eius documenta, quæ seuientibus contra Diuinitatem eius Imperatoribus demonstrauit? Cruces in aere visæ? exercitus aduersarij profligati? Ciuitates exustæ?

Crucis apparitio. Baro. an. 353. & 465.

Magnentius inter alios Christum persequebatur. Tunc verò cum expugnatus esset, signum Crucis maximum mirifice apparens, adeo vt admirabili splendore superaret lucem diei, visum est Hierosolymis, circa tertiam diei horam, cum esset dies festus, qui dicitur Pentecostes, pertingens a loco qui dicitur Caluariæ vsq; ad montem Oliueti. Istoc prodigio videtur significatũ, quod cum mundanus Imperator bellum gesturus, contra Ecclesiam, Diuinitatis Filij Dei Crucifixi assertorem, impietatis vexillum erexisset, Christum vexillum suum, quo impietatem debellauerat sustulisse, & cælitus ostendisse. quasi illud intonantem, Confidite, ego vici mundum, Principatu q; olim in humero meo.

Constantinopol. exusta.

Leo quoq; Imperator Orientis, multa indigna contra Diuinitatem Christi vomens, Arrianis & Eutichianis vt idem facerent, exemplo & adiutorio fuit. Non tulit eam iniuriam Deus Christus, sed Angelum Sathanæ misit, qui visus est multis, aliquot in locis Constantinopolitanæ Vrbis, Ciuitati flammas injicere, & carbones ignitos inspergere. Ingens tunc incendium sex dierum, totam fere depastum est & deformauit Constantinopolim, Deo sic vlciscente inprimis Eutychianos & Arrianos quibus abundabat Ciuitas. In tanta calamitate concurritur ad S. Danielem Stylitam, qui arguens eos, quod Diuinitati iniurij essent quodq; mala pœnitentia auertere nó curassent, orás & pro eis, his verbis dimisit: *Post septem dies cessabunt minæ ignis.* Sicut ille dixit, & res consecuta est, vlciscente Verbo Deo blasphemantes Arrianos. O quam laudati illi? quam magnis & gratijs adornati & miraculis illustrati, qui diuinitatẽ eius asseruerant, proq; illa morti, se deuouerãt?

Basilij cõstantia.

Basilij ad Præfectum Valẽtis laudandus animus, pro consubstantialitate Filij Dei. Tametsi vos, *inquit*, clarissimi & nó minima Orbis pars esse existimamini, me tamen minime decet hominibus gratificari, & propterea fidem in Deum paruipendere, quam ego medius fidius proditurus non sum: etiamsi mihi bonorum publicationem, & exilium, & aliud quidquam grauium ærumnarum; mortemq; adeo ipsam mineris. Si facultates meas expetis; pannos hosce & cilicia, atque libros paucos qui in mundo meo sunt, si hos inquam adamasti, recipe. Sin vt exilij causa solum vertam mauis; paratus ad id sum. Exul vero, quomodo ero, qui semper terram quasi peregrinus peretro, & ad regionem aliam vehementer aspiro? Corpus porro hoc, vel post primam plagam sensus omnino expers & cruciatibus superius prorsus futurum est. Ita ille ad Præfectum; tam animose quam constanter: Meruit, vt Dei Vnigena hanc ipsius cõstantiam miraculo illustraret. Valens tertiũ gnarus, volebat exilio multare Confessorem. Calamũ proinde arripuerat, sententię subscripturus. Dum est in subscribendo, semel, iterum, & tertio atrorem nó stillat calamus atramento plenus. Manus postea intremuit Valentis, & sella infesta concussa est, Deo Verbo pro sua diuinitate & Basilij confessione depugnante. Sed reuertor.

Valentis pertervia castigata

Sunt

Sunt ista itaque demonstrantia, quia ille esset Princeps & Principiũ Omnipotens, *Grano, Cedro & Rosmarino* Principatus Diuini, versans faciens, persanans, illustrans, & viuificans vniuersa.

Esto, fecerint Prophetæ atq; Apostoli aliqua ex similibus. Nõ tamen sua sed virtute ab eo indita, qui dixit, *Quicunque in me credit, operã quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet*. vt ipse sit Principium a quo Principes mundi, Principatum super naturam mutuarentur. Quicunque ergo recte offert hanc hostiam, non diuidat, *coccum, cedrum & hyssopum* ab illa, sed confiteatur *Deum de Deo, Principium in Principio, Iesum Deum & hominem Orbis Saluatorem*.

Vtinã & nos non diuidamus. Sed quo? Reali confessione. Olim piaculũ erat vel minimo indicio Christum abnegasse, seq; idolorum cultui addixisse. Narrabo vnum. Auxentius erat in palatio Licinij inter subscribas, quos Latini notarios vocant, illustri loco. In imperiali autẽ domo quadam fons aquæ fuit, & super eo fonte Bacchi simulachrũ, tum autem vitis ampla, quæ locum eum omnem tegens, multa cũ amœnitate obumbrabat. Huc quum Licinius velut deambulans, Auxentio & multis præterea alijs cũ officij gratia comitantibus venisset, & botrum ingentem ac maturum è palmite pendentem conspexisset, Auxentio vt eum decerperet mandauit. Auxentius nihil prorsus subesse doli suspicatus, pugione quem ex femore suspensum gestabat stricto, botrum resecuit. Tum Licinius ad eum: *Ad pedes Dionysii vuas deponito*. Auxentius vero: *Minime gentium*, inquit, *Imperator. Christianus enim sum*. Licinius rursum: *Itaque ex aula*, ait, *confestim abibis dignitate posita. Alterum tibi duorum istorum necessario faciendum*. At Auxentius, nulla interposita mora, cingulum per quam libenter solutum posuit, & aulæ, discedens valedixit. Auxẽtius positura vuæ ad pedes Bacchi, noluit abnegare Christum. at illi quid faciunt miseri? *qui ore confitentur, factis autem negant*? Factis autem quibus? Negat Christum Deum qui——. Sed omitto. Illud tantum adnecto, quod Origenes explicans verba Dei ad Eliam: *habeo millia qui non curuauerint genua sua ante Baalim*, inquit: Quid mihi prodest, si genua corporis mei ad orationẽ veniens flectam Deo, & genua cordis mei flectam Diabolo? Si enim non stetero firmus aduersum astutias Diaboli, flexi genua mea Diabolo. & si non cõstanter stetero aduersum iram, flexi genua mea diabolo. similiter & si non constanter libidini restitero, flexi Diabolo genua cordis mei. Et in singulis quibusque, quæ cõtraria sunt Deo, hoc facere videbor, nisi forte & constanter stetero, sicut & illi qui coluerũt Baalim, flexi genua Diabolo. Non igitur putemus, quia videmus simulachra non colere, propterea & hęc non ad nostrum aliquos pertinere. Vnusquisque hominum quod præ cæteris colit, quod præ cæteris miratur & diligit, hoc ei Deus est. Huic dũ affectum inclinat, immolat, & immolando Deum negat, & negando sibi damnationem acquirit. Quid vos ad hæc? damnationem tibi acquirit? Moneo, audite Iesum Principem pacis, nunc vos oblectantem, ne sero audiatis Principem iustitię, regnantem in secula. Amen.

Auxentij factũ. Suidas.

hom. 2. in Iudic.

FERIA III. POST SECVNDAM Dominicam Quadragesimæ.

Quæcunque dixerint vobis facite. Math. 23. capite.

CONCIO.

De Obedientia Magistratui præstanda.

Expl. loc. Leui. 11.



CYGNI esum, lege scripta interdixerat Deus. Ceruicis altæ superbiam detestabatur hoc symbolo, in his qui vel sanctitatis, vel nobilitatis prætenso fulgore, sibi dicentes, *Singulariter sum ego donec transeam*, neminem sibi vel præesse, vel præcipere posse arbitrabantur: & ideo nemini ceruicem inflectere ad iugum obsequentię volebant. Cygnos istos manifeste hodie deprimit, cum Magistratui obedire iubet; *Quacunque dixerint vobis facite*. De hac obedientia Magistratui prestanda mihi sermo.

Cygnum ne esse, quid.

Stob. ser 41.

Solon interrogatus; *qua rõne possit esse salua Ciuitas*, respondit: *Si ciues obtemperent suis Magistratibus; Magistratus autem legibus*. Quidam etiam rex Lacedęmoniorũ, cum ei dictum esset; *eo tempore bene Lacedamonijs esse, cum reges, bene regere didicissent*: reposuit; *Id potius euenturum, quando Ciues parere didicissent*.

obedientiam magistratui prestare.

Ostẽdit vterque, bonam vrbium & rerumpublicarum administrationem, non tam in Principum regimine, quam in populorum obedientia consistere. Nam si populi in diuersum traherent a principibus, difficilimum arbitrabantur esse, vt Principes bene regere atque respublica salua permanere posset: Principibus hoc imperantibus, populis vero, illud aliud facientibus. Vel itaque propter salutẽ Reipublicæ necessarium est obedire Magistratui.

Cur vero populus Magistratui, non vero Magistratus populo obsequi debet? Triplicem causam habeo 1. a natura. 2. a moribus. 3. a merito. & singulas discutio.

Primam causam duco a natura. Nam ita natura comparatum est, vt non superiora inferioribus, sed inferiora superioribus obtemperent. Raptantur & mouentur omnia hęc sublunaria a cęlis; Celorũ orbes partim a suo, vt volunt Philosophi primo mobili, partim ab Angelis Adstitibus Motoribus; hi vero tam cęlis quam stellis prȩlati a supremo Motore Deo, qui Anarchus est & Monarchus. Superuacuum est, *inquit Seneca*, ostendere hanc inoffensam velocitatem siderũ; procedere Aeternę legis Imperio; tantum rerum terra marique gestantem, tantum clarissimorum luminum & ex dispositione lucentium, non esse materiæ errantis ordinem. Neque quæ temere coierunt, tanta arte pendere, vt terrarum grauissimũ pondus sedeat immotum, & circa se properantis cęlis fugam spectet. Vt infusa vallibus maria molliant terras, nec vllum incrementum fluminum sentiant. Vt ex minimis seminibus nascantur ingentia.

1. natura docet.

lib. de prouid. c. 1

Ne illa quidem quę videntur confusa & incerta, pluuias nubesque, & elisorum fulminum iactus, & incendia ruptis montium verticibus effusa, tremores labantis soli, & alia quę tumultuosa pars rerum circa terras mouet, sine ratione quamuis subita sint, incidunt: sed suas & illa causas habent, a quibus aguntur, & quibus obsecundant. Iam vero si quis obseruauerit nudari litora pelago in se recedente, eademque intra exiguum tempus operiri, redeat

det cęca quadam volutatione modo contrarii undas & introrsum agi, modo erupere & magno cursu repetere sedem suam; cum illę interim portionibus crescunt, & ad horam ac diē subeunt ampliores minoresque, prout illas Lunare sidus elicuit, ad cuius arbitrium Oceanus exundat.

Non poterat magis ex vero dici, quam id quod a Seneca dictum est, non proprio aliquo errore, hæc omnia circum agi in orbe, sed a Dei & superiorum imperio, cui hęc inferiora vt in essendo, sic in agendo, sic & in obsequendo subiecta. Namque ut Psalmographus canit, *statuit ea,* in tali ordine, *in æternum & in seculum seculi. Præceptum posuit* singulis, *& non præteribit*. Quod si omnia alia suis superioribus obsequuntur, nec aliquid est, quod semel edictum a Deo prętergrediatur; frustra obluctauerit solus homo obedire his, quibus Deus portionem suæ Diuinitatis, ad præcipiendum alijs indidit. Nam indidit. Lego apud Apostolum Paulum de Iacobo Patriarcha, quem Deus prætulit Esau. *Nondum quicquam aut boni aut mali egerant, cum dictum est. Maior seruiet minori*. Lego in historia Exodi, Moysen fuisse constitutum *Deum Pharaonis*, eundemque factum esse, non tantum Ducem, sed & Rectorem populi Israelitici: qui cās quidem ad religionem præcipue, tum vero ambiguas, vna cū Aarone Pontifice, cęteras vero ex vsu & consuetudine emergentes, vna cum septuaginta senioribus cognosceret, decerneret, & secundum legis præscriptū populum subiectum gubernaret. Lego Saulē & alios legitime vnctos Reges ab eodem Deo esse, qui dixit, *per me Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt*. Lego Iudices & Prælatos alios Magistratus

Deus iubet.

itidem a supremo Monarcho institutos, cum illos alloqueretur, & alloquitur etiamnum, *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes, Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*. Quamobrem Paulus monebat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo. quæ aūt sunt a Deo, ordinata sunt. itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Qui itaque in Magistratu Deum ipsum qui dedit talem potestatem hominibus cognoscit, vt cognouit Dauid in Saule, quem Christum Domini appellauit; vt cognouit in Dauide Abisai, Miphiboseth, & Adonias, & vt cognouerunt alij in alijs quibus subditi; facile in animam suum inducet, non se sua lege regere, sed magistratui a Deo instituto obedire.

Ps. 81. *Rom. 13* *1 Reg. 24*

Ex quo enim in tota rerum vniuersitate, repperitur Actus purus, & Materia, quæ nulla ratione potest subsistere sine forma, factum est vt inferiora omnia appetant perfectionem a supremo Actu puro Deo Omnipotente, qui, vt ait Iacobus, *dat omnibus affluenter, & nemini improperat*. Vnde factum est, vt cum ille sciat, quid cuique creaturæ expediat, & qualis perfectio vnicuique conueniat; quod sit ille non tantum Auctor, verum & Moderator seu Imperator vniuersorum; a quo desiderare & cui obedire omnia tenentur. Nam magis vult obedientiam, quam victimas.

Sed quia partim ipse immediate, partim per medios magistratus distribuit, & moderatur vniuersa: vult vt non tantum ipsi, verum etiam & subordinatis ipsi magistratibus obediamus. Vnde cum

 Samue-

Samueli noluissent obedire Hebræi, quasi ipsi soli Deo noluissent obedire, ita ægre tulit dicens. *Non te spreuerunt sed me*. Vnde & præcepit suis, *Quæcunq; dixerint vobis facite*.

Deus ipse obedit. Et profecto ipse dedit exemplum. qui non tantum patri *factus est obediens vsque ad mortem*, verum etiam cum Maria matre, & Iosepho putatiuo patre, descendit de templo in Nazareth, & erat subditus illis. Quis? Ille qui de nihilo creauit omnia, qui manu aperta pascit uniuersa. Cui? fœmillæ, ex qua non nisi corpus & sanguinem sumpsit. &c.

Et profecto si rerũ vniuersitatem consideramus, nihil iam ab obedientiæ præcepto exemptum reperijmus. Cælorum orbes suis intelligentijs motricibus obsequũtur. intelligentiæ Deo. Nam omnes sunt administratorij spiritus, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Deus quoque suæ ęquitati & iustitię morē gerit. Et quidem etsi *omnia quæcunque voluit fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis*. tamen quia omnia quæ facit & fecit, ex pręscripto sapientię & iustitię facit & fecit; consequens est, vt omnia quæ fecit & facit, obsequens sapientiæ & iustitiæ suæ facit & fecit. Vnde, nec ipse Deus, a regula obsequentiæ omnino liber.

Consequenter cum hominem ad suam similitudinem plasmasset, primum obedientiã ab eo requisiuit, dum ei pomi esum interdixit. imo in sola obedientia, totam salutem hominis reposuit. Namque cum iuberet, *non comedite* quid aliud volebat, nisi, *obedite*? Non tanti erat arbor scientiæ boni & mali apud Deum, vt illam homini negare, omnino voluisset. Qui.n.dixit, Dominamini piscibus maris & volucrib. cęli, & qui omnia sub pedibus humanis subiecit, dum hominem principem orbis constituit; quomodo vnius arbusculæ vsum inuideret? Sed tãtum voluit demonstrare, vt homo sit subiectus Deo, audiens Deum, & obediens Deo; atque in obedientia & ex obedientia salutem suam referret. Hæc enim est Summa salutis humanæ.

Quando iubebat sibi offerri columbas vel passeres vel turtures, iussit vt torqueretur colum sub ascellas victimæ, quæ offerebatur. Significabat obedientiam quæ inclinare debet caput Deo, vel alicui superiori a Deo iubenti. *Mystologia breuis. obedient.* 1.

Quando seruum alicui perpetuum subiugabat, iubebat illi aurem subula perforari, in quã circuli vel anuli inderentur. Docebat Seruum Dei ductilem esse debere. vt is ducatur & obsequitur, qui in forata aure circulum gestat, facile obsequitur trahoni auris. 2.

Quando arcã testamenti instruebat, volebat circulos quatuor illi in quatuor angulis inesse, quibus vectes imponerentur, vt ita esset facile portatilis. insinuabat, talem debere esse animam vniuscuiusque pij, orbiculatam, atque facile portatilem, propter circinos obedientiæ. 3.

Iobo amici dederunt ouem & inaurem vnam. Ouis animal est obsequens, neque aliqua ex parte reluctans. prætertim vero si circulum in aure gestat, cui funiculus potest immitti. Docet. Cuicunque pœnitenti conuenire, vt sit sicut ouis obediens, & sicut aure deuinctus. 4.

Fuit Christus qui sicut ouis ductus etiam ad occisionem, ductorem secutus est. & qui dixit. In capite libri scriptũ est de me, vt facerem voluntatem tuã. Deus meus volui, & legem tuam in medio in cordis mei. Aures enim perfecisti mihi.

Nec

Nec ob aliam causam obediens fuit, quam vt relinqueret nobis exẽplum; vt sequamur vestigia eius. Quamobrẽ exigebat à nobis sequelam; si volumus illum consequi, quem propter obedientiam adeo exaltauit Deus vt daret illi nomen, quod est supra omne nomen. Dabit etenim & omnibus obedientibus vt promisit, *Dabo*, inquit, *vincenti* voluntatem propriam, *nomen nouum, quod nemo scit nisi qui accipit, scriptum in calculo candido*. O quanta tunc lætitia, quando homo obediens pro minima obedientia, recipiet, vt sit Rex Cæli & terræ, in Regno cælorum? Vt illi Rex Regum & Dominus Dominantium ministret in regno cælorum? Vt delicijs affluat ineffabilibus in regno cælorum?

2. mores gentiũ habent. Secundam causam sumo a Moribus Gentium. Nulla enim est tam effrenis barbaries, quæ vel aliquem inter se Magistratum, tanquam pro Dei Vicario non agnoscat, eiq; non obsequatur. Da etiam infessores viarum, Da latrocinia publica, Da insuper ipsos dæmones inferni, vbi nullus ordo; etiam inter istos inuenitur Princeps summus, cui omnes alij parent. Ille enim Deus qui mentibus hominum insæuit semina virtutum, simul consæuit odium & execrationem vitiorum. ad quæ cum & naturæ inclinatione, & prauorum sæpe consuetudine, plerique a virtutis cultu declinant, voluit aliquos in republica eminere, qui & legibus, & decretis, & gladio vel prohiberent, vel castigarent.

emunctoria. In Mosayco tabernaculo, cum lychnus ille aureus fuisset collocatus, voluit ei adijcere *Emunctoria aurea*, quibus superflua lucernarum & candelarum expurgarentur. Innuebat, in hoc sublunari tabernaculo oportere esse aliquos, velut Emunctorij munere fungentes, qui sordes istas publicas ab hominibus emundarent: hi vero nec quiquam Seueritati obluctarentur, sed se totos permitterent obsequentes.

Quotiens, *inquit idem Seneca*, pro *Lib. 2. de ira c. 7.* cesserit domo Sapiens, per sceleratos, auarosque & prodigos, & impudentes, & ob ista infelices, illi incedendum erit. Nusquã oculi eius *Sordium publicarum.* flectentur, vt non quod indignentur inueniant. Hæc tot millia ad forũ prima luce properantia, quam turpes lites, quanto turpiores aduocatos habent? Alius judicia patris accusat, quæ mereri satius fuit. Alius cum matre consistit. Alius delator venit eius criminis, cuius manifestior reus ẽ. Quid singula persequor cum videris forum multitudine refertum, & septa concursu omnis frequentię plena, & illum circum, in quo maximam sui partem populus ostendit? hoc scito, istic tantundem esse vitiorum, quantum hominum. Inter istos quos togatos vides, nulla pax est: alter in alterius exitium leui compendio ducitur. Nulli, nisi ex alterius damno quæstus est. Felicem oderunt, infelicem cõtemnunt. Maiore grauantur, minori graues sunt. Diuersis stimulantur cupiditatibus. Omnia perdita, ob leuem voluptatem prædamque cupiunt.

Non alia quam in gladiatorio ludo vita est, cum ijsdem viuẽtium pugnantiumque. Feratum iste conuentus est: nisi quod illæ inter se placidę sunt, morsuq; similiũ abstinẽt; hi mutua laceratione satiantur. Hoc vno ab animalibus mutis differunt; quod illa mansuescunt alentibus, horum rabies ipsos a quibus est nutrita depascitur. Certatur ingenti quodam nequitiæ certamine: Maior quotidie peccãdi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris æquiorisq; respectu quocun-

que visum est, libido se impingit: nec furtiua scelera iam sunt: præter oculos eunt. adeoque in publicum missa nequitia est, & in omnium pectoribus eualuit, vt innocentia non rara, sed nulla sit. Numquid enim singuli aut pauci rupere legem? Vndique velut signo dato, ad fas nefasque miscendum coorti sunt.

— *Non hospes ab hospite tutus.*
Non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Et quota pars ista scelerum est? Non descripsit castra ex vna parte contraria, parentum liberorumque sacramenta diuersa, subiectã patriæ ciuis manu flammam, agmina infestorum equitum ad conquirendas proscriptorum latebras circumuolantia, & violatos fontes venenis, & pestilentiam manu factam, & præductam obsessis parentibus fossam, plenos carceres, & incendia totas vrbes concremantia, dominationesque funestas, & regnorum publicorũque exitiorũ clandestina consilia; & pro gloria habita quæ quamdiu opprimi possunt, scelera sunt, raptus ac stupra; & nec alia mẽbra libidini excepta. adde periuria, rupta fœdera; & in prædam validioris quicquid non resistebat abductum, circumscriptiones, furta, fraudes, homicidia, latrocinia, infitiationes quibus trina non sufficiunt fora.

Heraclitus quotiens prodierat, & tantum circa se male viuentium, immo male pereuntium viderat flebat. miserabatur omnium, qui sibi læti felicesque occurrebant; miti animo, sed nimis imbecillo; & ipse inter deplorandos erat. Democritum contra aiunt, nunquam sine risu in publico fuisse. Adeo nihil illi videbatur serium eorum, quæ serio gerebantur.

Sed Deus noluit ista, aut deplorari, aut derideri tantum, verum etiam castigari, & vel corrigi, vel tolli omnes quicunque tales. Ideo & corrigendis & vel etiam tollendis instituit magistratus. namque vt docet Paulus, *Principes non sunt timori boni operis sed mali*. Proinde quisquis amas vt regnorum cœtus non *sint* latrocinia, sed publicæ honestatis & salutis Domicilia, parendum tibi esse illis, sibi præstitæ. *Vis autem non timere potestatem?* inquit Paulus. *Bonum fac & habebis laudem ex illa. Dei.n. minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est. vindex in iram ei, qui male agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Rom. 13.

Hinc tertiam educo causam propter quam obtemperandum Magistratui. videlicet propter meritum. *3. meritũ & præmiũ sentat.* Qui enim Dei ordinationi obsequitur; præsertim per quam vel scelera emendantur, vel facinorosi castigantur, maximum sibi apud Deũ meritum reponit, eo quod eius voluntati non contranititur. Proinde qui Magistratui vel virtutes inferenti, vel peccata corrigenti, vel peccatores tollenti obtemperat, cum id ex voluntate Diuina faciat, magnum sibi meritum comparat apud Deũ. Sed subsiste. Non sine ratione dixi, qui Magistratui vel virtutes inferenti, vel peccatores tollenti obtemperat. Nam hic est limes potestatis concessæ hominibus, virtutes depãgere & scelera auerruncare. nam ab his duabus Antistitis, felicitas & Salus Publica, propter quam augẽdam & seruandam illi. Quicquid ad virtu-

tem

Praeceptum si qd ad virtutem praecipiunt. tem pertinet depangendam praeceperint, Sanctum esto. Quicquid ad scelera cohibenda edixerint, Sacrum esto. Caeterum si, quod absit, illi ad peccandum praeduces, vel suadela, vel praecepto, vel gladio; nefas esto.

Si contra; non obtêperandũ. Huic tali Praeceptori obduc illud quod Susanna luxurianti Senatui. *Melius est mihi incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei.*

Huic tali & illud oppone, quod Principibus Sacerdotum opposuit Petrus. *Prius oportet obedire Deo, quam hominibus.* Male obsecutus est populus Aaroni Pontifici, vitulum conflatilem erigenti. Male obediuit Phytonissa Sauli regi, Samuelem a mortuis excitâre iubenti. Male obtemperauit populus Israel idolatris Principibus, idololatriam iubentibus vel suadentibus.

expli. lo. Exod. 4. Lego Pharaonem iussisse Israelitis, vt aedificarent in Aegypto tres Ciuitates, Phiton, Ramesses, & Ethõ heliopolis. *Phiton* interpretatur os defectionis, seu os abyssi: *Ramesses*, commotio tineae; *Ethon* Ciuitas Solis. Si itaque aliquis Princeps vel Iudex, vel Dominus subdito praeciperet aedificare Phiton, scilicet os deficiens in mendacio, vel os sepulchrum patens tanquã abyssus in detractione aut periurio, blasphemia, calumnia, videlicet vt mentiatur, vt calumnietur, vt peieret, vt detrahat, vt blasphemet Deum aut sanctos; opponat; *Magis oportet obedire Deo quam hominibus.* Si iubebit tibi aedificare *Ramesses* vrbem, scilicet peccatum aliquod committere, quo in te commoueas vermem conscientiae, qui tua viscera dies noctesque lancinnet; vtpote vel homicidium, vel stuprum, vel furtum, vel aliquid eiusmodi per quod tibi ipse carnificinam tineae perpetuo demolientis excites, oppone: *Melius est mihi incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei.*

Si denique praecipiet ponere *in caelum os tuum*, osculari manum tuam super fulgẽte Sole, benedicere Deo & mori, excelsa Baalim ędificare in montibus, quod est Ethon Eliopoleos Ciuitas Solis, scilicet si te pelliciet, vt secedas a Deo, vt auitam religionem relinquas; vt fidem in Ecclesia Catholica spoponsam fallas, vt te ad lustra Caluini vel ganeam Lutheri, vel Suile aliquod immundum sectae alicuius impurae, a Matre Regum & Populorum Orthodoxa transferas; vt Dei cultum quo semel doctus colere Numen, abneges; vt animam tuam daemoni aliquo dedas, oppone. *Non seruiam. Non faciam. Non obediam. Oportet Deo obedire magis quam hominibus.*

Doctrina de têpore quo obediendum magistratibus. epist. 7. Hoc aduertendum est, *inquit Bernardus*, quod quędam sunt pura bona, quędam pura mala. & in his nullam debere hominibus obedientiã. quoniam nec illa omittenda sunt, etiam cum prohibentur, nec ista vel cum iubentur committenda. Porro inter haec sunt media quaedam, quae pro modo, loco, tempore, vel persona, & mala possunt esse & bona, & in iis lex posita est obedientię, tanquam in ligno scientiae boni & mali, quod erat in medio paradisi. In his profecto fas non est, nostrum sensum, sententiae praescribere Magistratuum. In his omnino Principum, & Prelatorum, nec iussio, nec prohibitio contemnenda.

Fides, spes, charitas & cetera huiusmodi pura sunt bona; quę quia male non possunt vel iuberi, vel teneri, bene non possunt vel prohiberi vel non teneri.

Pura mala sunt, furtum, sacrilegium, adulteriũ & cętera talia, quę vtique nec vel bene pręcipi, vel per-

fici

fieri possunt, nec male prohiberi, vel non fieri. Aduersus huiusmodi non est lex. Nullius quippe prohibitio valet obuiare præceptis, nullius iussio præiudicare ꝓhibitis à Deo. Quādo pure bona præcipiebantur Sanctis Dei, monebant Apostoli, vt obedirent Magistratibus. Ita D Petrus.
1. Pet. 1. *Subiecti igitur, inquit, estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tanquā præcellenti, siue ducibus tanquam a Deo missis, ad vindictam malefactorum, laudē vero bonorum.*

Tit. 3. Ita & D. Paulus iubet Tito: *Admone, inquit, illos Principibus & potestatib. subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.* Quid audio; *Dicto obedire?* & nostri quid? quos insultus Regi ipsi? quos ab eo missæ vel subdelegatæ auctoritati refractarios actus? —— sed sustineo.

Quando vero pure mala præcipiebantur iisdē Sanctis viris, ab aliquo Magistratu; objiciebant, illud tritū. *Oportet obedire Deo magis quā hominibus*, Ita explicabat D. Augustinus illud Apostoli, *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Sed quid si illud, *inquit*, iubeatur, quod non debeas facere? Hic sane contemne potestatem. Ipsos humanarum legum gradus aduerte. Si aliquid iusserit Curator, faciēdum est: non tamen si contra Proconsul iubeat. Non vtique contemnis potestatem, sed eligis maiori seruire nec hinc debet minor irasci. Rursus si aliquid iubeat ipse Consul, & aliud iubeat Imperator, & aliud Deus. *Da veniam ò Imperator: tu carcerem, ille gehennam minatur.* Hic iam tibi assumenda est fides tua tanquam scutū, in quo possis omnia ignea iacula inimici extinguere. Iusserat Nabuchodonosor, vt aurea statua adoraretur; quod qui facere noluerunt, Deo talia prohibenti placuerunt.

Ita & Polycarpus Apostolorum discipulus & scripsit, & fecit. Scripsit Philipensibus. Obsecro vos omnes, vt Magistratibus obediatis, & omnem patiētiam exerceatis, quam ad oculum vidistis, non solum in Beatis viris Ignatio, & Rufo, & Zosimo, sed etiam in alijs nostræ professionis hominibus, atque adeo in ipso Paulo, & reliquis Apostolis. In quo vero obediendum esse Magistratibus vel non obediendum, eo quod ipse fecit, docuit. Cum enim illi suaderet, *Quid mali est si sacrifices, saluusque ita maneas?* Ille primum eis non respondit. Insistentib. autem amplius: *Non sum, inquit, facturus, quod suadetis.* Tum illi quod ei quæ vellent non persuasissent, grauibus virum incesserunt verbis, & cum impetu ex vehiculo deturbarunt, quo casu, in crure est grauiter læsus. Nihil autem rebus omnibus commotus, in stadium martyrij est progressus, & progredienti è cælo vox intonuisse fertur: *Fortis esto, & viriliter age Polycarpe.* Atque qui hanc edidit vocem, inuisibilis ille fuit. Interrogatus postmodum a Proconsule, *An ipse Polycarpus esset*, atque cohortatus vt ætatis suæ haberet rationem, per Cæsaris fortunam iuraret; ea quæ antea fecisset, p pœnitentiā aboleret ac ingēti voce exclamaret, Tolle atheos Deorumque contemptores: respondit. *Octuaginta & sex annis seruio Christo, neque vlla ab eo sum affectus iniuria. Quomodo ergo animum inducere possim, vt per blasphemiam ei maledicam, qui me saluum fecit, Regem meum? Quod si dissimulas me quis sim, nosse, Christianum me esse scito; atque si studio habes professionem nostrā cognoscere, da locū & tempus opportunum, eamque addisce.* Hic Proconsul. *Plebi hoc*, inquit, *persuade.* Et rursus Polycarpus: *Te quidem* ait,

Polycarpi exemplū. Niceph. li. 3. c. 19.

& 35. Polycarpi martyriū

vix aliqua veneratione dignor. Preceptum enim habemus, Magistratui & potestatibus debitum exhibendi honorem, si quidem Diuinæ pietatis cultui & virtutibus non aduersetur. Mox incendio condemnatus, maluit ferro & igne perire, quam Proconsulis edictum, Dei voluntati præponere. Vtinã nos tales Cygni. Sãcta generositate eleuati, obedientiæ quidẽ humanę iugo colla submittẽtes, tantisper, donec nihil illa mali præcipiat: ab eo aũt verticẽ eleuantes, si quid Diuinæ iussioni contrarium iniunxerit. Si nos adhunc modum obedientes, præmium obsequẽtiæ consequemur, hic in terris laudem bonorum, illic in cælis Coronam beatorum in secula Amen.

FERIA IV. POST SEcundam Dominicam Quadragesimæ.

Dic vt sedeant hi duo Filij mei vnus ad dextram. &c. Matth. 20.

CONCIO.

De vitanda ambitione.

expli. Leuit. 11.

CVM Deum Opt. lego Hebræis prohibuisse, *Noctuam ne esto*, in admirationem venio, cur noctuã inter obsonia reproba numerarit. Medici aiunt, multimedicam esse eius carnem. quid itaq; populo multis morbis obnoxio interdicta? Lucifugium veritatis, & Honoris ambitũ

noctuam ne esto. quid.

prohibebat, cum esum Noctuæ prohibebat. Quia enim illa refuga est splendoris dij, ambit tamen inter Sacras volucres videri, licet sit perpetuis tenebris damnata: non vult autem hominem esse vt refugam veritatis, ita & honoris appetentem si quis illum nõ desiderat vt Aaron: ideo symbolo interdictæ noctuæ, voluit docere suos, vt sint Amatores veritatis, neq; vero Ambitores dignitatis, propter causas quas docebo. Non laudauit Matrem hodiernam, quæ pro duobus Filijs, confessum dextræ & sinistrę Iesu flagitans ambiebat. quinimo adolescentes interrogans, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* docuit effugium Ambiendi. quod dum ego aperio, vitandæ ambitionis vos cupidos esse volo.

Inter symbola Dignitatis, *Noctuam* esse, lego in notis hieroglyphicis Aegyptiorum. siue a Sapientia quę Magnos decet, cuius propter nocturnas lucubrationes index nõctua; siue ab auspicio, quod magnos ostendit, quorum dignitatis, non semel ostentatrix illa. Nescio an audistis de Agrippa. *noctua symbolũ dignitatis.*

Imperante Tiberio cum iuxta palatium in vinculis ad arborem teneret, insigni amictus veste, vt eius fortuna ferebat; Germanus augur, qui in vinculis etiã tenebatur, supra Agrippæ caput, in arbore cui alligatus erat, bubonẽ aspexit; & a custodibus, *quis is esset?* postulauit. Cum autem ei custodes illius fortunam narrassent, ita egit, vt in propinquo ei alligaretur, vt cõmode alloquendi illi copia esset. Itaq; ei vicinior factus, blandis verbis illum solari cæpit, atq; affirmare, *Præsentem iniuriam vinculorum euasurum, ac Iudæorum regno feliciter potiturum: ite liberos quibus regnum relinqueret, procreaturum. Sed si in posterum capiti suo, iterum eiusmodi auem impendere vidisset, sciret morti se propinquum fore.* Non multo post, Tiberium mori contigit. Caligula autẽ Tiberij successor, in cuius contumeliam, Agrippa cathenis vinctus fue- *ab Agrippæ portento.*

rat, eum liberauit, atque Iudæorum regem constituit. Idem postea in Cæsarea vrbe, cum eiusmodi auem conspexisset, in ęgritudinem incidit, regnumq; liberis, quemadmodum augur pr dixerat reliquit. Eadem auis cuiusdam hastæ insidens, maximam ei dignitatem præostendit. Propterea Gentiles, inter notas mysticas Honoris & dignitatis, *Noctuā* figurabant, pręsertim si illa visa atq; conspicua in lumine.

quæ omnino vitanda. Cum itaque Deus interdiceret, *Noctuam ne esto*; ambitionem honoris & dignitatis inhibuit. Vultis causam? Primam dabo, quod ea fons mali.

I. *Ambitio enim fons mali.* Timon qui cognomento Misanthropos dictus est, elementa malorũ vocabat *Auaritiam* & *Ambitionẽ*. eo quod ex horum vitiorum fonte, cętera omnia vitia prouenire ac manare viderentur. *Stob. ser. de iniust.* Sororias dixeris? an vero vnam alterius matrem, an nutricem vocabis? Ego prorsus non facile decreuerim. Nutricem sane quispiam appellauit ambitionem, *Claudia. in Stilicõ.* cum Stiliconi panxit:

Trudis auaritiam cuius fœdissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis foribusq; potentum
Excubat, & pretiis commertia poscit honorum
Pulsa simul — — —

Esto, esto, nutrix Auaritiæ Ambitio. digna Nutrix puppo tali; q totquot sunt *omnium malorum Radix*. Sed si auaritia radix omnium malorum, quid erit nutrix eius Ambitio, a qua illa suxit? Dubio procul quin Pandora omnium quotquot sunt, aut excogitari possunt malorum. Quod primum vultis? In ipsum ambitiosum? In amicos? In Deum commissum? Accipite primum, in ipsum ambitiosum cógestum. & istud ex multis duplex, alterum indignitatis, alterum insaniæ. Indignitatis, dum auram Palatinam captans, vel Scopario inclinabit: nec inclinabit tantum, sed & ipsum adorabit. insanię autem, dum honores mente versans, seipsum ridiculum pręstabit, Angelis & vniuerso orbi. Vnum aut alterum producam ex his Noctuę nidis. *Aelian. lib. 14.* *Annonis stultitia.* Annon Carthaginensis, prę nimia ambitione noluit intra hominum septa permanere, sed prę stantiorem de se famam, dignitati parandę, euulgare statuit, quam natura sua pateretur. Itaq; plurimas aues, ad perdiscẽdas cantiones idoneas coemit, & in tenebris obscuroque loco aluit, solumque vnam cantilenam eos docuit: *Annon est Deus.*

Quę cũ vna duntaxat audita voce, eam coplexę essent cõsuetudine, aliam alio in diuersas plagas dimisit: arbitratus auium carmen de se vulgatum iri. At illę semel alis solutę, libertatemq; adeptę, & ad cõsuetum victum reuersę, naturalem cantũ ediderunt, & auiũ modulationes recoluerunt, longo vale Annoni doctrinæque, qua in seruitute imbutę erant dicto. An non merito insanus iste vobis videtur, qui per aues, auceps erat dignitatum? Quid vero illi qui parasitos implent? quid illi qui amicos fraude quærunt? quid alij qui vix non aues docent? Hic aureo eloquio, virga dignus? Hic *qui fricabat mulos dignus Consul?* Hem an non væsani? non vecordes? Cum tamen illi qui aureo ore se dici volebant, ijs ipsis quos falso præformarant, sint, quod dicitur, *ferrei cordis, plumbei oris*. *Commodi insania.* An vero non insanus Commodus Imperator, qui cum se Herculem monstrorum domitorem dici vellet, colossi cuiusdam abscisso capite, sui capitis imaginem exornandam reposuit, data ei claua, leoneque æneo subiecto, vt Herculi similis esset? *Dion Nicæus & Xiphilinus.*

An

An Commodi insaniæ non assimiles, qui dum sunt quod vocant in minoribus, Curios simulant & Bacchanalia viuãt? qui intus Nerones, foris Catones? O quanta seges istorum impostorum. Ecquis finis? Simij muliones, frictores dum sunt in solio, per dibapha apparét.

Iam in amicos & hominum fidem quam sint iniurij, vel Cicero testis. Ambitio, *inquit*, multos mortales falsos fieri coegit; aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimare, magisq; vultum quam ingenium bonum habere. Quicquid est huiusmodi, in quo non possunt plures excellere, in eo plerumque fit tanta contentio, vt difficillimum sit sanctam seruare societatem. difficile est enim, quum præstare cæteris concupiueris, seruare æquitatem. Pestis maior esse nulla in amicitijs potest, quam in quibusdam honoris certamen & gloriæ. ex quo inimicitiæ maximæ, sæpe inter amicissimos extiterunt. Quid enim Ambitio? an non diremit amicitiam, inter Saulem & Dauidem? Quid fecit in Chore, Dathan, & Abirone? Quid in Nadab, Abiu & illa Synagoga? Quid in Absalomo? Quid in horas non faciat, inter istos quos videtis qui ambiunt? Proconsul vt fiat in aliqua Ciuitate, & amicos, & cognatos, & liberos abnegabit. Non excutio alios.

in Rhetoric.

in offic.

In Deum vero quam iniurij ambientes? Erit qui se Diuino vel ostentum ostento, vel pronunciatum oraculo, non modo asseuerabit, sed & per imposturas, per somnia falsa, per subordinatos suffragatores accurrabit. Quid ille Flauianus Cõstantinopolitanus? Sed narrabo. Postquam Acacius Constantinopolitanus, a Romano Pontifice excommunicatus est, & alius in eiusdem locum substituẽdus esset, tum Zeno Imperator, vt tolleret occasiones turbarum, quæ in electionibus plerumque oriri solebant, chartam puram obsignatam in altari reposuerat, & in alia scripta Deum orabat, vt ipse in mundam illam notis designare vellet, quem Constantinopolitanę Ecclesię prę fectum vellet. Tunc vero Flauianus præsbyter, homo summę audaciæ & impietatis, æditµo pecunijs corrupto, fecit vt suum nomen papyro inscriberetur. Hac fraude episcopatum adeptus est; Deo ipsi iniurius, a quo se quasi datum iactitabat. Quem tamen vix quatuor menses sustinuit, cum Deus illũ e medio sustulit. Quid vero ille alter ex seculo, qui dignitatem prætoriam aucupans, calculos suffragatorios aduersarijs suis distribuendos ex gypso obtulit? qui in vasculum aquę coniecti, atque mox dissoluti, in aqua, illos tantum quos amicis electoribus dispertierat reliquerunt; atque quasi miraculo, oblatam ei dignitatem, indicarunt? O quanta seges est impostorum, qui, vt a Deo se electos asseuerent, vel pariete pertusos sese ostentabunt, vel sordibus aut schedis interceptis vel suppositis illos sese venditabunt, quos Deus emisit non nisi vt deijceret: in eorum qui eligunt, vel suam ipsorum calamitatem.

Flauianus quid fecit in electione.

Baro. an. 488. ex Niceph. lib. 16. c. 16.

Calculi gypsei cuiusdam.

Atque hic mihi se aperit alter Fons malorum ex Ambitione, in genus humanum primo. Agrippæ qui vocantur, quoniam præpostere nascuntur, hoc est, pedibus primum emergentibus, malis auspicijs in vitam ingredi creduntur; magnoque humani generis malo, vt Marcus Agrippa, & Nero. Quam absurda illi monstra? quam exitiosa mortalibus? Ita qui per nefas & ambitio-

2. Ambitiosi iniurij generi humano.

Agrippa præpostere.

bitionem irrumpunt in jmperium, aut dignitatem, magnam pestem adducunt Orbi, jta vt in illos dice re possis, *Canis digna sede. Nero, Caligula, Heliogabalus dignus Dignitate*. Quasi ex tripode in ambientes Tragœdus.

Senec. Tragœd. 10.

Colit hic reges, calcet vt omnes.
Perdatque aliquos, nullumque leuet,
Tantum vt noceat, cupit esse potens.

Quid si non tantum vt homines, sed etiam Deos calcet? Omitto nostra, ne tintinnabulum pulset. Caligulani, vnicum ex suo capulo educo. Hunc quod Ambitio in Deos prouocarit, dignus hoc theatro, vt & suos Caligulas videatis. Quos? Expectate donec Caligulam repræsento. Is factus Imperator, ambiebat etiam Deus appellari. Cum voluisset, atque sibi ipsi Diuinos honores ascripsisset, superbiens, Templum in vrbe sibi faciendum, & domum in Capitolio ędificandam curauit, quò posset, sicuti dicebat vna cum Ioue habitare. Sed indignatus postea, quod sibi habitāti cum Ioue secundæ partes darentur, eum propterea accusare cæpit, quod Capitolium occupauisset. Ob hāc causam, templum alterum ædificari in Palatio diligenter iussit, eoque statuam Iouis Olympij in suā formam transferre voluit, sed non potuit; propterea, quod nauis quæ ad transuectionem eius parata erat, fulmine percuteretur. Quoties autē ad eam statuam tangendam ibatur, multus risus audiebatur. Quare Caius minatus Ioui, aliam sibi faciendam curauit: templumque Castoris & Pollucis, quod erat in foro, demolitus, inter medias statuas eorū aditum sibi ad palatium patefecit, vt Castorem & Pollucem, sicuti ipse dicebat, janitores suos haberet. Dialem se nominabat. Calonem vxorem, & Claudium, alios ij; locupletissimos homines, Sacerdotes fecit. Cumq; seipse sacerdotem fecisset, equum collegā in sacerdotio designauit: singulis diebus aues teneras & pretiosas sacrificandas sibi curauit. Tonabat etiam machinis quibusdam & fulgurabat, ac quotiēs fulmen de cælo caderet, ipse contra iaciebat lapidem, dicebatque in singulis iactibus illud Homeri, *Aut tu me interficias*, inquit, *aut ego te*. Multorū numinum statuis capita ademit, & sua imposuit. Castoris atque Pollucis templum, ante palatij sui valuas transtulit: atque illic inter Deorum statuas sedens, tanquam Numen coli se iubebat. & cum aurata barba, manu fulgur teneret, Iouem se Latialem appellabat. Cum autem interdum tridente manum armaret, vt Neptuno similis esset, maris numen dici volebat. Lunam quoque tanquam fœmina esset, in eundem thalamum ac lectū inuitabat, & cū ea se cubasse venditabat. Victoria se coronatū esse iactabat. Iouē etiam se ab vrbe depulsurum minabat, quod nonnunquam emissis imbribus, ludos ac munera, quæ edebat perturbasset. Audistis insaniam? Vidistis perniciem religionis qualis, qualis? Nihilo meliores sunt, qui se ab Ecclesia Catholica, propter ambitionem segregarunt; Luther, Caluus, Menno, Dauid, & si quis alius in corpore dæmon: qui sibi honores Diuinos vsurparunt, qui eiectis ex Templis statuis Diuorum, SS. Deiparæ & S. Ioannis, suas pone simulachrum Crucifixi alibi statuerunt; qui vbique ex Ecclesijs prophanatis, Diuinissimum Sacramentum corporis & sanguinis Iesu proiectantes, suas indidem temulentiæ sacras imagines colloca rūt; qui, quod Lanzuti olim dictum, a quodam eius fæcis audistis, vomuerunt, illud quod Caligula, in fulmina. *Aut tu me interficias, aut ego te.*

Caligula pestis generis humani. Xiphilinus.

Plerimus erat qui pluuio et fulminā te cœlo subdio strabat, hacque blasphemabat.

Quid

Quid si alios atheismos aliorum recenseo? Nimius essem apud vos, qui bus planum, ex Lutheri schola disci pulos vna cum suo magistro, tam esse similes Caio, quam ouum ouo. Vere dictum a Timone, Fons malorum Ambitio. quæ etiam corriuāt in Deum.

3. Ambitio crux ambientium. Sed æque est profluus iste Fons in Ambientes. Nihil metuatis. Habent & ipsi quod bibant, non caua vola, sed dolio pleno. Phauorinus pronunciabat *Ambitiosos partim esse ridiculos, partim odiosos, partim miserabiles. Ridiculos quidem, qui ambitiose ad maiora aspirant. Odiosos, qui ea consequuntur. Miserabiles autem, qui spe falluntur*. Quid si ego ostendo etiam quando spe sua potiuntur? Possum enim. Nam nihil est miserabilius illo, qui per ambitum splendet ostro. Vere & plusquam verè, ab ipsa veritate dictum, *Qui vult esse maior ex vobis, sit vester seruus*. Si enim nonnulla seruitus est illis, qui non sua sponte, sed vel Diuino iudicio, vel hominum electione inuiti ad solia pertrahuntur, ita vt Nilamon mori præ elegerit, antequam Episcopatum susciperet; & ille alter in diadema dixerit; *O nobilem pannum*: quantam putas seruitutem illi seruiunt, qui ambiuerunt? Si suffragatoribus conniuent; Candidati seditionem mouent. Si Candidatos prehensant; suffragatores perniciem creant. ita vt *Ambitio sit Ambientium Crux, ex qua illi decidui*. Itaque rectè *Plutarchus* dicebat. Qui viro ambitioso addit opes & gloriam, is febricitanti ministrat vinum, bilioso mel, cœliacis obsonia, quę morbū animi, hoc est stultitiā, insuper & miseriā augeant. Vt Colossi seu statuę male libratæ, sæpius subuertū tur; ita honor per inuidiam euertit multos. Vt Stellæ subito natę, subito item euanescunt, ita qui repente subuehuntur ab honores, cito pręcipitari solent. Honores quid simile cum fungis, sed insuper peius aliquid obtinent. Etenim ij tantum ventrem inflant, & aliquando leuiter mentis particulam vexant, & mortem inducunt. honores vero vniuersum hominem reddunt tumidum, nec intellectus partem, sed totum vitiant animum, imo totum hominem pessundant. Pręcocibus fructibus semper aliqua tempestas & periculum imminet: ita eos qui pręmature & pręposteré ad honores promouentur, fere tumultus & miseria, & confusio, & calamitas extrema excipit. Vetus in tales diuerbium. *Bos in quadra argentea*. Vt enim ille in ganea diuiturę datus; sic & Ambitor nonnisi perditioni aptus.

Stob. Ser. 2.

Similia.

Apologus testudinis volaticæ. An audistis apologum Testudinis volaticę? Rem ridiculam in miseros propalabo. licet enim. Iunxerat testudo societatem, cum duabus auibus. Accidit quodam anno, vt æstu sideris & cæli ardore omnia squalerent, riuulusque vbi illi manebant funditus exsiccaretur. Placuit igit' alio ire; sed obstabat ambitio sociæ & amicæ testudinis, quæ & ipsa euolare cupiebat. Cui vt satisfacerent, tandem hanc ineunt rationem. bacillum transuersum rostris capessunt, &, quandoque illam ambitus volandi habet, medium tenere mordicus testudinem iubent. ita se sublatam in aerem secum asportaturas in loca irrigua, & ad perennes aquas pollicentur. Sed hoc iterum atque iterum monent, semel prehensum bacillum vt teneat, neue committat vt os aperiat suum. Ita cum illa subuolarunt. Aliquātisper processerant, cum vident alię testitudines rem admirabilem sibi; seque mu tuo inclamant, & demonstrat vna alteri volantem sororem. Tum illa

oblita salutis suę & præceptorũ salubrium, dum honorem adeptum iactare volens, *Etiam*, inquit, dicere volebat, *se volare inuitis omnibus*: amisso per hiatum bacillo, delapsaque in saxum, testa fracta interijt. Eorum qui Icari vel Phaetontes ambientes casum insinuat, quo de altitudine concupita turpiter decidentes alliduntur.

Si in aliquos, appositè in Ambientes, Cyrus Cræso consulenti, de bello suscipiendo, contra Tomyrin Reginam Massagetarum, respondens, *Si*, ait, *tibi esse videris immortalis, nihil est opus, vt tibi meam sententiam dicã. Si vero te quoq; agnoscis hominẽ, illud imprimis discito, talẽ humanarũ rerum circum esse, qui rotatus, eosdem semper fortunatos esse non sinat.* Vere, vere. Quis est.n. Aquilę pullus, qui sibi etiã a Scarabeo non timeat? Apologus de Scarabeo insinuat, cui aquila in sinu Iouis fętãs, iniuria. cui ille clam se indens, atque globulum stercoreum secum ferens, inter pullos reposuit. quod Iupiter conspicatus, & fimum expurgare a stercore volens, vna cum illo imprudens pullos aquilinos eiecit. Notus est apologus, quam vt sit pluribus opus referre. Narrabo tamen vnum vnicum & singularem Vitreę Diuę lusum, quem lusit in Philippa Catinensi. dignum certe vt prę oculis habeatur, ab his qui ex humili fortuna clari. Res facta est, ad hunc quem enarro modum.

& Scarabai.

Philippa fortuna.

In Siciliam traiecerat Robertus dux Calabriæ, Caroli secundi Neapolitani regis filius: atque in ea aduersus Fridericũ Imperatorem, vrbem Panormum obsidebat. In castra, Robertum virum Iolanta secuta erat, forteque euenit, vt pariendi necessitas eam vrgeret. Cum aliæ illic matronæ non essent, obstetricis officium diligenter pręstitit Catinẽsis mulier Philippa nomine, quæ quondam piscatoris vxor, lauando victum quæritabat. Illi postea ortus puer, alendus est datus. Qui etsi haud multo post decessit, Philippa tamen in aula ad Iolantis seruitia mansit.

Præerat eo tẽpore Roberti culinę Raimundus Campanus. Is seruum Maurum emerat, quem baptismatis charactere insignitum, a nomine suo appellauit. Cum autem ipse ad maiorem fortunam esset euectus, curauit, vt Raimundo Mauro culinæ præfectura traderetur. *Fulgos. lib. 6. ca. 10.*

Inde Campano Raimundo rex Philippam coniugem dedit, cum ante equestribus eum ornamentis donasset. Interim Iolanta decedit, & Robertus Sanctiam ducit vxorem. Penes eam quoque, Philippa honesto loco remansit. Et Robertus ad regnum euectus, Ioannam primam ex filio Carolo Calabriæ duce neptem regendam dedit, & Philippæ virum domus Administrationi pręfecit. Cui in eo honore mortuo, filius sufficitur; & cum is quoque decessisset, relicta Sanctia filia, Robertus alius frater in eo honore successit. Interim auo patreque defunctis, Ioãna prima regnũ accepit: atq; Andreæ patrueli, qui in Pannonia erat nubit. Cum in hoc statu res essent, tanta fuit Philippæ felicitas ab industria, vt filius eius Robertus, a domus administrandæ pręfectura, ad magni Connestabulatus honorem conscenderet: & neptis Sãctia, Morconi comiti, in matrimonio collocaretur, ipsaque arbitratu suo regni habenas moderaretur. Cęterum studio hęc alte volans, præcipitata interijt.

Cum enim postea Andream Ioãna sustulisset, atque ex Pannonia profectus Ludouicus rex, Ioannæ ad vlciscendam fratris mortem arma

intulisset, a principibus Neapolitani regni, Ludouici studiosis, Philippa cum omnibus suis capta est, cum ipsa Andreæ mortem molita putaretur. Habita per varia tormenta eius rei disquisitione, omnes è Philippæ stirpe, Philippa ipsa spectante occisi sunt: & post eos ipsa quoque inter omnium conuicia, cādentibus forcipibus totum dilaniata corpus, viua tandem combusta est. quam fortuna visa erat ex lotrice, in eum sublimem gradum, ad regēdum ingens regnum euexisse: vt quo altior eius fuisset fortuna, grauior quoque casus atque ruina foret. Itē nūc Comessatores, & *Noctuæ escam* queritote. Ab hoc edulio tenebris infamię, miseriæ, & tandē ignis æterni damnādi. Possem & alia lubidria ambientis fortunę commemorare. Sustineo. hoc tātū adiungo; multos piorum vidētes talem statum, in dignitate positorum, potius quid vis aliud elegisse quam se tot periculis obijcere. Apud Nicephorū, Ephraim Eremita designabatur vrbi cuiusdam Episcopus. & iam qui eum ad electionem abducturi erant, adueniebant. Ac ipse statim eo cognito, in forum progressus, velut mente captus, indecore gradiebatur, non satis honeste vestem post se trahens, & quę venalia erant surripiens propalamque comedens. Sic ille mentis impos existimatus, electionem effugit, & tantisper dum alius Episcopatum reciperet, occultans se latuit. Alter anachoreta, vrbi alteri postulatus Episcopus, dum nuncij venissent ad deducendum, tridui spatio impetrato, tantum se in oratione afflixit, Deum orans, vt illum prius vitæ eriperet præsenti, quam periculo vitę in dignitate exponeret. Orauit & exorauit. Nam post triduum, mortuus inuentus est iacens in cubiculo extentus.

Sancti fugiunt dignit.

Ephremi factum. lib. 9 c. 16. Baro. ann. 410.

Nilamon mori præelegit.

Quod si tam magni, tantopere ambitum fugiebant, quid nihili homines debent aspirare? Porro illud est mirandum quod Synesius fecit. Is erat patria Cyrenensis, Alexandrię diu versatus, vxorem & filios habens, Philosophusq; pręstantissimus. Itaq; a populo Ptolemaidis Episcopus postulatus, a clero electus, a Theophilo ordinatus est: cum tamen omni conatu, & arte vsus, vt illum euitaret, palam contestatus esset verbis & scriptis, se minime cælibem vitam acturum, vt alij Sacerdotes; nec adduci posse, vt contra Philosophię præscripta, crederet mundi occasum fore, Corporum resurrectionem, vel ante corpora formari quā animas. quæ omnia simulate agebat Synesius, verbis vt S. Ambrosius factis, dum ne Episcopus ordinaretur, se adulterum & sanguinarium credi voluit. Verebātur isti, ne hoc excelsum, esset illis ad casum. Vbi nunc illi, qui vel pecunijs, vel sordida seruitute dignitates quærunt? Sed indignum est prætérire Ammonē, qui etiam præclaro exemplo docuit fugiendas ambitiones. Cum enim illis a quibus abducendus fuerat, multa dixisset, neque tamen eis quod volebat persuasisset, amputata sibi auricula dextra; *vel nunc*, inquit, *demum abite, quandoquidem deinceps etiam volentem, Ecclesię constitutio non recipit.* Et cum illi a Iudęis quidem talia obseruari & magnifieri, Ecclesiam autem Dei paruipendere, si modo animo & moribus saluus commodusque sit Episcopus, inter se dicerēt; ad eū reuersi comprehendere tentarunt. Ibi ille; *Si vim illi inferre pergerēt, linguam quoque sibi recisurum esse*, adiurauit. Sciebat, quid sit rationem pro tot animabus redemptis reddere, seq; tot periculis exponere. Nihil addo; sed te quisquis filius Zebedęi

Synesij excusatio

Ammonij factū

es.

es. Admoneo, *Noctuam ne esto*, quisquis cupis quiete & feliciter viuere in secula Amen.

FERIA V. POST SECVNdam Dominicam Quadragesimæ.

Crucior valde in hac flamma. Lucæ 16. c.

CONCIO.

De pœnis Inferni.

Expl. loc. Iob. 18.



NTER reproborũ pœnas, illa extrema est, quam illorum cuidam amicus quidã Iobi vocabat. *Aspergatur*, inquit, *in tabernaculo eius Sulphur. Deorsum radices eius siccentur, sursum autem atteratur messis eius. Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in plateis.* Scitis sulphur esse fætidum, & ignibus fouendis aptum. Aspergit illud Deus in sempiterno tabernaculo impiorum, & accendit. Nam ignis, grando, sulphur, pars illorum calicis; qui demersi in laco accenso sulphure & pice. An videtis vnum hodie, in hac sulphurea flamma? Quid patiatur? enarrabo.

Pausanias in Atticis.

Apud Athenienses ea vrbis regio quę Areopagus dicitur, inde nomen accepit, quod eo in loco ab initio Mars capitis causam dixerit, cum Neptuni F. Halirrothium in stupro filiæ Alcippes deprehensum occidisset. Eodem vero in loco, Oresti de matris cæde, judicium est cõstitutum. Extat ibidem *Mineruæ Areæ* idest, *deprecatricis Ara*, quam Orestes absolutus, dicitur dedicasse.

Areopagi Tribunalis hieroglyphica.

Scabella ibidem, quę saxa esse videntur, duo sunt argentea, quibus accusatores & rei insident: alterum *Contumeliæ*, *Impudentiæ* alterum vocat. Proxime Dearum est ædes, quas Athenienses *Seueras*, Hesiodus *Erynnes* nominat. Earum serpentibus crinem esse implicitum, primus omnium finxit Aeschylus.

Nihil forte peccauero, si imaginẽ judicij singularis, quod fit in morte cuiusq. improbi, tum deinde pęnarum quę a tali judicio expenduntur, deduxero. Nam & hic video subsellia, quorum vni reus peccator impudens & imprudens, alteri iustus accusator contumax & contumeliosus insidere sueuit, producens cõtra miserum, quid gessit in corpore mali. Namque *statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium*. Sed quam rigidum? Saxea subsellia, quibus reus, Accusator, & Iudex considunt, ostendunt. Saxeo scabello insidet, quisquis moritur peccator; cum nec quicquam eorum poterit abolere, quæ suo adamantino cordi inscripsit.

In Saxeo scabello consistit Accusator vterq;, & bonus, & malus; cum nihil plane eorum potest aut vult reticere, quæ suo in tempore faciendo, infelix ille commisit. Iudex quoque in gemmeo throno coruscus residere solet tunc ad suum lapillũ; atq; suum argenteum candorem facta improbi alicuius examinans, illud in improbum pronunciat, Adamantinum edictum: *Ligatis manibus et pedibus, mitte in tenebras exteriores. ibi erit fletus & stridor dentium.* Video quoq; prope Areopagum Diuinum, *Seueras Erynnes* vipereum crinem vittis innexũ cruentis, pro cyrrhis vel subuentaneis capillis ostentantes, & annosa brachia ijsdem serpentibus ignitis, in cædẽ impij armantes. Ah quam durum epulonẽ diuiti, incidisse in manus earum? Ah quam acerbum ex palatio aurato, in specum horrendam,

ale-

a lectis eburneis in stratam tineis perpetuis catastam, & a mensis opiparis, ad picis, sulphuris & ignis epulas detrudi, sempiternisq; tenebris & incendijs damnari?

Pœnæ inferni. Diuus Gregorius recensebat, in felicium, pœnas quas in inferno exsoluunt. *In inferno*, inquit, *erit* 1 *vermis immortalis*, 2 *ignis inextinguibilis*, 3 *fœtor intolerabilis*, 4 *tenebræ palpabiles*, 5 *horrida visio dæmonum*, 6 *confusio peccatorum*. 7 *desperatio omnium bonorum*, 8 *Mors sine morte, defectus sine defectu: quia mors ibi semper incipit, & nunquam deficit*.

1. Vermis. Leuit. 3. Primo erit *vermis immortalis* in inferno, qui conscientias excarnificabit. Etenim quæ post admissum statim facinus, vt quidam Poetarum dixit

— — —mens sibi conscia facti
Præmetuens, adhibet stimulos, torretque flagellis
Nec videt interea qui terminus esse malorum
Possit, nec quis sit pœnarum denique finis
Atque eadem metuit magis, hæc, ne in morte grauescant,

Vermem hunc excruciantem, non tantum non extinguet in morte, quinetiam magis ac magis viuificabit; quo magis peruidebit, quam graui scelere se impiauit, & quam pro leui & momẽtanea voluptate, atrocissimis se pœnis prædamnauit; quã insuper temere Orbis monarcham, pro nihilo violauit. De hoc verme immortali, stragulum opertorium cuidam contexuit, *Subter te*, inquit, *sternetur tinea, & operimentum tuũ vermes*. Hunc etiam vermem omnibus imminere euulgauit, *Vermis*, inquit, *eorum non moritur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsque ad satietatẽ visionis omni carni*. *Isai. 66.*

Pherecides symbola. Clemens Alexan. Lego in historijs Gẽtilium, Idanthuram Scytharum regem ad Darium Persam qui Istrum traiecerat, literas quidẽ misisse nullas, sed pro literis, symbolum hoc, *Murem, ranã, auem, sagittam & aratrum*. Quid si eadem symbola mittit Deus, his qui Cocythi Phlegetontisque vadis transmissis, horribili iactatu, de saxo mittuntur in atrã inferni turrim? Namq; mittit. Apud Senecam, Hercules Claudio Imperatore defuncto renunciat; *venisti huc, vbi mures ferrum rodunt*. Quid mures ferrum rodunt? Non expressit, quod miserum iam pati sensit, nimirum in inferno esse, tãquam murem vel glyrem perpetuum, qui ferream conscientiam mordens, in perpetuum lancinat. *in apocolocynthos Claudij.* *Ranis* raucum coaxantibus plenum, esse lacum infernalem, in Sacra Apocalypsi vidit Ioannes, quæ stridulum ingeminantes peccatoribus sonum, stridorem dentium conciunt in illis, qui commanducant linguas suas, præ dolore & afflictione spiritus. Sub imagine quoque *vulturis*, qui Titionis viscera depascitur renascentia ad pastum, *Aues* infaustas. Porro *sagittam* infixam, & aratrum sulcans animam, non nemo est qui non videat, qui scit damnatis in ipso vlcere vngues: scilicet in ipsis visceribus scelus admissum, nec dictamno penitentiæ euulsum. Pulicem exiguum, qui somnum interrumpit vnius horę non sustinemus; quomodo sustinent illi mures, ranas, vultures, tineas, serpentes, sagittas, vomeres quibus in æternum addicti & cruciati?

2. ignis. Vermi adiungetur *ignis inextinguibilis*, qui & animam & corpus vret, non consumet. Miramini, quomodo animam quę spiritus est, aduret? Eodem modo quo adurit Angelos reprobos, qui spiritus. Dicimus cum Lactantio, tantam Dei esse potestatem, *lib. 1. Diuinar. instit. c. 21.*

testatem,

testatem, vt etiam incorporalia comprehendat, & quemadmodum voluerit afficiat. Nam & Angeli Deum metuunt, quia castigari abeo metuunt inenarabili quodam modo; & dæmones reformidant, quia torquentur ab eo & puniuntur. Quid ergo mirum, si cum sint immortales animæ, tamen patibiles sunt Deo? Et quia peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne induentur, vt in corporibus piaculum soluant. & tamen caro illa erit insolubilis ac permanens in æternum, vt sufficere possit cruciatibus & igni sempiterno. cuius natura diuersa est ab hoc nostro. hic .n. nisi alicuius materię fomite alatur extinguitur; at ille Diuinus per seipsum semper viuit, ac viget sine vllis alimentis. Hoc igne, sine vllo reuiuiscentiū corporum detrimento, & aduret & sensu doloris afficiet, non tamen exuret. Sed quantum de corporibus absumet, iā im reponet, ac sibi perpetuum pabulum ministrabit. Miramini quomodo aduret, non exuret? Nihil miri. Rubus in deserto ardebat, & nō cōburebatur. Pyraustæ aui culæ in igne natę, vruntur nō exuruntur.

Alumine illitum lignum, non comburitur. In aquis feruentibus alicubi natæ ranæ coquuntur, non tamen elixantur. Præmisit auctor naturę, in natura hęc admiranda; vt ostenderet nihil miri esse, si in inferno, ab auctore iustitię, per ignem instrumentum iustitiæ, homines ardebunt, neque vnquam exurentur.

Hunc ignem minabatur cuidam apud Iobum. *Deuorabit*, inquit, *eum ignis, qui non succēdetur*. Ignem gehennæ miro modo paucis verbis expressit, *inquit Gregorius*. Ignis namque corporeus, vt esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. at contra gehennę ignis, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis, & successione non indiget, & ardore non caret. Bene ergo de iniquo dicitur, Deuorabit eum ignis qui non succendetur; quia omnipotentis iustitia futurorum pręscia, ab ipsa mundi origine, gehennę ignem creauit, qui in pęna reproborum simul esse inciperet, sed ardorem, suum etiam sine lignis nunquam finiret. Hoc igne reprobi quia ex anima simul & carne peccarunt, in anima pariter & in carne cruciantur. Vnde per Psalmistam dicitur. *Pones eos vt clibanum ignis, in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis*. Vt enim Sacra eloquia, & exterius & interius reprobos ardere, demonstrarent, eos & ab igne deuorari, & sicut clibanum poni testantur. quia per ignem cruciantur in corpore, & per dolorem ardent in mente. Negent ignem inferni Caluinistæ, qui tam aperta de illo testimonia S. Scripturæ habent. Negent ignem inferni, qui ignem in Pentapolitanos cęlitus missum, qui Chore Dathan & Abiron terra absorptos, qui Nabad & Abiu cum tot Leuitis igne deuoratos, qui cohortes ad Eliseum capiendum missas ab igne deuoratas, qui exercitum Senacheribi, ignibus cælestibus haustum asseuerant. Negent ignem inferni, qui hodie diuitem epulonem, in inferno positum igne torreri, nec vllam extinguendæ flammæ guttam de situla habere aspiciunt. Nos ab initio *Tophet* succensam agnoscimus. cuius supplicia ignea in illos quos nunc recensui explicata, præludium & indicium esse, confitemur. Narrabo aliquos ad exemplum, qui post mortem damnati, & hoc igne præusti.

expl. loc. Iob. 20.

expl. loc. Ps. 20.

Sanctu s

Sanctus Cyrillus refert, dum oraret, indicari sibi petens, qualiter se haberet Ruffi nepotis sui nuper defuncti anima: se fętorem primo sensisse supra modum grauem, neque naribus omnino nisi compressis tolerabilem; mox deinde ipsum Ruffum, conspexisse cathenis candentis ferri pręcinctum, flammas fumo mixtas ore vomentem, & toto prorsus corpore ex ardoribus, quos intra se habere videbatur, scintillantem. Cumque hoc spectaculo conterritus miraretur, & vehementer expauidus quęreret, quam ob culpam, iuuenis, moribus integer, & ob id omnibus quondam charus, talibus pęnis dignus iudicatus esset: ab eodem didicisse, nihil ei aliud crimini fuisse datum, pro quo ita vexaretur, pręter aleę lusionem, quoniam ipsa identidem vsus esset: & leuissimum vel nullum peccatum existimans, illud sacerdoti confiteri neglexisset.

Ruffi tortura.

O seuera Diuinæ iustitiæ iudicia, & expauescendũ examen. Si vnum in homine vitium, tot virtutibus quæ eidem inerant, non compensatum, vt ipse a damnatione liber esset; quomodo illis compensabitur, qui pleni flagitijs, nulla cum probitate decedunt? Et si tam sæuos cruciatus patiebatur aleæ lusor, quales quæso passuri sunt, fænerator, fur, adulter, homicida, vel hæreticus, vel idololatra?

Reparati visio.

Quo tempore Gothi Italiam vastabant, *narrat Gregorius*: Reparatus Romanus, improbus, magis quam ignobilis vir, dum defunctus plangeretur, reuixit. Et *mittite inquit, ad Ecclesiam Laurentij martyris sciscitatum, quid Tiburtius præsbyter agat. Vidi enim eum rogo impositum acriter torreri. Vidi & alium rogum, qui flammæ mucrone cælum lambere videbatur: de flamma quoque vocem erumpentem audiui, quæ indicaret quis ille esset cui pęna hęc parabatur.* His enarratis repente obmutuit, non sidere sed morte percussus; atque iterũ illuc, vnde redierat. abijt, Tiburtius etiam infelicem animam tunc exhalasse compertus est: de quo hominum præjudicium factum fuerat, nemine non vitam illius impuram detestante. Cum enim præsbyter esset, nihil præsbyteri habebat, præter figuram ac nomen. Reparato autem alios admonendi, non sui a perditione liberandi, copia data erat: Deo per illum cæteris consulente, vt cauerent eorum vitia imitari, quos ad gehennam damnatos, satis certo indicio cognouissent.

Monialis supplicia.

In Sabinorum quoque Prouincia, *vt idem Gregorius refert*. Monialem quandam fuisse traditum est; quæ corporis castitatem seruans, linguã procacitatis vitio polluebat. Cumque diem obijsset extremum, & in Ecclesia sepulta esset, æditmus nocte intempesta Ecclesiam ingressus, vidit illam ante altare distentam secari per medium, partemque superiorem igne cremari, inferiorem vero relinqui intactam. Mane igitur visa fratribus narrans, dum locum in quo eam vri conspexerat ostendit, deprehensa sunt in marmoreo solo, ardoris vestigia. Rideant nunc intemperantioris linguæ hæretici ignem, qui per istum quo in Ecclesia arsit Vestalis, indicatus est, quouis igne atrociorem. Scimus illius tam vehementem cruciatum esse, vt ad maledicendum creatori suo, in inferno adusti, consurgant, vt Ioannes qui vidit retulit. *Commanducauerunt*, inquit, *linguas suas præ dolore, & blasphemauerunt Deum cæli, præ doloribus & vulneribus suis.*

Bene Isaias peccatoribus inculcabat interrogans; *Quis poterit habita-*

re de vobis, cum igne deuorante? Quis habitabit de vobis, cum ardoribus sempiternis? q.d. scintillam de fumario non sustinetis; quomodo ipsam clybanum flammantem patiemini? Carbonis illapsum, qui leuiter cutem vssit excutitis. quomodo vero cum ardoribus sempiternis manebitis? Nemo vestrum est, qui non exhorreat, si quando videt miseros aliquos forcipibus ignitis laniari, vel superpositos rogo, vel ad crucem alligatos exuri. Vmbram ignis æterni timemus; quomodo ipsum ignem inferni, si perseueramus peccare, patiemur?

3. 4. *tenebræ & fætor.* Huic igni insunt *tenebræ palpabiles*, & ex illo exhalat *fætor intolerabilis*. Vt enim *Gregorius ait*, illa vltrix flamma transactorum vitiorum concremationē habet, & lumen non habet. quia illos, quos gehennæ ignis deuorat, a visione veri luminis cæcat. vt foris eos dolor combustionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret: quatenus qui authori suo corpore & corde deliquerunt, simul corpore & corde puniantur; & vtrobique pęnas sentiant, qui dum hic viuerent, prauis suis delectationibus ex vtroque seruiebant. Porro lacus ille igniuomus, mephytim intolerandam exhalat, quā a Sulphurea aqua qua perfusi, quā ab ipso incendio quo exusti.

5. *visio dæmonum.* In inferno deinde adest horrenda multitudo dæmonum, quos velint nolint, videre coguntur damnati. Nota est Reguli Romani apud Pęnos vigilia perpetua: quam vt dies noctesque vigilaret, palpebras & supercilia illis supereminētia honestis pręsecarat, ita vt nulla ratione obdormire posset. Assimile quid patiuntur in inferno, jnconniuentibus enim oculis aspiciunt, Scyllas bifor-mes, Cerberos tricipites, Briareos centimanos, Lernęa monstra, ac horrendum stridens flamisque armatam chimęram, tum Gorgones, Harpyias, & formam tricorporis vmbrę.

Has inter formas conjux Iunonis Auernæ *Sylius 13.*
Suggestu residens cognoscit crimina Regum.
Stant victi, feroque piget sub judice culpę.
Circumerrant Furię, pænarumque omnis imago.
Quam vellent nunquam sceptris fulsisse superbis?
Insultant duro jmperio. non digna, non æqua
Non licitum viuis. tandem permissa queruntur.
Tunc alius sęuis religatur rupe catenis
Ast alius subigit saxum, perque ardua montis.
Vipera domat hunc eterna Megæra flagello.
Talia lethiferis restant patienda Tyrannis.

Cęcidas quidē Ciuis Megalopolita mortem contemnebat, *quod* inquit *post mortem visurus esset Pythagoram, Hecathęum & Homerum*: quasi cum illis philosophaturus, & philosophię studio dolorem leniturus. Sed quid si pro Pythagora Beelzebubum? si pro Hecathęo Behemothum? si pro Homero Centimanum aliquem, vel septicipitem draconem? Si pro philosophię oblectationibus, cruciatus & eiulatus, & stridorem dentium, & tenebras cymmerias, & laruas inadspectabiles retulit, prout referunt & vident omnes qui in puncto descendunt in inferna? Quę tunc spectaculi latitudo? *quærebat Tertullianus.* quid admirer? spectans tot ac tantos reges, *lib. de spectacul.* qui in cęlum recepti nuntiabantur, cum ipso Ioue, & ipsis suis testibus, in imis tenebris cogemiscen-

tes? item pręsides persecutores Dominici nominis, sęuioribus quam ipsi flammis sæuierunt insultatibus contra Christianos, liquescentes? Quos præterea Sapientes illos Philosophos, coram discipulis suis vna conflagrantibus erubescentes, quibus nihil ad Deum pertinere suadebant, quibus animas aut nullas, aut non in pristina corpora reditu ras adfirmabant. etiam Poetas non ad Rhadamanti, nec ad Minois, sed ad inopinati Christi tribunal palpitantes. Tunc magis tragædi audiendi, magis scilicet vocales in sua propria calamitate. Tunc histriones cognoscendi, solutiores multo per ignem. Tunc spectandus auriga, in flammea rota totus rubens. tunc Xystici contemplandi, non in gymnasijs, sed in igne iaculati: nisi quod nec tunc quidem velim illos visos, vt qui malim ad eos potius conspectum insatiabilem conferre, qui in Dominum desæuierunt. Hic est ille, *dicam*, fabri aut quæstuariæ filius, Sabbati destructor, Samarites & dęmonium habens. Hic est quem a Iuda redemistis. Hic est ille arundine & colaphis diuerberatus, sputamentis dedecoratus, felle & aceto potatus. Hic est ille, quem clam discentes subripuerunt, vt resurrexisse dicatur; vel hortulanus detraxit, ne lactucæ suæ, frequentia commeantium læderentur. Et hæc quidem dæmones, his qui supra. Quid vero in inferiori inferno positis pseudochristianis? Etiam his insultabunt, exprobrantes suos cuiq; næuos. Dicent Corruptis judicibus —— Dicent —— Sed hæc illi.

6. *confusio.* Ex hinc tanta confusio peccatoribus nascitur, vt necesse habeant clamare ad montes, *Cadite super nos, & operite a facie omnipotentis.* Ex

7. *desperatio.* hinc desperatio; cum videant non sibi amplius superesse aliquam redemptionem. *Frater enim tunc non redimet, nec redimet homo.* In Areopago prostabat statua Mineruæ deprecatricis; signum, quod poterat aliquis interponere preces, pro sedente in subsellio impudentiæ. In inferno nullum tale. Nullus ibi est, qui se obijcere ausit, pro damnato. Hinc itaque illis desperatio, & eo magis desperabunda, quia nullum effugium malorum. *Optabunt enim mortem, & illa fugiet ab eis.* Hor- 8. *Immortalis mors.* rendo modo fit miseris, mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu. quia & mors semper viuit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit. Mors perimit, & non extinguit; dolor cruciat, & nullatenus pauorem fugat; flamma côburit, sed nequaquam tenebras excutit. Quid tum miseri? Alij maledicunt nocti, in qua dictum, *Conceptus est homo.* Alij execrantur parentes, quorum indulgentia ad hæc supplicia deuenerunt. Maledicunt parentes liberis, quod propter nimium eorum amorem, indignos se fecerint amore Diuino: nihil pensi habentes Deum offendere, dum ipsis blandirentur, & propter ipsos auaritiæ cupiditatiq; dediti, per illicitos quæstus, diuitias quas ipsis relinquerent, compararent.

Maledicit frater fratri, amicus amico, quod sibi perperam actorum socius comesque fuerit, & non æqui aut honesti sedulus monitor atque consultor. Maledicit filia matri, quod impudicitiæ sibi exemplum fuerit. Maledicit filiæ mater, quod dum eam corripiendo lædere cauit, ipsa correptionem non cauerit vltionis Diuinæ. Maledicit alius alij, dum suam quisq; considerat ęrumnam, suæq; pęnæ stimulatur aculeis, quorum causam habuit ex alio.

Atrocitatē cruciatuum infernaliū *expl. loc. Soph. 1.* dum consideraret Sophonias Pro-

 pheta,

pheta, ita ad peccatores loquebatur. *Vlulate habitatores pilæ. conticuit omnis populus Chanaan; disperierunt omnes inuoluti argento*. Et erit in tempore illo, scrutabor Hierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in cordibus suis. Non faciet Dominus bene, & non faciet male. Antequam concludo; diduco monitoriũ istud salubre. Peccatores huius seculi, appellauit, habitatores pilæ.

Pila. hierog. mundi. Quid hoc? num aliquis in pila moratus est? Nomine *pilæ*, mundum intelligit: siue pilam accipias pro rotunda illa sphærula qua luditur; siue pro vase, in quo medicamenta contunduntur: siue pro columna media, quæ trabes ædificij sustinet: siue pro mole aquaria, ad tuendas a fluctibus naues intra portus & naualia, opere informi constructa. Omnibus enim istis symbolis, potest mundus significari. 1. Pila lusoria, quæ datatim percutitur & excipitur. annon mundus rerum volucris talis? annon & hi qui in mundo tales, sæpe a leuissimo vento vel aura iactati? In hos enim omnes Dauid optabat, *Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti*. 2. Pila tusoria mundanos significat; qui varijs cruciatibus affectuum, quasi in mortario contunduntur, & mortificantur. 3. Pila fultoria eosdem notat, qui in nihili confidunt, & spes suas, in arundineo Scipione locant; qui si fractus fuerit, perforabit nitentis manum. 4. Pila aquaria in eosdem quadrat, qui sicut illa varijs fluctibus & procellis fortunæ expositi, fluxa præ sempiternis, falsa præ veris, nullius momenti præ inęstimabilibus bonis, eligunt & amplectuntur. Horum stultitiam aspiciens Propheta, monet, *vlulate habitatores pilæ*. eo quod pro modica iactatione voluptuaria, iacturam incomparabilium bonorum fecistis. Fecit similem *Chanaam*, qui mercator stultus interpretatur: & in domo sempiterni silentij conticuit. Fecerunt & *omnes inuoluti argento*, siue in veste fulgido, siue in arca condito: & in perpetuo præcipitio *perierunt*. nec modo disperierunt, sed & igni inextinguibili arserunt, a lucerna scrutatrice, quę fęces eorum succendit.

Carolũ regem Nauarrę, scio a candela arsisse. Cum enim contra neruorum dolorem, linteo aqua vitæ tincto totũ corpus insuisset, & Sartor candela accensa filum præurere conatus esset, ignem extemplo totum linteamen concepit, miserumque Regem exussit. Ita fere miseris defixis in fęcibus suis continget. Scrutabitur Deus Ierusalem in lucernis accẽsis, a quibus illi ignem concipient, in perpetuum arsuri. *Caroli mors.*

Calimachum quendam legi, in temp'o Minerue, fecisse olim lucernam inextinguibilem, quam tamen tempus, & ventus edax dudum extinxit. At quam Deus impijs accendit, ea in perpetuas ęternitates ardebit, nec vllis aut aquis, aut ventis, aut ęternitate ipsa extinguetur. Ite inquit, *maledicti in ignem æternum*. *Calimachi lucerna.*

Epulare nunc diues splendide, in croceis, inuolutus argento; erit tempus, cum ne guttam quidem aquę impetrabis. Deglube nunc pauperes subditos, qui auro fulges, sanguine intertexto: veniet, quando *operimentum tuum erunt vermes, & vestimentum mixtum sanguine, in combustionem, & cibũ ignis*. Lętare etiam tu *iuuenis in diebus adolescentiæ*, lasciuiens velut iuuencus tener: aderit tempus cũ sulphure & pice, inebrabitur tabernaculi tui stratum. Nobis verò sit graue, in paupertate ętatem agere: nisi multo grauius sit,

siccis

ficcis faucibus anhelantem, vna aquę stilla perpetuo indigere. Sit ignominiosum in humilitate subijci, & se nihili: reputare: nisi multo ignominius est, omnia immundorũ spirituum ludibria, sine fine sustinere. Sit durum ac difficile, cõtempta carnis lasciuia castitati studere: nisi multo durius difficiliusque est gehennę flammas, abyssi tenebras, conscientię vermes, dęmonum iniurias, totius inferni multiplices variosque horrores, atque supplicia semper perpeti, semperque perpetienda expectare nunquam finienda. Auerte ò clemens Iesu, qui viuis in secula Amen.

FERIA VI. POST SECVNdam Dominicam Quadragesimæ.

Homo erat pater familias qui plantauit vineam Matth. 21.

CONCIO.

De primo Mysterio SS. Rosarij, Christi sudore & oratione in horto Gethsemani.

Botrus Cypri dilectus meus, in vineis Engaddi.



HALARIDIS Mater, Mercurium (cuius simulachrum paterã manu tenens, inter Deorum effigies domi suæ colebat) in somnis vidit, ex ea patera sanguinem humi spargere, pauimentoque illum rebullire, donec sensim, domum omnem fastigiotenus inundaret. Ostendebat visum, cruentam Phalaridis sæuitiam, quæ non vnam domum, sanguine postmodum repleuit.

Heraclides Ponticus.

Somniũ matris Phalaridis.

At dum ego lego vel Iacobi illud vaticinium, de Christo. *Lauabit in vino stolam suã, & in sanguine vuæ pallium suum*: vel pincernæ somnium, de tribus bumastis, ex quibus illum suum inebriauit Regem; vel sponsę noui Salomonis illud oraculum, de Iesu, *Botrus Cypri dilectus meus, in vineis Engaddi*: ab ista pallij & stolę, ex bumastis Cyprijs sudorifica purpuratione, credo & cõfiteor, non tantum integumenta quibus amictus Iesus, *in forma serui*; neque tantum hortum Gezemani, in quo orabat Iesus, in habitu supplicis, sed & vniuersum orbem, Salute Saluifica redundasse. De hoc sudore Botri Cyprij Iesu, mihi ad vos hodie sermo.

Inter omnia vina, Cyprium veteribus laudatum, a generositate & a palmitum vbertate; quorum vtraque a vitium magnitudine, ad stuporem vsque admiranda. Plinio referente, in Dianę Ephesię templo fuit vitis Cypria vna ex multis, ex qua dolati gradus, ad vsque editę illius molis laquearia & tecta pertingebant.

explic. Cant. I.

Plin. lib. 14. c. 1. Cypriũ vinũ laudatum.

Ab hac vitis procera magnitudine, & vbertas palmitum, & generositas vini pręcipua, tanquam ab aliqua matre non effęta. Huius vitis surculi depacti, in vineis Engaddi balsamiferis, quia asciscebant saporem iuxta radices crescentium fruticum Balsami, producebant botriones; odore & sapore suauissimo, Balsamina vina referentes: ideoque in summo pretio habebantur, vt & apud nos botri Muscatelini.

Huic Botro Cyprio, similem dicebat sponsa Iesum suum & nostrum. Sed qua de causa? Causam non difficile est indicare, Si eius sudorem sanguineum, & orationem Agonalem, in horto Gezemani consideramus.

Cyprus insula; vt Arator cecinit

fertur

——— *fertur Amoribus olim Dedita.*
& ideo Deę Amorum Veneri a Poetis cōsecrata. *Engaddi*, interprete D. Bernardo, significat duo. scilicet aut *oculum tentationis*; aut *fontem hędi*.

magis l udatus Iesus botrus amoris. Habeo iam Iesum sponsum Dilectionis, Botrum amorum ex amoribus castis conceptū, & castis amoribus generis humani flagrantem, cui parum erat, non modicum illud sanguinis stillasse in circumcisione; neque sufficiens erat illas tentationes in deserto tolerasse, nisi hodie procederet in hortum Gezemani, quem verius dixeris *Engaddi*: in quo *oculum tentationis* in maxima omnium tētatione exerceret, & ab hac tentatione Agonis, *fontem* sanguineum ex suo corpore aperiret; in ablutionem stolę, palij, & vniuersæ terræ, in qua nos olim *hędi*. *qui elegit pro nobis.*

pauorem. Prius de pauore ipsius, ex oculo tentationis, quem voluntarie sustinuit pro nobis. Nimirum, ne nos amplius timeremus timorem nocturnum, quo & Dęmones concutiūtur tremiscentes; sed tantum timorem dium, quo filij Patrem timent, quo & Angeli Deum timent.

quē peccatores pauent. Nota est formidolosa illa succussio, quam non nemo post peccatum in orbem inuectum patiebatur, fugiens a facie Dei. Namque in omnes prolatum est indiscretè: *Impius, nemine persequente se fugiet*. Cum etenim quis pactis cum Deo conuentis non stetit, & exinde benignum sidus eiu a se auertit, habet quod timeat; dum respectat ipsum, vel per se, vel per immissiones per angelos malos, vel per armatam aliquam creaturam, vel denique per ipsum hominem, ipsum hominem peccatorem rapientem, corripientem, & supplicijs addicentem. Ceruus vbi cornua amisit, latebras petit, & tanquam propudiosus non vult lucem aspicere; siue quod capitis decus, siue quod totius corporis robur abiecit. Sic & olim homines, dum in Adamo, iustitię originalis quasi ornatum & clypeum perdidissent, tanquam suppuderet damni, & tanquam aliquid ab omnibus impenderet mali, ceruo fugaciores remāserant, leporibusque ipsis timidiores euaserant.

Adamus cum Eua ligni recondita quæsierant. Caimus vagus solitudinis latebras inquirebat. Vnius linguę populi, Babelis molem ideo vt cauerent tam alte struebant. Sed quid video? Abrahamum ipsum Deo illum dilectum, inter sacrificandum pauere? horrere? Ita sane. Cum enim hostias mactasset, & ad offerendum dispofuisset, *Sopor irruit super Abraham, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum*. Sic & Magnum illum Dei amicum quà Dei magnitudinis, quà suæ indignitatis, quà peccatorum turpitudinis aspectus terrefaciebat. Quid vero illi alij magni, Moyses, Aaron, Iosue, Gedeon, Manue, qui ad apparitionem Diuinitatis in Angelica forma, vix hærebant? Quid gens electa, quæ nec loquentem Deum sustinet audire? Quid Iobus qui orat, *& formido tua non me terreat*? Quid Dauid qui testatur, *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ, & dixi. Quis dabit mihi pennas sicut columbę, & volabo, & fugiam, & requiescam*? Quid Daniel in quo post visionem Angeli, vix spiritus remansit? Non iam miror Balthasarum regem, cuius, post aspectum digiti tria verba superscribentis in pariete, *facies commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur & genua eius* *Gen. 15.* *Dan. 5.*

ad

ad inuicem collidebantur; cum & Sancti timentes vix spiritum continebant. Si enim columnæ cæli contremiscebant, cur non inflata a vento furoris inclinaret cassa arundo?

Et quia omnis homo tunc arundo, in quo tantundem erat fortitudinis, quantum in arundine; pluris vero timiditatis in corde quiuis gestabat, quam arundo in internodio suo: ideo & hunc pauorem nostrum voluit volũtarie suscipere, & pauere, ille qui neminem timet: Sed est firmamentum, refugium, & fortitudo, atque protectio in tempore tentationis & tribulationis.

Exurge, *inquit*, anime & maiores animos sume, dũ videberis animum despondere. Leo pugnaturus nonnihil retrocedit, & quasi pauorem simulat, vt iubata colla fortius tollat. Tu non simula, sed verum assume pauorem, quem pauida turba mortalium pauet. obijce tibi hinc hominem ingratum, illinc Deum iratum; illinc peccati turpitudinem, hic supplicij grauitatem; & cum hos pedes luteos istius statuæ Nabuchœæ respectaris, time timorem, ne aliquis de monte lapillus exiliat, & fulcris fictilibus percussis, totam istam concuciat, deterat, inque puluerem a vento rapidum redigat, humanam argillam. Dixit, & *formam serui*, etiam in hac hora induit, quando cogitauit. ah quam ingratus Adam, qui propter pomum reliquit Deum. qui propter æra contempsit aurum, qui horrendum serpentem præposuit speciosio Deo. Ah quam nefasti mortales, qui cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis. Neque tum tantum, sed & in æuum honorem suum qui non intelligẽt, sed iumentis insipientibus comparabuntur, computrescentes in stercoribus suis.

dum gra uitatem peccati.

Venit illi tunc in mentem, & parricidium Caimi, & libido Aboriginũ, & superbia Babelis fabrorum, & impudentia Chami, & Israelitarum murmur, & Dauidis cædes, & eiusdem adulterium, & philautia, & Ezechię fastus, & Achabi & Manasses scelera: & in summa totius generis humani peccatum, in quo illud, & ante, & tũc, & posteris temporibus inclusum. quibus omnibus in ijs qui præsciti ad gehennam, vel etiam in his qui ad vitam destinati, vel castigandis, vel eluendis, parum essent, totius iræ Diuinæ flammę fluentes, & flumina flãmantia.

Quibus velut in catoptra perspectis, voluntarie cępit horrere & pauere. Pro tantillo peccatorum, vah quomodo Deus *gladium suum vibrauit?* vah quomodo *arcum iræ tetendit & parauit; & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus infecit?* vah quomodo *dilatauit infernus os suum absque vllo termino, vt descendant in eum* omnes quotquot peccauerunt? Sed tu o Pater, in me potius declina iram tuam, in me arcum contorque, in me gladium stringe, in me diram lanceam mitte. Dum hæc Iesus cogitaret. *Oculus tentationis Engaddi*, quem voluntarie assumpsit, in illo voluntarie caligauit. dum a magnitudine suppliciorum, quæ peccatorib. pręparata; quasi succubuus in hoc agone, ter procidens in terram orauit: *Si possibile est, transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo. Sed sicut tu vis. Fiat voluntas tua.* O violentiam amoris. ille qui rapido turbine, & cælestia, & terrestria versat, a timore sustinet quasi versari; ille qui adiutor in tribulationibus, abscondens homines *in abscondito faciei suæ a conturbatione,* elegit

& atrocitatem supplicij consideraret.

elegit turbari, & dicere, *Tristis est anima mea, vsque ad mortem?* Ille qui suis omnem amarorem edulcat, qui tres pueros in flammea fornace irrorat & roborat, qui Danielē & Susannā inter mortes confortat, qui Machabæos iuuenes in sartaginibus & ignib. recreabat, qui oībus Martyribus inter laminas candentes, & serras diuidentes assistebat firmamentum, fortitudo, robur, nutare, tremere, timere decreuit. Quid causæ? Pro nobis. Ne nos amplius adeo meticulosi, vt antea simus.

expli. lo. Isa. 41. ita vt necesse habuit confortari. Quod est in Isaia Propheta prædictum, reipsa in horto præstitit. *Confortauit Faber ærarius*, ille scilicet quem irridebant: *Nonne hic est filius Fabri?* & cuius præconum tanquam lituorum æra inflantium, *exiuit sonus in omnem terram*. Iste igitur Faber *confortauit, percutiens malleo, eum qui cudebat tunc temporis dicens; Glutino bonum est*. scilicet jncutiens nobis suum Sanctum timorem, tanquam aliquem malleum vibrans. Vide quantum ego timeo, a facie iræ propter tua. puta & expende quantum? Si non magis, te oporret pauere propter tua? Si tantopere peccatum ex horrueris quod cogitas, facile illud non admiseris, sed propter hunc meum pauorem in meum amorem assurges, quo te mihi agglutinabis. Ex hoc itaque timore, quē timuit in horto pro nobis, Faber iste *confortauit* hominem *clauis, vt non moueretur*. sicut ad peccandum, ita etiam ad Caimico timore pauendum. Dixit deinde postquam pro nobis lubenter expalluit. *Et tu Israel serue meus, Jacob quē elegi, semen Abraham amici mei, in quo apprehendi te, ab extremis terræ, & a longinquis eius vocaui te, & dixi tibi. Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te. Ne timeas, quia ego tecum sum. Ne declines, quia ego Deus tuus. Confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera IVSTI MEI.*

Postquam hunc horrorem horruisset meus Iesus, jam lubentia est, etiam amictis sacco, ad Cælestem Assuerum, non amplius seuerum accedere. Inclinat ille cuique prōptus clementiæ Sceptrum. Iam ad montem Sanctificationis ipsius licet adrepere & reptilibus, quorum plenum linteamen ostensum Petro. Iam & illi, qui tanquam iumenta computruerāt in stercoribus suis, nihil vereantur terrentem Deum. Erit Paulus vastator Ecclesiæ; erit Centurio idololatriç seruus; erunt illi quos aliquando dedit Deus in reprobum sensum, nondum reprobati: erunt tot peccatis quot arenæ est in mari onerati; attollant faciem suam ad clementiæ Dei thronum geminātes, *Aspice in faciem Christi tui, quam nobis metuens luridauit*; aspiciet: agnoscet quia caro sunt: & quod solet, clementer jgnoscet. Habetis Iesum Botrum Cypri emarcidum, in horto Engaddi, ab oculo Tentationis & Tribulationis magnç, quam pro nobis interritus sustinuit.

Vultis Iesum aspicere tanquam Botrum Amorum, in vineis Engaddi, scilicet in Fonte hædi? Ecce dum sudat sanguineum sudorem, madidatur in fonte hædi. Sed cur? Itidem pro nobis. *2. elegit sudare sāguinem.*

Prouocauerant satis iam vindicem gladium reprobi, dum sanguine siue in victimis, cum filios & filias suas immolabant dęmonijs, siue in cædibus promiscuis, dum nec Frater a Fratre, nec Propheta a populo tutus, abunde profuso terram imbuerāt. Vox sanguinis Abel, & iustorum qui secundum Prothomartyrem occisi, clamabat ad Deū de terra.

Prouo-

Prouocauerunt deinde mystico sanguine communium delictorum, quibus terram impiarant, quando sanguis sanguinem tetigit, & nullus erat qui non exclamaret: Maledictum, & homicidium, & adulteriū, & cæteræ humani generis sordes jnundauerunt. Audiebat Deus Israelitas obsecrantes, quibus tū respondebat. Non exaudiam. namque manus vestræ, plenę sunt sanguine. Prosternebat se supplex, pro eis aliquis Ezechiel orans, prout ipse de se testatur. *Et cæde completa, remansi ego, ruique super faciem meam, & clamans aio: Heu, heu, heu Domine Deus, ergo ne disperdes omnes reliquias Israel, effundens furorem tuum super Ierusalem? Et dixit ad me: Iniquitas domus Israel & Iuda, magna est nimis valde, & repleta est terra sanguinibus.* Ac si diceret. Non exaudiam. eo quod terra ipsa quam sceleribus fatigauerunt, & tabe cruenta cōtaminauerunt, prouocat me ad furorem, quem juuat effundere super eam. An non audis quid dixerunt? Aiunt. *Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt. Igitur, & meus non parcet oculus, neque miserebor. Viam eorum super caput eorum reddam.*

ad hebetandam rompheā ianitricē paradisi.

Ezech. 9.

indidem

Dum sic in inflammaretur ad vindictam. *Et ecce vir qui erat indutus lineis* Iesus noster, iam non *atramentum habēs in dorso suo*, sed purpureum cruorem fundens processit: vt iam non atrum Thau signaret in frontibus occisionis, sed roseum A, absolutionis: neque vt atro atrore ex collo denudati inimicorum capitis præciso, sed vt suo proprio cruore, ex toto profluente corpore terram imbueret, & vniuersum orbem inundaret. Potuit sanguis ex cratere Mercurij humi sparsus, pauimentoque illisus rebullire, atque totam domum fastigiotenus inundare, ad perniciē: at Sanguis Iesu in horto Gezemani, tanquam per vas rimosum, ex toto corpore in terram profusus, quia Cyprij Botri est, Amore nostro flammantis & Ardentis, ab Ardore inextincti amoris Iesu rebulliuit. Nec vnum hostem, sed vniuersum orbem inundauit ad salutem.

indidem

ad absolutionis A. signādum.

cruore.

Laudatus Simon Oniæ filius sacerdos magnus, qui circumseptus *corona fratrum, coram omni synagoga Israel consummatione fungens in ara, amplificare oblationem excelsi regis, porrexit manum suam in libatione, & libauit de sanguine vuæ, effuditque in fundamento altaris, odorem Diuinum excelso principi.* Vmbra ad istam oblationem, quā Christus dispasso corpore libat in horto. jlla ex vuæ, hæc ex Iesu sanguine. jlla odorata odore simplo, hæc vere fragrantissimo aromate mixto. jlla ex simplici Botro, hæc ex Cyprio Amoris immensi, Balsama Diuinitatis redolente. jlla crepidinem altaris, hæc Orbem supernum & infernum imbuebat. Iam ab hac pluuia, non amplius terra spinas & tribulos peccatorum profert, quæ vel vnam guttam hausit: sed violas pudoris, rosas castitatis, lilia candoris, amaranthos modestiæ, Hyacinthos humilitatis, Cedros sanctitatis, oliuam misericordiæ, myrtum temperantiæ, cupressos bonæ famæ, myrrham mortificationis, & in summa. ab hoc irriguo superiori, demutata est in paradisum voluptatis, in quo Deus lubens, meridianum æstum fallit Amoris, quo ardet in genus humanum.

Eccl. 50. melius offerēs sanguinem, quam Simon vuæ liquorem

Hannibalis Pœni scelerata atque atrox nimis vox fuit, cum inspecta humani sanguinis plena fossa, *Pulchrum in ea esse spectaculum*, dixit. feræ enim quam homini, verbum conuenientius fuit. Non sceleratam, neque atrocem ego hanc vocem cen-

nihil hoc spectaculo pulchrius.

fuerim, si quis riuis ex corpore Iesu in horto abunde defluentibus, ostenderet aliquam scrobem, sanguine exundantem, Deo; atque ostendens diceret, vel etiamnum dicit, *Pulchrum spectaculum*. Nullum enim vnquã potuit, aut poterit obijci Deo pulchrius quam istud, quo animæ nitidantur, quo Ecclesia amœnatur, a quo Paradisus deliciarum Dei impinguatur, quo ira Dei restinguitur, quo clementia conciliatur, quo gladius versatilis hebetatur, quo Cœlorum orbes reserantur, quo Cœlites inebriantur, quo Deus ipse totus in Amores nostros titillatur. Tu qui te Deo sistis, potes ostentare: *Pulchrum omnium pulcherrimum, spectaculum omnium spectaculorum*, quod etiam Angelos in admirationem exciuit.

nihil vtilius.

Iacob cum vidisset Iosephi talarem, in sanguine hædi tinctam, præ dolore vix non est mortuus. non ita Deus pater. si quis illi vestem, ex Botro Cyprio Iesu venustatã præsentarit; non ille se continet, quin in amorem eius qui ostendit exiliat, & quod petit, indulgeat.

ad amorẽ accẽdit.

Conquerebatur olim per Prophetam, in lapideas mentes, quod silices potius mollescerent & non illę. *Multo, inquit, labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo, neque per ignem.* hanc rubiginem; vt a nobis abstergeret Iesus, voluit hodie ipse sudorem sanguineum sudare.

deærugitnat animam.

Quem hæmorrhois serpens percusserit, *aiunt*, illum apertis porris & omnibus venis sanguinando interire. & ne nos draco ille tali morte conficiat, elegit quasi ab hæmorrhoide ictus, sanguinando deficere noster Iesus. Vere bothrus Cypri Amore incenso flagrans, & Suauissimo odore fragrans, dulcis dilectus noster *in vineis Engaddi*. siue dum pro nobis horrorem horret ex Oculo Tentationis, siue dum pro

Stagnat sãguinatione spiritual.

Audite.

ijsdem nobis, sanguinem sudat *in Fonte Hædi*, tanquam non Agnus innocens, sed aliquis ex Fonte hædi. Quid tibi rependam mi Iesu, pro tam immẽsa dilectione? Scio. quod. scitis etiam vos, quid rependatis. Ministri regis Antiochi, qui elephantos ducebant, *elephantis ostendebãt, sanguinem vuæ & mori, ad acuẽdos illos in prælium*.

1. Mach. 6.

ad virtutem accẽdit.

Faciamus & nos. Obijciamus nobis sanguinẽ Bothri Cyprij, quem in horto Iesus noster sudauit, & in Salutarem iram nos accendamus, ad prælium contra eius hostes. Hostis eius superbia; hostis auaritia, hostis luxuria, hostis ira, hostis denique illa septiceps hydra, quam vt in hoc mari rubricato contribularet, sudauit. Eia contra istos erumpamus, omnes illas proculcemus. Nam possumus; per eum, qui in fonte sanguineo hædi, omnium capita confregit. Accendamur deinde ad amorem Iesu, qui pro nobis, ah nimium *sudauit & alsit*. Iulia Cæsaris Filia & vxor Pompeij magni, cum mariti sui vestem cruore respersam, domum relatam vidisset, Amans pręe dolore exanimis concidit. Imitandum in moribus id facinus. Vidimus tunicam Iesu, propter nostra peccata madidatam immenso cruore: eia si quid est in nobis, quod contra eius voluntatem, viuat moriatur; nec amplius viuat, sed viuat in nobis Christus.

homil. 2. in Iudic.

Origenes illa verba Paulina, *viuit vero in me Christus* declarat, quando viuit, quando vero moritur in nobis Christus. Si quando, *inquit*, de auaritia cogitas, & cupis aliena diripere; nũquid potes dicere; quia viuit Christus in me? Aut si de stupro cogitas; si furore exagitaris; si liuore succenderis; si inuidia stimularis; si temulentia debaccharis; si superbia extolleris; si crudelitate grassaris; nunquid potes in his omnibus dicere, quia

Chri-

Christus viuit in me? Moriantur ista omnia, resurgant virtutes. ita grati erimus reparatori. ita merebimur coronas, a regnatore in secula Amē.

SABBATHO POST SECUNDAM Dominicam Quadragesimæ.

Quid est pascere porcos? Luc. 15.

CONCIO.



Cant. 1. PONSVS olim ad sponsam: *Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos*. Itane? A thalamis, ad dumeta? Ab amplexibus lææ & dextræ, in quibus summa fęlicitas, ad errantes capellas, in quorum pastura nonnulla miseria? Nihilo benignius hodie Pater ad Filium. Postulat iste *portionem hæreditatis; quæ me*, inquit, *contingit*. Abitum parat ab indulgentissimis Parentibus, itq; desertum amatos lares. *Euge, euge*, ait Pater. *quod lubet concedo, quod licet permitto. Si sapis vt videris, desere penates, abi in agrum. Sed tu ipse videris, q.ui abis, quia abis pascere porcos.* Sin tuam dignitatē, sin meam beneuolentiam ignoras; quod mihi tu Filius, ego tibi Pater; abi, discede, & pasce porcos nō tuos. An tuam indolem deceat, agere subulcum? Tua, non adeo mea interest. Quid vtraq; ironia, nostri Ironis doceat? planum facio, dum doceo, Generosæ nostræ indolis necessariam cognitionem. *lib. de cibis Iudaicis. Suem ne esse.*

Porcum Flamen non tangebat, apud Romanos. Subulci apud Aegyptios, ab ingressu templi arcebantur. Populo electo, porcinæ esus interdictus. Pythagoras quoque suis discipulis, vsum eius prohibebat. Quid mali? Causam reperio, apud Tertullianum. Cum, *inquit*, suem cibo prohibet assumi, repræhendit vtique cænosam, & luteam, & gaudentem vitiorum sordibus vitam: bonum suum, non in ANIMI GENEROSITATE, sed in sola carne ponentem. Ex hac eadem causa, credo, nobiliores illæ Animæ, Flamini Diali porcum tangere vetabant: alij vero Subulcos, quasi aspectu Numinis indignos, a limine Templi exigebāt. Non mirum: si & Parens hodiernus super suū Subulcum luget, & postquam mutatorio syrmate induit pānosum, non amplius porcino gregi alendo destinat, sed inter magnos Conuiuas recenset. indignum ratus, vt Generosæ mentis adolescens, tam sordido ministerio deputetur. Iam scio vos pręconcipere, in vos, mutato nomine fabulam si fabula, quæ doctrina est nostræ dignitati accommoda, introduci. *ingluuiē cauere.*

Neque ibo infitias. in vos qui sub alio schemate, meri subulci. Tales ostendam omnes, quicunque præcipue, pestilentissimæ gastrimargiæ Serui. Ab ipsa Tertulliani interpretatione, exordior.

Subulcus est, qui *bonum suum non in animi generositate, sed in sola carne ponit*. Talis est quisquis est polyphagus. Carnis enim saccum, ciborum multitudine replens, animi generositatem vel obruit vel impedit, quominus ille homine digna & cogitet, & loquatur, & faciat: atque tandē cogatur, quasi pascere porcos.

Obruit animum gastrimargia. Apud Aegyptos *Cygnus, locusta, miluus, elephas, vrsus, & Struthiocamelus*, inter Hieroglyphicas Polyphagorum notas. *Cygnus* liguritor, præ pondere carnis, non multum volat, nec nisi pisciculos capere nouit. *Locusta* insatiabilis, ore quadrangulo & vno intestino, quasi *cuius polyphagiæ hierogl. 1. Cygnus. 2. Locusta.*

venter tota formata, quicquid viride inuenerit depascens, tantummodo gramina videt. *Miluus* licet in altum subuolat, tamen nõ volucres, sed vel serpentum, vel ranarum, vel murium, vel canum carnes discernit. *Elephas* multiuorus, tam stupidus, vt suum ventrem a Rhinocerote tueri non valeat. *Vrsus* quoq; & *Struthiocamelus* Heluones multicibi, tam sapiunt, quàm nullum animantium minus. Istis sex notis designabant, hos quorum Deus venter, quod istis tãtum sapientiæ, quantum & illis, quos numeraui; struthiocamelo, vrso, elephanto, miluo, locustæ & cygno. propter generosam animi indolem in ventre sepultam, & ex ventris suffumigatione obrutam. Ideo Seneca dicebat. Hos, *inquit*, ventri obedientes, animalium locó numeremus, non hominum. Si itaque in animalia multiuora degenerant tales: & multiuorãtia, nobilem ingenij vigorem, ad alta ex natura eleuatum ignauia obruunt: quid? nonne ad pascendum porcos, apti?

3. *Miluus.* 4. *elephas.* 5. *Vrsus.* 6. *Struthiocamelus.*

Nam contemplationi omnino inepti. Oculus albugine vel sanguine, vel vmbris suffusus, non potis est cernere colorem. animus quoque crapula, ex his qui ex crapula vaporibus, non aptus contemplari sapientiæ verum. Tetro carcere aliquis conclusus, omnino impos videre lucem: magis tetro ergastulo reclusa anima, quæ corpori multiuoro inclusa. quomodo poterit aspicere virtutis lumen?

nam helluci, ad cõtẽplationẽ, & ad actionem inepti.

Pythagoras videns quendã ex discipulis attentiorem curando corpori, id que agere vt obæsus esset, ac nitida cute: *Hic* inquit, *non desinit, sibi carcerem molestiorem struere.* Sensit, hominem esse animum, corpori ceu carceri inclusum, quod quo redditur amplius, hoc magis grauatur animi vis generosa. Crates quoque Thebanus cõspicatus adolescentulum, vino, carne & exercitatione corpulentiorem fieri: *O miser*, inquit, *desine aduersus temetipsum, carcerem munire*. Tales etiã ex Comi schola, Actioni omnino inepti Quam enim cũque dixeris, siue militarem, siue imperatoriam, siue manuariã, nemini apti. Epaminondas Thebanorum dux, tales a militia repulit, cum diceret *Militum quibus arma gerenda sunt, corpus exercitatum esse oportere, nõ solũ athletice, verum etiam militariter*. Vnde cum obesum militem vidisset in suo exercitu, expulit e castris, dicẽs, *Quod vix clypei tres quattuorue tegerent ipsius ventrem, per quem nunquam vidisset suos pedes*. Polieuctus Spectius, quum longam haberet orationem, de suscipiendo in Philippum bello, atq; is præ pinguitudine, præque æstatis æstu sæpius aquam biberet; vrbane Phocion eum imperatoriam dignitatem ambientem sugillauit. *Dignam* inquit, *rem viri Athenienses, vt huic de gerendo bello credatur. Quantum enim illum, in medio Marte sua galea & thorace facturum existimatis, quem ipse loquendi labor, in animæ exhalandæ discrimen impulerit?* Dionysium Heracleotam Clearchi Filium, a Prætura, propter voracitatem veteres repulerunt, quem fama est ex quotidiana voracitate luxuque, seipsum nimia carne & pinguedine impleuisse. Cuius tanta fuit corporis crassitudo carnisque incrementum, vt spirandi facultatem ademerit. Medici autem cum ob id vocati essent, ei hoc remedium præscripserunt, vt tenuissimis acubus latere transmitteret, easque per ventrem expelleret, donec carnem agnatam & quasi alienam transfoderet. Hoc autem negotium cum alijs

Apopht. Pythag. *Crateris.* *Epaminonda. Plutarc. in apoph. Græc.* *Brusonius lib. 7. c. 5.* *Phocionis.* *Manduconũ aliqui.* *Dionysius. Aelian. lib. 9.*

alijs datum esset, Dionisius, dormiens, non excitatus est, neque dolores vllos sensit sed quasi lapis iacuit immotus. Quod si quando negotia hominum audire, iuraque dare vellet, cistam corpori prætendit, vt reliquæ partes occulerentur, solaque facies supereminceret. Inepti etiam tales cuiuis arti. Cato senior videns Quendam ex nimia voracitate obæsum, mirabatur, *cui vsui tale corpus esse posset reipublicæ, cui inter guttur & pedes omnia venter occuparet*. Quomodo enim tales possunt esse, ad aliquod opus apti, qui cibis parandis totos dies noctesque cogitant? apud quos obsoniorum paratura, ientacula, prandia, antecœnia, cænæ, postcænia, maiorem temporis partem habent.? qui cibo vinoque distenti Heracleotæ Dionysij dormiunt somnum tanquam lapis? quorum caput adusque luciferum, producta crapula fumat? Non video ad quid eiusmodi apti, nisi ad pascendum porcos, vomitu & egestu crudi cibi. Beotij Græcorum semper luxuriosissimi & voracissimi habiti; ab Athieniensibus, fatui, rudes, & pingues subulci dicti sunt, propter adipsiagian. quippe cum a cõuiuijs crudi discederent distentique, rursus se ingurgitabant, & vel canes, vel sues; vomitione crebra pascebant.

Plutarc. in Catone.

Anonymus.

Beotij. Alexan. ab Alexan. lib. 5. c. 21.

Thessali etiam hoc cognomine inusti, vna cũ Pharsalis, in quos ex triuio scomma iactabant, *Pharsalorum venit aliquis, vt mensas vorct ipsas*. Siculæ mensæ & Syracusanæ deliciç, lautissimæ & luxuriosissimæ in prouerbium abierunt eo quod Siculi consueuerant præter antiquitatis morem, bis in die vsque ad nauseam saginari. Templum quinetiam Saturitati dicauerant. Plato Siculas Dionysij tyranni mensas admiratus est, quod porcis magis quam hominibus conuenirent. Mithridates rex, a suis porcus appellabatur, quod omnes sui temporis mortales, in comessationibus superaret. Ferunt, illis certa constituisse premia, qui plures cibos ventri destinassent, aut maiore se ingurgitassent vino, vt sui similes haberet abliguritores. In Tiberium Neronem scitum illud scomma: cui propter nimiam cibi & vini auiditatem in castris, pro *Tiberio Biberius*, pro *Claudio Caldius*, pro *Nerone Mero*, inclamauerunt. Noctem & biduum continuum, epulando potandoque consumebat; neque vnquam a triclinio abscedebat, nisi distentus, madens, vomens, & canes pascens. Vitellius Imperator, *vt autor est Tranquillus*, epulas quadrifariam dispartiebat, in jentacula, prandia, cęnas & comessationes. Is a primis vnguiculis fuit educatus inter Tiberij meretrices natus solum, *vt inquit Plinius* ad vina & mensas perdendas. Fecit etiam, *autore Suetonio*, cænam vnam in qua (quod factu difficillimum putes) sacrorum piscium iecinora, fasianorum ac pauonum cerebella, linguas phænicopteri, murenarum lactes, a Carpathio vsque freto Hispaniç, per nauarchos ac triremes petitarum commiscuit. Is demum non profundæ, sed etiam intempestiua sordidæque gulç, cibos nondum e foco distractos mandebat: sumariija quandoque obsonia, quandoque pridiana, quandoque semesa deuorabat. Isti omnes voraces, cui nam fuere bono apti? aut quanti post se memoriã ad posteros transmiserunt? Nimirum quod fuerint ventris mancipia, Imperij sordes, suæ gentis probra, sordidi canum lingentium & porcorum olentium Pastores: propter ingluuiem non tantum imperio regendo inepti, sed etiam vita ducenda indigni.

Thessal. Pharsali

Siculi.

Mithridates.

Tiberius.

Vitelius.

Ventris mãcipia.

Quoniã-

vita indigni. Quomodo vero vita digni, illi qui a commessatione omnibus sceleribus pleni? Vere enim a Sapiente dictum. *Nihil nequius quam quod excogitavit caro & sanguis.* *epi. 94.* Qui latur ex voracitate, discet Deum abnegare, & Dæmoni manum dare. Qui helluo est ciborum, a mentis opiparis, surget ad inconcessas voluptates. Qui gurges obsoniorum, dignitatis tuę obitus properabit, ad abominãdas sordes. Rex noster est aius *ut Seneca differuit.* hoc incolumi, cętera manẽt in officio, parent & obtemperant. Cum ille paulum vacillauit, simul mutant, cum vero cessit voluptati, artes quoque eius, actusque marcent, & omnis ex languido fluxoque conatus est.

Quoniam hac similitudine vsus sum; perseuerabo. Animus noster modo rex est, modo tyrannus. Rex cum honesta intuetur, salutem sibi commissi corporis curat, & nihil imperat turpe, nihil sordidum. Vbi vero impotens, cupidus, delicatus est, transit in nomen detestabile ac dirum, & fit tyrannus. Tunc illum excipiunt affectus impotentes, instantque. qui initio quidem gaudent, vt solet populus largitione nocitura frustra plenus, & quæ non potest haurire contrectat.

Cum vero magis ac magis vires morbus excedit, & in medullas neruosque descendere deliciæ, conspectu eorum quibus se nimia auiditate inutilem reddidit, lætus, pro suis voluptatibus habet spectaculum alienarum, subministrator libidinum testisque, quarum sibi vsum ingerendo abstulit: nec illi tam gratum est abundare iucundis, quam acerbum; quod non omnem illum apparatum per gulam ventremque transmittit, non cum omni parasitorum fæminarumque turba cõuolutatur; mæretque quod magna pars suæ felicitatis, exclusa corporis angustijs cessat. Nunquid enim, mi Lucilli, hic furor est, quod nemo mortalẽ se cogitat? Quod nemo imbecillum? imo quod nemo se, vnum esse cogitat? Aspice culinas, & concursantes inter tot ignes coquos. Vnum putas videri ventrem, cui tanto tumultu, comparatur cibus?

Aspice veteraria, & plena multorum annorum vindemijs horrea. Vnum putas videri ventrem, cui tot regionum vina conduntur? Aspice quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant? Vnum putas videri ventrem, cui & in Sicilia, & in Africa seritur? Sani erimus, & modica concupiscemus, si vnusquisque se numeret: metiatur simul corpus, sciatque nec multum capere, nec diu posse.

Lacedæmone coquos esse non licebat alios quam carnis duntaxat. At illi quam militares? quam sapientes? quàm Actiui? Aethiopes Macrobij, eo quod carne tantum cocta, & lacte vescuntur, & aquam bibunt ex fonte, longęui perdurant. Aegyptij, quod ex palustribus Nilia eis, cum fluuius plenus campos inundauit, lotos seu lilia demetunt, & ex desiccatis ad Solem, atq; in pollinem comminutis, pane facto & aqua victitarent, omnium gentium sapientissimi habebantur. Qui ad Aridali aram responsa petebant, abstinẽtia vnius diei a cibo, a vino verò triduisese ad capessenda oracula pręparabant. Anima sicca viuit, anima sicca sapit. Galli Iberique zonam habebant, quam si vir, mulier, puerue, propter obæsitatem cingere non posset, probro afficiebatur, vt pote quasi non aptus rebus, sed pascendis brutis. *degeneres a Lacedæmonijs. Aethiopibus. Aegyptijs Gallis.*

Ex hac Philosophi & mea dissertatione, aliqua educo ad rem nostram,

ſtram, in quibus omnes comeſſationum myſtæ, mere cenſentur Subulci.

Comeſſator multiuorus, vitiorum ſeruus. 2. Comeſſator multiuorus, vt plurimum paraſitorum ſeruus. 3 & ideo Comeſſator mu'ticibus, lutulentarum beſtiarũ Paſtor.

vitiorum ſerui. Dubitas an vitiorum ſeruus? Dixit Seneca; cum oſtendit animum impotẽtẽ Comeſſatoris, degenerare in tyrannum; qui corpori, nihil niſi turpe & ſordidum, imperare ſciens. huic obſequens quiſquis eſt impos ſui ex voracitate, quid putas non omni ſpur itiei ſe addicet? Comeſſatores Noetici, ſcimus, quantis ſceleribus ſeruientes, fuerunt illis temporibus.

Eſau dum primogenituræ ius, pro lentis edulio, vendidit Iacobo; voracitas illũ a ſummo bono, ad extrema impietatis mala præcipitauit, & ſeruum flagitiorum fecit. Iſraelitæ in deſerto, cũ voracitatis ingluuiem coturnicibus explerent, carnis copia carnis luxuriam ſtimulante, contra Dominum peccantes, in grauiſſima inciderunt mala. Heli Sacerdotis filij, dum in tabernaculo Dei, ventri indulgent, deteſtanda libidine ſeſe macularunt.

Nouerat etiam Iob, filiorum & filiarum ſuatũ ex cõuiuijs peccata. idcirco poſtquã epulati fuerant, cõſurgens diluculo, offerebat pro ſingulis holocauſta. Herodes in epulo natalitio, pro choreis mulieris, homicidio Ioannis præcuſoris ſe infamat. Apud vos autem ex conuiuijs quantæ cædes? quanta ſtupra? quanta lites? Poſſum etiam dicere in frequentantes, illud quod Diogenes adoleſcenti formoſo ad conuiuium eunti: *Deterior*, inquit, *redibis*, vſurpare. dum a comeſſationibus & conuiuijs, tam illi qui inſtruunt, quam etiam qui conſumũt deteriores, imo non omnes redeant viui aut ſanæ mentis.

Qui itaque ex voracitate vitiorũ ſeruus annon ipſorum Porcorum paſtor; cum in luxuria ſubat, in furore grunnit, —— ſed.

Alterũ ex Seneca axioma. *Comeſſator multiuorus, vt plurimũ Paraſitorum ſeruus, & hinc Porcorum Paſtor.* *Paraſitorum miniſtri.* Quid? Annon porcos paſcit ille, qui male contentos, qui ignauos, qui ingratos in conuiuio paſcit? cum vix ſine tacitis ſaltem abeunt lamẽtis amici conuiuæ, muſſantes? Hoc male ſapuit: illud male oluit. Hoc præferendum fuit: illud gellidum. illud intempeſtiuum. Hoc mæſto oblatum, hoc irato vultu. crudum illud hoc lacerum. Ille famulus ſegnis, hic præceps. Hic ſurdaſter, hic contumax. Hic clamore offendit; hic ſilentio. Ille illotis vaſis cibos, hic vinum molle porrexit. His querelis, non tam aulæ reſonant, quam viæ & plateæ. Ita vt porcos te paniſſe putes. Quid vero Paraſitorum agmen?

Noſtis ipſi. Dum illos affatim paueris, arridebunt, plaudẽt manibus, laudabunt: virum optimum liberalemque, Patrem patriæ dicent. Nihil ad vltimum Graiæ adulationis admiſerint, de qua gens adulandi prudentiſſima naſci ſolet. Sin aliquando ceſſaueris, & quidem ſponte, iam te auarum, ſordidum, miſerũ, diffamabunt. Sin inopia: homunculum non malum certe, ſed ſtolidum, & ineptum; teque, tuamque domum fugient, vt ſcopulum. Tunc intelliges illud Flacci.

Diffugiunt, cadis cum fæce ſiccatis amici.

Cæterum de alijs pluribus habebis experientia quod Martialis ſcripſit.

Hunc quem cæna tibi, quem menſa parauit amicum.
Eſſe putas fidæ pectus amicitiæ?

Aprum

Aprum amat, & mulos, & sumen
& ostrea: non te.
Tam bene si cænem, noster amicus
eris

Et hos dum aliquis Gurges pascit, putas, an non porcos pascit? Imo satius esset pascere porcos, quam istos tales, quos dum pauerunt plures, redacti sunt vt pascerent porcos. Ideo monebat sapiens. *Noli esse.* id est non te effundas in sumptus conuiuiorum, *in conuiuijs potatorum. nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt. quia vacātes potibus & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio.* (Prou. 23.) O quanti apud nos, quibus sedet *in fundo sera parsimonia*? quanti ad subulcos sunt redacti? (& 21.) *Qui enim diligit epulas, in egestate erit. Qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Et tamen vix pauci sunt, qui sapiant alieno damno. Tanta apud nos ganeæ curatio, vt cogar etiam in nostros adducere, quod nonnunquam Poeta Thuscus & Hugo Victorinus in suos vulgabāt. (Lurcones stupidi) Meditati estis retia & hamos, & vicum. *ita ille Petrarcha*, & laqueos, & rapaces volucres imperio parere, & prædari vobis docuistis ad nil aliud, nisi vt gulæ satis fiat: quam non modo explendo, sed onerando fatigatis, & angustum ventrē varia arte laxatis, ac premiis obsequendo; cui aliquando vtilior fames esset, vtilissima vero sobrietas. & fœdo illi ac misero sacculo, simul & syluis, & montibus, & nubibus, & fluctibus pacem linquens. Ita tamen eunt res. Hic est mos nobilium ante alios. hæ sunt artes quæ liberales fuerant, mechanicæ euasere. ipsique qui bellorum Duces, ac Philosophi, ac patres patriæ, esse solent, venatores atque aucupes facti sunt. Vtque intelligas nullam esse reliquam spem salutis; nobilitati tribuitur quod est gulæ, aut proculdubio vanitatis.

Hugo autem Victorinus quid? Superstitiosum enim nimis, in suis preparandis cibis adhibent studium, infinita decoctionum frixurarum & condimentorum genera excogitantes, modo mollia, modo dura, modo frigida, modo calida, modo cocta, modo assa, modo pipere, modo allio modo cymino, modo sale condita, secundum consuetudinem pręgnantium mulierum desiderantes: ita quod sibi desudant coquorum artes, & fiunt variæ quæstiones, vtrum fieri debeant assata, vel frixa, vel elixa. & tanta solicitudine præparantur, vt deuoratis quatuor vel quinque ferculis, prima non impediant nouissima: & cum iam stomachus crebris ructibus repletum se indicat, nondum tamen curiositas satiatur. (ventris larua.) Isti videntur colere ventrem, magis quam Deum, vel tanquam Deum.

Et quidē solēt Dijs tēpla construi, altaria erigi, ministri ad seruiendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari: Deo autem ventri templum est coquina, altare mensa, ministri coqui, immolatæ pecudes, coctę carnes, fumus incensorum, ordo saporum. Cui bono? non nisi pascendis porcis qui assident, pascendoque ipsi porco, qui se pascit. Discede tu, quisquis ad cælestia contemplanda creatus es, & pasce porcos infames. relinque cælum, descende in cænum; qui Angelorum coæqualis, porcis assimilis esto. Edamus, bibamus, generosæ nostræ indolis obliuiscamur, moriamur, in barathrum vna cū ijs quos pauim⁹ detrudamur. Euge, io. Et hæccine pfessio nostra? hacne de causa nobis ora, non vt brutis? Itane etiam nostris, vt Noe temporibus quando *edebant & bibebāt, & venit diluuium, & perdidit omnes*, eadem studia perdendę famę, substantię, vitę & quod magis, animæ? Euge *abi post vestigia gregum tuorum.*

tuorum. Antequam concludo, adduco responsum Iosue, ad quærimoniam filiorum Ioseph in diuisione sortis. Dicebant illi. *Quare nobis dedisti hæreditatis sortem vnam, & pedaturam vnam? ego autem populus multus sũ, et Dominus benedixit me.* His Iosue respondit. *Populus multus es. ascende in saltum, & munda tibi ipsi, & para locum in terra, Pharezæos & Raphaim.* Pherezæi, interpretatur fructificatio: Raphaim vero, matres dissolutę. Bene his duob. cóuenit. dissolutioni vitæ, & fructificationi. Nã illa, ab abũdantia panis, & gastrimargia, nata. Iubet itaque Pharezæorum saltum expurgare; s. abundantiam frugum, quantum ad vsum cibi moderari. ne a tã pestifera matre, pestillentissima filia nascatur, inhonestas vitę. Hęc enim prima fuit iniquitas Sodomæ; *Saturitas panis,* post quam, luxuria spurca. Hæc deinde prodroma adolescentis prodigalis, & post hanc, confusio terræ. Quamobrem ne hanc anteambulonem sequamini, moneo & oro.

Simonem Atheniensem Pericles ad se inuitabat, pollicens omnia se illi laute & oppipare daturũ: At Simon, negauit se venditurum sapientiam, & libertatem. Delectauit hũc, imago muris siluestris paruo viuentis, potius quam domestici in delicijs, sed perpetua cum solicitudine versantis, & in prædam murilego venientis. Quid si nos in nostrum vsum, apologum vertimus? Nam astat vigil ille cattus catus, nos si alíubi, in olla polyphagiæ obseruans; vt interficiat, vt cælo excludat. Concludo. Pro conuiuiorum lege Socratis dictum auditote. is hospites excipiens, tenui apparatu; *Si boni inquit, sunt, satis erit: si mali, plus satis.* Diducerem. sed relinquo. Pro vobis. Subulci, ne estote. Subulcis apud Aegyptios templum non patebat; neque comessatoribus patet regnum cælorum, quod abstemijs & siccis animabus patet in secula Amen.



DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMAE.

Et illud erat mutum. Luc. 11. c.

CONCIO.

Peccati effecta.



SI quem Serpens Antiquus, venenato morsu percusserit, mox illi venenatos suos mores instillat. Surdus ille ad vocem, cæcus ad lumen, mutus ad sermonem spiritualem? tales quoque & peccatores facit, ne exaudiant vocem incantantis Sapienter; ne aperiant oculos lumini irradianti; ne respondeant Deo, requirenti. Talem huncreperit Christus, quem hodie sanauit. An tales sint peccatores? inuestigare animus est.

expl. loc. Iob 41. Scuta fusilia Leuiathā

Serpentem antiquum suis coloribus depingens Deus, inter alia, hæc de illo enarrauit. *Corpus*, inquit, *illius, quasi scuta fusilia, compactum squammis se prementibus. Vna vni coniungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes se, nequaquam separabuntur.* Istud veteratoris schema si in ipso, maxime tamē in peccatoribus cernuum est. qui scuto defensionis

defensio peccatorū

corripientium se verba repellentes, & concordi pertinacia alterna se inuicem defensione tuentes, surdi & muti, quinimo & ridentes euadunt ad audiēda, & proloquenda ea, quæ sunt salutis.

Maharbal Pœnus, si quos occidere cogitabat, potu mandragoræ præsopiebat, ne ictum gladij persentirent. Iahel Sisaram occisura, lactis potu presopiuit & pallio vultum operuit, ne vel videret vel audiret motum, aut strepitum occidentis. Ita Dæmon, peccati mellitam offam, aut lacteam pollentam homini obiectans, dulci sopore opprimit primo, vt facilius rompheam in iugulum condat.

A Sarda pisce percussi, in speciem ridentium exanimantur. Quid quod etiam peccatorum multi *lætantur cum malefecerint, & in rebus pessimis exultant?* Crocodylus hominem appetens, cum primum rapuerit, extēplo caput petit, oculos eruit, linguam exest, & sensoriæ facultatis radicale humidum exsugere properat. Cum vero propter ossis duritiem, frangere caluariam nequeat, medullamq. cerebri esuriat, lacrymas ex oculis, calidas fundit; donec confringat, hominemq; exanguem lente deuoret. Facit itidem Satan, cum ijs quos sibi prædatur

Sed Diuus Gregorius, apposite explicabat scuta fusilia Leuiathan. Sacra scriptura, *inquit*, scuti nomine, aliquando vti in parte prospera, aliquando in aduersa consueuit. Nam sæpe scuti defensio pro Diuina protectione ponitur; non nunquam vero pro humana repugnatione memoratur. Pro Diuina enim protectione ponitur, quando per Psalmistam dicitur; *Scuto bonæ voluntatis, coronasti nos.* Scuto enim bonæ voluntatis coronare perhibetur,

quæ a stupore a Satana immisso.

tur, quia quos protegens adiuuat, remunerans coronat. Rurſum pro humana repugnatione per eundem Prophetam ſcutum ponitur, ſicut alibi ait: *Ibi confregit cornua, arcū, ſcutum, gladium & bellum*. In cornibus quippe elatio ſuperborum, in arcu inſidiæ longe ferientium, in ſcuto autem obſtinata duritia defenſionum, in gladio vicina percuſſio, in bello vero ipſo, contra Dominum mentis motio deſignatur. Quod nimirum totum in ſancta Eccleſia cōfringitur, dum mentes Deo reſiſtentium, ſuperpoſito iugo humilitatis edomantur. Hinc rurſum per eundem Pſalmiſtam dicitur; *Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni*. Arcum enim Dominus conterit, cum occulta inſidiantium machinamenta diſſoluit. Arma confringit, cum ea quæ contra ſe erecta fuerant, patrocinia humana comminuit. Scuta igni comburit, cum peccantium mentes obſtinata ſe duritia defendentes, ad pœnitentiæ & confeſſionis ardorem, Sancti ſpiritus calore ſuccendit. Et hæc quidem, quoad ſcuta.

qui inſtar ſcuti. expl. loc. Pſ. 45.

Quod vero corpus Leuiathan iſtis ſcutis fuſilibus comparatur, innuitur; quia durum quidem, ſed tamen cum labitur, fragile ſolet eſſe vas omne quod fuſile eſt. Scuta ergo ſi ſunt fuſilia, in ſuſcipienda ſagittarum percuſſione, robuſta ſunt, ſed caſu fragilia. Ictu quidem ferientiū minime penetrantur, ſed ſuo ſe lapſu, per fragmenta diſſoluunt.

fuſilis ex ære ſolido.

Corpus ergo Leuiathan iſtius, id eſt omnes iniqui, quia per obſtinationem duri ſunt, ſed per vitam fragiles, ſcutis fuſilibus comparantur.

Cum enim verba prædicationis audiunt, nulla correptionis iacula ſe penetrare permittunt: quia in omni peccato quod faciunt, ſcutum ſuperbę defenſionis opponunt. Nam cum talium quiſq; de reatu ſuę iniquitatis arguitur, non mox cogitat quomodo culpam corrigat, ſed quid in adiutorio ſuæ defenſionis opponat. Nulla igitur veritatis ſagita penetratur: quia verba ſanctę correctionis, in Scuto excipit ſuperbę defenſionis. Vnde bene, de Iudęis contra pręcepta Domini ſuperba ſe defenſione tuentibus, per Hieremiā dicitur: *Reddes eis vicem Domine iuxta opera manuum ſuarum*. Moxq; eandem vicem expreſſius ſubdidit dicens; *Dabis eis ſcutum cordis, laborem tuum*. Labor quippe Domini, apparens inter homines paſſibilis eius humanitas fuit, quam Iudęi ſuperbè ſapientes dum cernerent, deſpexerunt, eumq; immortalem credere dedignati ſunt, quem natura paſſibili mortalem viderunt. Cumque eius humilitatem conſpicerent, ſuperbiæ faſtibus obdurati, ſumma cura moliti ſunt, ne eorum mentes ſancta prædicantium verba penetrarent. Dum ergo eis Dominus vicem malorum operum redderet, dedit illis *Scutum cordis laborū ſuorum*: quia recto iudicio, inde illos cōtra ſe ſuperbe obſtinatos exhibuit, vnde ipſe pro nobis in infirmitate laborauit. Repulerunt quippe a ſe verba prędicantium, quia dedignati ſunt in Domino infirma paſſionū. Laborem igitur Domini contra eundem Dominum, Scutum cordis habuerunt, quia ſuperba ſapientibus, eo deſpectus apparuit, quo propter eos humilis fuit.

Hoc ſcutum, primus ille peccator tenuit, qui requirente Domino, cur lignum vetitum contigiſſet, non ad ſe culpam retulit, ſed ad mulierē quam Dominus dederat, ſe accepiſſe reſpondit; vt quaſi reatum ſuū oblique in authorem retorqueret, qui ei mulierem dederat, quæ talia perſuaderet.

Hoc scutum etiam requisita mulier tenuit, quando neque ipsa ad se culpam retulit, sed serpentibus illud persuasionibus replicauit, dicens, *Serpens decepit me, & comedi*: vt ipsa quoque reatum suum oblique in creatorem reduceret, qui illuc intrare serpentem persuasurum talia permisisset. Serpens vero iam non requiritur, quia, nec eius pœnitentia quærebatur. Hi autem quorum pænitentia quæsita est, Scutum nequissimæ defensionis, contra iustissimæ correptionis verba protulerunt. Vnde nunc vsque in vsum peccantium trahitur. vt culpa cum arguitur defendatur, & vnde finiri reatus debuit, inde cumuletur. Bene ergo dicitur. *Corpus illius quasi scuta Fusilia*: quia omnes iniqui, ne ad se corripientium verba perueniant; quasi contra aduersariorum iacula, scuta defensionum parant.

& instar squamarum. Quod vero corpus istud dicit, *Compactum squamis se prementibus*, magis nobis peccatorum consuetudinem insinuat. Fertur, quia draconis corpus squammis regitur, ne citius iaculatione vllius penetretur. Ita corpus omne Diaboli, idest multitudo reproborum, cum de iniquitate sua corripitur, quibus valet tergiuersationib. se excusare conatur, & quasi quasdam defensionis squamas obijcit, ne transfigi sagitta veritatis possit. Quisquis enim dum corripitur, peccatum suum magis excusare appetit, quam deflere, quasi squammis tegitur, dum, a Sanctis prædicatoribus gladio verbi iaculatur. Squammas habet, & idcirco ad eius præcordia transeundi, viam verbi sagitta non habet. Duritia enim carnali repellitur, ne spiritalis ei gladius infigatur.

Negans ho minē insurdat & indurat. Carnali sapientia contra Deū Saulus obdurerat, quando cor eius nulla prædicationis euangelicæ sagitta penetrabat. Sed postquam forti cælitus increpatione iaculatus, & superno respectu cæcatus est, lumen quippe vt acciperet amisit, ad Ananiam veniens illuminatur. In qua illuminatione, quia defensionum suarum duritia caruit, bene de eo scriptum est, *Ceciderunt, quasi squamæ, ab oculis eius*. Carnalis videlicet tegumenti illum duritia presserat, & idcirco radios veri luminis non videbat. Sed postquam superbę repugnationes eius victæ sunt, defensionum eius squamæ ceciderunt. Quæ quidem sub Ananiæ manibus ab oculis ceciderunt corporis, sed ante iam sub Dominica increpatione ceciderant ab oculis cordis. Cum enim altæ inuectionis iaculo confossus iaceret, humiliatam & penetrato corde requirebat dicens: *Domine* quid me vis facere? Repulsis videlicet squamis, iam ad cordis viscera veritatis sagita peruenerat, quando deposita elatione superbiæ, eum quem impugnauerat Dominum confitens, & quid ageret nesciens, requirebat.

præcipue hypocritas. Sciendum tamen est, quod istę defensionum squāmæ, quamuis pene omne humanum genus contegant hypocritarum tamen specialiter, & callidorum hominum mentes premunt. Ipsi etenim culpas suas; tanto vehementius confiteri refugiunt, quanto se citius videri ab hominibus peccatores erubescunt. Correpta itaque sanctitatis simulatio, & malitia occulta deprehensa, squāmas obijcit defensionis, & veritatis gladium repellit. Vnde bene per Prophetam contra Iudæam dicitur: *Ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiem, ibi habuit foueam hericius*: Per *lamiam* quippe hypocrisis, per *hericium* vero malitiosi quique; qui diuersis defensionibus se conte-

Expl. Isai. qui mıar hern hiero notā.

contegunt designatur. Lamia enim humanam habere faciem dicitur, sed corpus bestiale. Sic & omnes hypocritę, in prima facie quod ostẽdunt, quasi ex ratione sanctitatis est. sed bestiale est corpus, quod sequitur. quia valde iniqua sunt, quæ sub boni specie moliuntur. Hericij autem nomine, malitiosarum mentium defensio designatur; quia videlicet hericius cum apprehenditur, eius & caput cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conspicitur: sed mox vt apprehensus fuerit, semetipsum in sphæram colligit, pedes introrsus subtrahit, caput abscondit, & intra tenentis manum totum simul amittitur, quod totum simul ante videbatur. Sic nimirum, sic malitiosæ mentes sunt, cum in suis excessibus comprehenduntur. Caput enim hericij cernitur; quia quo initio peccator, ad peccatum accesserat, videtur. Pedes hericij conspiciuntur; quia quibus vestigijs nequitia sit perpetrata, cognoscitur; & tamen adductis repẽte excusationibus, malitiosa mens introrsus pedes colligit; quia cuncta iniquitatis suę vestigia abscondit. Caput subtrahit; qui miris defensionibus, nec inchoasse se prauum aliquid ostendit, & quasi sphęra in manu tenentis remanet; quia is qui corripit, cuncta quę iam cognouerat, subito amittens, inuolutum intra conscientiam peccatorem tenet; & qui totum iam deprehendendo viderat, tergiuersatione prauæ defensionis illusus, totum pariter ignorat. Foueam ergo in reprobis, hericius habet; quia malitiosa mens, sese intra se colligens, in tenebris defensionis abscondit.

Vna, deinde squama, *vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas*. Diuinus sermo nobis hic ostendit, quomodo in hoc, quod se peccator excusat, & caliginosis defensionibus fixum in se oculum corripientis obnubilat, a similibus fulciatur. Istæ enim squammæ peccantium, ne ab ore prædicantium aliquo vitæ spiraculo penetrentur, & obduratæ sunt, & coniunctę. Quos enim similis reatus sociat, concordi pertinacia etiam peruersa defensio constipat; vt de facinoribus suis, alterna se inuicem defensione tueãtur. Sibi enim quisque metuit, dum admoneri, vel corrigi alterum cernit; & idcirco contra corripientium verba, vnanimiter consurgit, quia se in altero protegit. Bene ergo dicitur. *Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas*: quia in iniquitatibus suis, dum vicissim superba se defensione protegunt, Sanctæ exhortationis spiracula, ad se nullatenus intrare permittunt.

Quorũ pestiferã cõcordiã, adhuc apertius subdidit dicens: *Vna alteri adhærebunt, & tenẽtes se nequaquã separabuntur*. Qui. n. diuisi corrigi poterãt, in iniquitatũ suarũ pertinacia vniti, perdurant; & tanto magis quotidie à cognitione iustitiæ separabiliores sunt, quanto a se inuicem, nulla increpatione separãtur. Nam sicut esse noxiũ solet, si vnitas desit bonis, ita perniciosum est si nõ desit malis. Peruersos quippe vnitas corroborat, dum concordat: & tanto magis incorrigibiles, quanto vnanimes facit. De hac vnitate reproborum, per sapientem dicitur; *Stuppa collecta, Synagoga peccantiũ*. De hac etiam, Naum Propheta ait. *Sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium*. Cõuiuium namque reproborũ, est delectatio temporalium voluptatum. In quo nimirum conuiuiõ pariter potant, qui delectationis suæ, illecebris se concorditer inebriant. Eccl. 21. Naum. 1.

Igitur

Igitur quia membra Leuiathan istius, id est, iniquos omnes quos Dei sermo squamarum compactionibus comparat, ad defensionem suam par culpa concordat, bene dicitur. *Una alteri adhærebunt, & tenentes se nequaquam separabuntur.* Tenentes enim se separari nequeũt, quia eo ad defensionem suam vicissim constricti sunt, quo se sibi per omnia similes esse meminerunt.

talis dæmoniac⁹. Magna hæc omnia sunt quæ ex Diuo Gregorio commemoraui, ad resistẽdum Deo vocanti, & hoc, surdum atque mutum dæmonium expellenti. Mens scuto peccati ęreo ob ducta, ex armamentario depudentię; squãmis defensionum insuper, tum a natura sibi blandiente de peccato, tum a cõuersatione improborum, qui oleum super caput peccatoris affundunt, obdurata.

Fortior hic clypeus quam n[illegible] iacis: ad audiendum, adque recipiendum mucronem ignitum. Hoc vmbone intectus erat, iste surdus & mutus in hodierno Euangelio, & ideo nec audire vocem aliorum Stẽtoream, nec videre lucem aliorum sideream, nec poscere opẽ aliorum efficacem, potis erat prę duritia cordis, prę stupore linguę, & prę surditie auris. Opus erat luce originaria, voce verbi primaria, & digito Diuino oĩmouente, qui aperiret inceratam aurẽ, qui detraheret squamas obduratę mentis, quique persanatum conuerteret, ad verę vitæ officia.

Indicæ arbores inadustibiles Narrant qui Indicos orbes viderunt, alicubi locorum, nasci indidem arbores flexiles quidem in se, tamen ignem quantumuis copiosum patientes, ita vt ab illo nec aduri, nedum conflagrare possint. Tales sunt plerique peccatorum, qui quãtumlibet immensum Dei in eos amorem tanquam clibanum incen sam explicauerint, rigent & stupent & cæcuciunt miseri, ad hoc lumen illustrans oculos, adque hunc calorem viuificantem animas.

& Galatias lapis. De Galatia lapide prodiderunt qui probarunt, quod a nullis flammis igniatur. Tales quidam peccatores, qui ab hoc vitali igne spiritualem surditiem, cecitatem & paralysim linguæ depellente, non in calefiunt, sed permanent in sua glacie frigida, surda, cæca & muta, etiamsi per miracula clarissima, & per fulgetra prædicationum ardentissima incendantur.

Non sic animæ quæ ad vitam destinatę. Illico vt locutus fuerit Deus, statim sibi dicunt, *Audiam, quid loquatur in me Deus.* Ex quo etiam voluntatem eius intellexerint, in momento obsequũtur, dicentes, *Dominus Deus reuelauit mihi aurem. ego autem non contradico. retrorsum nõ abij. tunc dixi, ecce venio.*

lepus & crocodylus hierogl. Aegyptij cum per notas & figuras sensum effingant, si quem disciplinæ capacem significabant, leporem auritis & arrectis auribus, & oculis inconniuentibus sed etiam in somno apertis, quod summi esset auditus, & perpetui visus effingebant. Si vero aliquem contumacem; tunc Crocodilum depingebant, quod is surdus, refractarius & somniculosus diceretur. Ad hanc symbolicam leporis notam, omnes pij sese effor mabant; exporrectis auribus, tenuem Dei sibilationem excipientes, & apertis oculis claram eius irradiationem aspicientes, atque quod summus imperator, vel præcipiebat, vel ostendebat exequentes. Dicebat Abrahamo, *egredere*; & ille statim patrios lares relinquebat. Vocabat aliquem in tempore lucis, *veni sequere me*: & illi cõtinuo relictis retibus & patre, exiliebant post Christum. Iubebat alicui ex capulo peccatorum resur-

resurgere: Nec mora, jmperio parebant: & ligamina quibus circumplexi disrumpebat. Intonabat in mutũ, surdum, & cæcum; aperire, illuminare, exaudi, aspice: & in momento linguæ mutorum patebant, aures surdorum exporrigebantur, & oculi a tenebris degrauati expergiscebantur ad agnoscendum, ad audiendum, ad laudandum Saluatorem.

conuersio nis promptę exempla.

Narrabo aliqua exempla promptæ conuersionis, & non fictæ resipiscentiæ a peccatis. Moyses Maurus, diu multumque latrocinijs Aegyptum agitauerat, quibus se adeo infamem atque obduratum effecerat, vt nullus plane de eius salute non desperaret. Cæterum semel Anachoretarum, vitam inibi contemplatus, cum a quodam verbum salutis audiuisset, tanquã cera mollis ab ignito eloquio liquefactus, relicto latrocinandi studio, monachum se fecit, & Isidori Abbatis apud Thebaidam factus est discipulus. Pęnitendo igitur mutauit *Aethiops pellem suam, & pardus varietates suas*. Etenim quinque & septuaginta annos Deo in solitudine seruiuit, sex annos cella inclusus permansit, ad multam noctem stans orabat, pane tantum & aqua sustentabatur. Deinde charitatis operi se accingens, noctu peragrabat solitariorum tuguria, hydriasque eorum aqua replebat, vt procul haustum petentibus laborem eleuaret: peracto officio tacitus redibat. Sic faciendo, qui prius homicidijs infamis fuerat, factus est sanctitate clarus; & qui quondam rapinis terram infestauerat, regnum rapuit cælorum.

1. Moyses Maurus.

2. Guilhelmus Aquitan.

Non dissimilem se huic pręstitit, vt in famosa vita, sic & facili cõuersione Guilelmus Aquitaniæ Princeps. Is etiam cum in prima ętate sęuus, lubricus, homicida esset, & multipliciter impugnasset Ecclesiam Catholicam, tamẽ Diuini Bernardi concione tanquam fulmine ictus, facile in momento, vitam moresque mutauit. & cum seculo atque Principatui renunciasset, eremiticam egit vitam, thoracemque ferreum quem olim aduersus Ecclesiam induerat, super nudo indutus, macerandi corporis apud se instrumentum esse voluit. dignus qui proponatur in exemplar facilitatis in resipiscendo, & austeritatis in pænitendo.

Vtinam vel nos etiam tales. Sed scuta fusilia & squammas coniunctas obduximus oculis, auribus, linguæ, ne videamus, ne audiamus, ne deprecemur vocantem. An non etiam inter nos tales qui —— Sed nunc non reuelo. Oro. Inprimis, ne aurem excetræ infernali præbueritis. Equus, cameli & odorem & aspectum fugit: Pectines conchæ, si quis præhendere voluerit, a lõge persentiscentes, se in suas testas recõdunt. Imitamini, in fugiendo veteratore, qui nostram perniciẽ quærit. Porro aũt Deo vocanti, aures ne clauseritis. Pessime agitur de illo, qui instar aspidis surdæ, adhuc obturat & obdurat aurem suam, ne audiat vocem venefici Incantantis sapienter.

Hodie si vocem Dei audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut obduxerunt Iudæi *in die exacerbationis* Dei *in deserto*. Si attenditis, & ille aspiciet, exaudiet, jllustrabit, viuificabit, demaculabit, sicque ornatos recipiet in secula Amen.

FERIA

FERIA II. POST TERtiam Dominicam Quadragesimæ.

Duxerunt Iesum, vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum. Luc. 4.

CONCIO.

In homicidas.



Gen. 37. ATROX facinus commiserant Fratres, in Iosephum Patriarcham, quando parricidali ferro, insontem tollere volentes, dissuadente Iuda, ne se sanguine innoxio contaminarent, nihilo mitiores facti, in cisternam veterem præcipitauerant. eo fine, vt inibidem fame interiret. Magis atrox hodie committunt Iudæi, in Iesum Saluatorem, dum benemeritũ è viuis exterminare cupientes, duxerunt in Saxosi montis fastigium, vt præcipitarent eum. Proximum huic sceleri, admittunt omnes quicunque Sanguinarij. Horum quam atrox facinus sit? demonstrabo.

Fere ab ipso æuo, Deus videns homines sanguinarios, ad sanguinem fraternum fundendum inclines, omnibus rationibus præuertendum sibi proposuit, illorum crudum affectum. Quapropter, cũ Noe eduxisset ex arca, & in esum cuncta non impura animalia concessisset, a sanguine iussit abstinere. cum sanxit, *Carnem in sanguine anima ne comedatis. Sanguinem enim animarum vestrarum, requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu viri, & fratris eius requiram hominis animam. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei, factus est homo.* Explicabat D. Chrysostomus. Ideo, *inquit*, sanguinem segregat, vt primis illis temporibus, comprimat illorum impetum, & propensionem ad homicidia. Et quod hoc sit verum, quia per hoc ces magis pios facere voluerit; audi quæ sequuntur. Etenim ipsum sanguinem, *inquit*, animarum vestrarum exquiram, de manu omnium bestiarum. & de manu hominis fratris, exquiram illum. Et vide quantam fecerit diuersitatem, ex seueritate præcepti. Qui effuderit, *inquit*, sanguinem hominis, pro sanguine eius effundetur. quia in imagine Dei feci hominẽ. Cogita obsecro, quantus hic terror, verbo astructus sit. Et si quod eiusdem naturæ est, *inquit*, non te auocat, neque a tam peruerso conatu repellit naturæ communio: sed & si totus impie flagitiosus, fraternum fœdus, & compassionem non agnoscis, cogita quod ad imaginem Dei formatus est, & quantis eum Deus dignatus sit prerogatiuis, & quod omni creaturæ præfectus sit, & quiesces a mala voluntate. Diduco singulas rationes, propter quas detestandum sit homicidium. quas breuiter, ex Diuino verbo elicuit Chrysostomus.

explic. lo. Gen. 9.

Carnem cum sanguine ne esto.

id est: ne homicida esto.

1. Imprimis aio. Detestandum est homicidium, quia Deus, cum sanguinẽ hominis requirit, de manu bestiarum; et naturæ irrationali inseruit horrorem & detestationẽ illius, vt a belluarum horrore, discat & ipse homo, non sæuire in cõparem. Nescio an aliqua tantopere insidietur homini, vt Salamandra. Prodiderunt de eius ingluuie cædis humanæ, autores grauissimi, Plinius & Isidorus; quod eius oẽ studiũ est, in enecando aliquo mortali. Vnde quocunq; repat, vbiq; venena eructat: vt vel a gustu rerũ quas infecit, vel a contactu solo quas venenauit, intereat impro uidus. Nam si arbori irrepsit, omnia poma

quod belluæ detestantur & horrent.

Salamandra.

Plin. lib. 29 c. 4. Isid. lib. 12. c. 3.

poma inficit veneno, & eos qui ederint necat frigida vi, nihil ab aconito distans: quinimo si contacto ab ea ligno, vel aqua, vel crusta panis, incoquantur, idem veneficium est, vel si in puteum cadat; quippe cum saliua eius, quacunque parte corporis, vel in pede imo respersa, omnis in toto corpore defluat pilus, homo vero moriatur. Inter omnia, *inquit Plinius*, venenata, Salamandræ scelus maximum est; cętera enim singulos feriunt, nec plures pariter interimũt morsu, vt illa venenatione. Tamen hæc bellua, licet tantopere sæuiat in homines quantum nulla alia, horrore maximo concutitur, cum admisit scelus. Lęsi enim hominis ducta conscientia, vltro abit in exilium perpetuum. vel vt Plinius addit, *perire conscientia dicitur homine percusso, neque amplius admitti ad terras*.

Signum est, quod Deus requirat sanguinem humanum, de manu bestiarum, quando Salamandra crudelis seipsam ex horrore conficit pro pter hominem occisum. Lupus quoque dum hominem vorauit, dicitur in rabiem efferari, & vel a seipso, vel ab alijs lacerari. Apis homine percusso, dum aculeum amisit, emoritur. Crocodilus cum hominem interfecit, flere perhibetur. Quid hoc aliud est nisi Diuinæ vindictæ argumentum, quo testatur, etiam ipsis crudelibus belluis non impune esse, si humanum sanguinem effuderint. quippe quæ ex seipsis, ipsæ illæ sumant aliquod supplicium? Horrent sæuientes belluæ hominis internecionem: & quis, oro putabit ex vobis lutum, hominem occidere; naturæ communione sibi vinctum? tot prærogatiuis â Deo ornatum? Ciuem mundi? Dominum orbis? hæredem cęli? O detestandos illos, quibus homicidium nõ detestandũ.

Lupus. *Crocodilus.*

2. Secundo pronuncio. Detestandum est homicidium, eo quod cum Deus sanguinem hominis requirat de manu viri & Fratris, ipsi homini inseruisse videtur, horrorem & detestationem illius. An requirat? Illud vel maximum habeo indicium, quod cuiq; homicidæ, incussit fugã a cadauere occisi, ab hominum conspectu; insuper & quędam suijpsius horrorem, tremorem & æstuationẽ diffugij. Audio Cainum, in seipsum decernentem. *Ecce eijcis me hodie a facie terrę, & a facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra. omnis igitur qui inuenerit me, occidet me* Vnde huic tantus timor? Vnde effugium? Proculdubio ab illa abominatione suijpsius, qua se detestabatur, post sanguinẽ fratris effusum: & ab horrore indito, ex quo nec ipsum cadauer Abelis, neque terram sanguine fraterno pollutam, & quasi vocalis esset, vindictam clamãtem aspicere sustinebat. Quid illud est oro, quod ad prę sentiam homicidæ, sanguis ex cadauere occisi, ac si viuens esset ebullit? ex vulnere quod coiuit erumpit? Causam alij Physicam assignant, ex aeris attractione, simul atque spiritus infectione. Dicunt enim; quod licet cadauer illud sit spiritu omni destitutum, neq; sentiat quicquam, horrore tamen tunc concutitur transeunte occisore; quia spiritus ibi in vulnere sunt quadantenus infecti, a spiritibus interficientis, quo transeunte vsque ad ipsum vulnus aer infectus trahitur. quo intercepto, & sanguis ebullit propter infectionis cõformitatem, tam in vulnere manantem, quam ab interfectore manentem. Alijs autem transeuntibus id fieri non potest, cum quibus nulla spirituum & infectionis communicatio est. Neque etiã contigeret, si casu occisus fuisset; quia in occidente nullam infe-

homines *quamdiu homines horrent.* *etiã mortuis horrent.* *Paris de Puteo in tract. de Syndicatu. verbo tortus, c. 3.* *propter hanc causam sanguis ebullat ad aspectu homicidæ.*

ctionem spiritus effecisset, quæ in vulnus transire potuisset. Neque etiam id fieret, si homo vulneratus viueret. quia cum homo viuens bonum sanguinem sibi propitium in visceribus teneat, aeremq; infectum excludat, non posset huiusmodi ebullitio fieri, transeunte eo qui vulnerauit; quia sanguis hominis viuentis, suas actiones agit, in conseruationem indiuidui sui. At in iam mortuo nihil agit, nisi quatenus excitatur: excitatur autem ibi in vulnere, propter communicationem infectionis, quę (vt dixi) in solo reperitur occisore voluntario, qui cum vulnere transmisit in vulnus infectionem, quasi in quendam a se determinatum actum: & sicut terminus a quo, & terminus in quem communicant actiones, ita hoc casu. Hoc autem esse naturæ verum miraculũ, tradit inter alios Leuinus Lemnius, in eo quem scripsit de miraculis naturæ libro.

Subtilia sunt ista fateor, nec omnino aspernanda. Tamen ego magis affirmo, erumpentem illum sanguinem ad præsentiam homicidæ, requisitum esse, & debere, censeri a Conditore animæ occisi, quẽ elicit, tũc vel maxime cum adest homicida. siue vt indicetur, siue vt terreat. Erat propter asperiorem & crudeliorem in suos seueritatem, Angellotus Fuscus Cardinalis Tit. S. Marci, a famulo, quem cubilis curam habere iusserat, clam in horto jugulatus. Volebat facinus occulto perpetratum, omni ratione celare. Proinde nec fugam capesserat, nec se a conuersatione Familiæ segregabat. quinimo dolorem, vel se maximum ex morte Cardinalis dolere, ostendebat. Dum autem Simiam agit, & esset in aspectu cadaueris: quem in præsentia aliorum non fudit, in solius Cubicularij, quasi rupta vena

Stillauit Angellotus Cardinalis.

ebullijt sanguis. Ibi miser vultũ mutare, nutare, tremere cæpit. Tandẽ raptus, tortus, confessus est parricidiũ, Deo ipso sanguinem, per sanguinem de viri manu requirente. Narrabo etiam illud, quod Surius commemorat de Sancto Thoma Episcopo. Gilbertus de Clara Comes Glouerniæ, maximis jniurijs affecerat, Beatum Thomam Herfordiensem Episcopum in Anglia, quod Ecclesiæ iura ipse tueretur, ille inuaderet.

Potanus de Principe. & S. Thomas occi. Surius To ma 5. Octob. 7.

Obijt interim diem suum, mæroribus cõfectus Episcopus absens. Necessarij autem eius, ad eius Ecclesiam, deferenda ossa prorsus carne ablata curauerant. Mox vbi obuius factus est Comes, a puris nudatisq; omni carne ac sanguine ossibus, plurimus manauit sanguis. Id conspicatus Comes terrore concussus, pęnitentiaq; ductus, Ecclesiastica iura omnia a se inuasa restituit.

Manauit sanguis a siccis ossibus S. Thomæ, qui absq; vllo vulnere, ex causa tamen Gilberti Comitis diem suum obierat, ad concutiendum scelesti hominis & impęnitentis cor videlicet. Itaque si aliquando ex occisi vulneribus, ad præsentiam homicidæ erumpit, erumpit ad detestandum, ad indicandum, & ad vindicandum homicidam, quem vel ipsum cadauer concisum exhorrẽs, sanguine ebulliente extorquet vindictam.

Non possum pręteremittere, quod nuper an. Dñi 1606. accidit in Pago quodam, vno lapide ab Oppido Cazimiriẽsi, qđ imminet Vandalo flumini, septẽ leucis a Lublino. Scatet illud oppidũ, jnimicis Crucis Christi, Christianicidis Hebræis. Eorum vnus, in Pago Podgoricio vidit, puellum septẽnem satis scitum, sed cui, pro more, non bene volebat Vitricus. Sciuit hoc balatro Hebræus, & mox, hominem impium aggressus, viginti

Et quidã puer ab Hebræis excarnif.

viginti nummis argenteis, emit jnnocentem puppum. Eductum postea data opera in campum, rapit, domum trahit, & alijs carnificibus conuocatis, lancinando occidit. Nec simpla morte. Incisis enim extantibus in pedibus, in manibus, & alibi venis, sanguinem eduxit; mox volas manuum & pedum alius præcidit; alius sexum, alius pedes à busto præsecuit; tū guttur medium findentes, & mentum aperientes, ex lingua desecta, guttureque & corde aperto, quod residuum erat cruoris, quasi in torculari expresserunt, & cadauer exãgue tribus abinde leucis demergendum, in piscinam quandam proiecerũt. Aliquot effluxerant dies, & vitricus erat totus, in primigno quærendo, quasi esset non conscius cædis. Interim cadauer inflatum, ex piscina enauit. In cuius aspectu, vitricus pauore consternatus, non minimo indicio se prodidit, auctorem, jnfantis cæsi. Cadauer enim licet iam ex haustum & exangue, in eius præsentia, vernare sanguine copiosissimo cæpit.

Et tamen, quod dicitur, pecunia, quibusdã corruptis, nec de Vitrico, nec de Hebræis sumptũ suppliciũ, ex ergastulo in qđ coniecti fuerant, per conniuentiã vt rumor est, fuga elapsis. O tempora, ò mores. Sanguis jnnocentis, vindictam clamabat ex jnnocuo busto, & Magistratus, auro auribus obturatis, non audiebat? Sed hoc non ideo narraui, sed vt ostenderem detestandum homicidium, etiam ab ipsa morte.

3. *Deus seuere punit homicid.* Tertio pronuncio. Detestandum est homicidiũ, quia illud Deus detestans, seuere in homicidas animaduertit: vel ipse per se, vel per Animatam, vel etiam per præterordinariam legem.

Cauit enim vt audistis. *Quicunque effuderit humanum sanguinẽ, fundetur sanguis illius.* Atq; adeo inuiolatã hanc legem esse cõstituit, vt nemo fere est homicidarum, qui vel ꝑ legẽ a Magistratu, vel permittente Deo, aut a feris, aut a casu, aut ab hostibus, vel ab ipso vindice immediato Deo, non cruenta morte intereat. Occidit Caimus Abelem, Caimum Lamech. Occidit Dauid Vriam, Dauidis Ammonem Absalon, Absalonem Ioab; Ioabum, Salomoni iussit occidere Dauid. Occidit Andronicus Oniã summum Sacerdotẽ; inq; eodem loco quo vita eum priuauit, purpura prius exutum Andronicũ, Antiochus. Occidit Iezabel Nabothum; atque ea ipsa ab Iehu milite duce suo, qui ab ea rebellauerat, filio regnoque simul priuari se conspexit, & postea ab alta turri præcipitem demitti, demum in loco in quo aspersus erat sanguis Naboth, canes comederunt corpus eius. Namque equorum pedibus detritum, in escã canibus datum est, vt cùm Iehu conquiri cadauer, ad sepulturam iussisset, nihil, præter manuum digitos fuerit inuentum.

Occidit Adonibezech Cananæorum rex, septuaginta vicinarum vrbium reges, idque longa morte; cum scilicet eos multo tempore, veluti canes sub mensa ad pedes suos pauisset: ille quoque a Iosue Iudæorum Principe, in prælio captus, amputatis manuum pedumque digitis, miserrime in vita seruatus est; si quidem viuere is dici nõ potest, qui eo modo habitus, in longam potius mortẽ cõiectus videtur, & tandem enectus. Occidit Abimelech filius Ierobaal ex concubina, septuaginta fratres super vnum lapidem, vt solus posset dominari: & ipse occisus est a fœmina, quæ fragmen lapidis iaciens in ipsum, dũ obsideret turrim Sychem, cerebrum eius fregit.

Parricidarũ supplicia. Narrabo vnum aut alterum exemplum,

R 2

vita indigni. Quomodo vero vita digni, illi qui à commessatione omnibus sceleribus pleni? Vere enim a Sapiente dictum. *Nihil nequius quam quod excogitauit caro & sanguis.* *epi. 94.* Qui fatur ex voracitate, discet Deum abnegare, & Dæmoni manum dare. Qui helluo est ciborum, a mensis opiparis, surget ad inconcessas voluptates. Qui gurges obsoniorum, dignitatis suę obitus properabit, ad abominādas sordes. Rex noster est aius *vt Seneca disseruit.* hoc incolumi, cętera manēt in officio, parent & obtemperant. Cum ille paulum vacillauit, simul mutant. cum vero cessit voluptati, artes quoque eius, actusque marcent, & omnis ex languido fluxoque conatus est.

Quoniam hac similitudine vsus sum; perseuerabo. Animus noster modo rex est, modo tyrannus. Rex cum honesta intuetur, salutem sibi commissi corporis curat, & nihil imperat turpe, nihil sordidum. Vbi vero impotens, cupidus, delicatus est, transit in nomen detestabile ac dirum, & fit tyrannus. Tunc illum excipiunt affectus impotentes, instantque. qui initio quidem gaudent, vt solet populus largitione nocitura frustra plenus, & quæ non potest haurire contrectat.

Cum vero magis ac magis vires morbus excedit, & in medullas neruosque descendere deliciæ, conspectu eorum quibus se nimia auiditate inutilem reddidit, lætus, pro suis voluptatibus habet spectaculum alienarum, subministrator libidinum testisque, quarum sibi vsum ingerendo abstulit: nec illi tam gratum est abundare iucundis, quam acerbum; quod non omnem illum apparatum per gulam ventremque transmittit, non cum omni parasitorum fæminarumque turba cōuolutatur; mæretque quod magna pars suæ felicitatis, exclusa corporis angustijs cessat. Nunquid enim, mi Lucilli, hic furor est, quod nemo mortalē se cogitat? Quod nemo imbecillum? imo quod nemo se, vnum esse cogitat? Aspice culinas, & concursantes inter tot ignes coquos. Vnum putas videri ventrem, cui tanto tumultu, comparatur cibus?

Aspice veteraria, & plena multorum annorum vindemijs horrea. Vnum putas videri ventrem, cui tot regionum vina conduntur? Aspice, quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant? Vnum putas videri ventrem, cui & in Sicilia, & in Africa seritur? Sani erimus, & modica concupiscemus, si vnusquisque se numeret: metiatur simul corpus, sciatque nec multum capere, nec diu posse.

Lacedæmone coquos esse non licebat alios quam carnis duntaxat. At illi quam militares? quam sapientes? quàm Actiui? Aethiopes Macrobij, eo quod carne tantum cocta, & lacte vescuntur, & aquam bibunt ex fonte, longęui perdurant. Aegyptij, quod ex palustribus Niliacis, cum fluuius plenus campos inundauit, lotos seu lilia demetunt, & ex desiccatis ad Solem, atq; in pollinem comminutis, pane facto & aqua victitarent, omnium gentium sapientissimi habebantur. Qui ad Aridali aram responsa petebant, abstinētia vnius diei a cibo, a vino vero tridui, se ad capessenda oracula pręparabant. Anima sicca viuit, anima sicca sapit. Galli Iberique zonam habebant, quam si vir, mulier, puerue, propter obæsitatem cingere non posset, probro afficiebatur, vt pote quasi non aptus rebus, sed pascendis brutis. *degeneres a Lacedæmonijs. Aethiopibus. Aegyptijs. Gallis.*

Ex hac Philosophi & mea dissertatione, aliqua educo ad rem nostram,

ftram, in quibus omnes comessationum mystæ, mere censentur Subulci.

Comessator multiuorus, vitiorum seruus. 2. Comessator multiuorus, vt plurimum parasitorum seruus. 3 & ideo Comessator multicibus, lutulentarum bestiarũ Pastor.

vitiorum seruus.

Dubitas an vitiorum seruus? Dixit Seneca; cum ostendit animum impotẽtẽ Comessatoris, degenerare in tyrannum; qui corpori, nihil nisi turpe & sordidum, imperare sciens. huic obsequens quisquis est impos sui ex voracitate, quid putas non omni spur itiei se addicet? Comessatores Noetici, scimus, quantis sceleribus feruentes, fuerunt illis temporibus.

Esau dum primogenituræ ius, pro lentis edulio, vendidit Iacobo; voracitas illũ a summo bono, ad extrema impietatis mala præcipitauit, & seruum flagitiorum fecit. Israelitæ in deserto, cũ voracitatis ingluuiem coturnicibus explerent, carnis copia carnis luxuriam stimulante, contra Dominum peccantes, in grauissima inciderunt mala. Heli Sacerdotis filij, dum in tabernaculo Dei, ventri indulgent, detestanda libidine sese macularunt.

Nouerat etiam Iob, filiorum & filiarum suarũ ex cõuiuijs peccata. idcirco postquã epulati fuerant, cõsurgens diluculo, offerebat pro singulis holocausta. Herodes in epulo natalitio, pro choreis mulieris, homicidio Ioannis præcursoris se infamat. Apud vos autem ex conuiuijs quantæ cædes? quanta stupra? quanta lites? Possum etiam dicere in frequentantes, illud quod Diogenes adolescenti formoso ad conuiuium eunti: *Deterior*, inquit, *redibis*, vsurpare. dum a comessationibus & conuiuijs, tam illi qui instruunt, quam etiam qui consumũt deteriores, imo non omnes redeant viui aut sanæ mentis.

Qui itaque ex voracitate vitiorũ seruus annon ipsorum Porcorum pastor; cum in luxuria subat, in furore grunnit, ——sed.

Parasitorum mini stri.

Alterũ ex Seneca axioma. *Comessator multiuorus, vt plurimũ Parasitorum seruus, & hinc Porcorum Pastor.* Quid? Annon porcos pascit ille, qui male contentos, qui ignauos, qui ingratos in conuiuio pascit? cum vix sine tacitis saltem abeunt lamẽtis amici conuiuæ, mussantes? Hoc male sapuit: illud male oluit. Hoc præferendum fuit: illud gellidum. illud intempestiuum. Hoc mæsto oblatum, hoc irato vultu. crudum illud hoc lacerum. Ille famulus segnis, hic præceps. Hic surdaster, hic contumax. Hic clamore offendit; hic silentio. Ille illotis vasis cibos, hic vinum molle porrexit. His querelis, non tam aulę resonant, quam viæ & plateę. Ita vt porcos te pauisse putes. Quid vero Parasitorum agmen?

Nostis ipsi. Dum illos affatim pa ueris, arridebunt, plaudẽt manibus, laudabunt: virum optimum liberalemque, Patrem patrię dicent. Nihil ad vltimum Graię adulationis admiserint, de qua gens adulandi prudentissima nasci solet. Sin aliquando cessaneris, & quidem sponte, jam te auarum, sordidum, miserũ, diffamabunt. Sin inopia: homunculum non malum certe, sed stolidum, & ineptum; teque, tuamque domum fugient, vt scopulum. Tunc intelliges illud Flacci.

Diffugiunt, cadis cum fęce siccatis amici.

Cæterum de alijs pluribus habebis experientia quod Martialis scripsit.

Hunc quem cæna tibi, quem mensa parauit amicum.
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?

Aprum

Aprum amat, & mulos, & sumen & ostrea: non te.
Tam bene si canem, noster amicus eris

Et hos dum aliquis Gurges pascit, putas, an non porcos pascit? Imo satius esset pascere porcos, quam istos tales. quos dum patierunt plures, redacti sunt vt pascerent porcos. Ideo monebat sapiens. *Noli esse.* id est non. te effundas in sumptus conuiuiorum, *in conuiuijs potatorum. nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt. quia vacātes potibus & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio.* O quanti apud nos, quibus sedet *in fundo sera parsimonia*? quanti ad subulcos sunt redacti? *Qui enim diligit epulas, in egestate erit. Qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Et tamen vix pauci sunt, qui sapiant alieno damno Tanta apud nos ganeæ curatio, vt cogar etiam in nostros adducere, quod nonnunquam Poeta Thuscus & Hugo Victorinus in suos vulgabāt. Meditati estis retia & hamos, & vicum. *ita ille Petrarcha*, & laqueos, & rapaces volucres imperio parere, & prædari vobis docuistis ad nil aliud, nisi vt gulæ satis fiat: quam non modo explendo, sed onerando fatigatis, & angustum ventrē varia arte laxatis, ac premitis obsequendo; cui aliquando vtilior fames esset, vtilissima vero sobrietas. & fædo illi ac misero saccu o, simul & syluis, & montibus, & nubibus, & fluctibus pacem linquens. Ita tamen eunt res. Hic est mos nobilium ante alios. hæ sunt artes quæ liberales fuerant, mechanicæ euasere. ipsique qui bellorum Duces, ac Philosophi, ac patres patriæ, esse solent, venatores atque aucupes facti sunt. Vtque intelligas nullam esse reliquam spem salutis; nobilitati tribuitur quod est gulæ, aut proculdubio vanitatis.

Prou. 23.

& 21.

Lurcones stupidi

Hugo autem Victorinus quid? Superstitiosum enim nimis, in suis præparandis cibis adhibent studium, infinita decoctionum frixurarum & condimentorum genera excogitantes, modo mollia, modo dura, modo frigida, modo calida, modo cocta, modo assa, modo pipere, modo allio modo cymino, modo sale condita, secundum consuetudinem prægnantium mulierum desiderantes: ita quod sibi desudant coquorum artes, & fiunt variæ quæstiones, vtrum fieri debeant assata, vel frixa, vel elixa. & tanta solicitudine præparantur, vt deuoratis quatuor vel quinque ferculis, prima non impediant nouissima: & quum iam stomachus crebris ructibus repletum se indicat, nondum tamen curiositas satiatur. Isti videntur colere ventrem, magis quam Deum, vel tanquam Deum. *Ventris latria.*

Et quidē solēt Dijs tēpla construi, altaria erigi, ministri ad seruiendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari: Deo autem ventri templum est coquina, altare mensa, ministri coqui, immolatæ pecudes, coctę carnes, fumus incensorum, ordo saporum. Cui bono? non nisi pascendis porcis qui assident, pascendoque ipsi porco, qui se pascit. Discede tu, quisquis ad cælestia contemplanda creatus es, & pasce porcos infames. relinque cælum, descende in cænum; qui Angelorum coæqualis, porcis assimilis esto. Edamus, bibamus, generosæ nostræ indolis obliuiscamur, moriamur, in barathrum vna cū ijs quos pauim⁹ detrudamur. Euge, io. Et hæccine pfessio nostra? hacne de causa nobis ora, non vt brutis? Itane etiam nostris, vt Noe temporibus quando *edebant & bibebāt, & venit diluuium, & perdidit omnes*, eadem studia perdendę tamę, substantię, vitę & quod magis, animæ? Euge *abi post vestigia gregum tuorum.*

tuorum. Antequam concludo, adduco responsum Iosue, ad querimoniam filiorum Ioseph in diuisione sortis. Dicebant illi: *Quare nobis dedisti hæreditatis sortem vnam, & pedaturam vnam? ego autem populus multus sũ, et Dominus benedixit me.* His Iosue respondit. *Populus multus es. ascende in saltum, & munda tibi ipsi, & para locum in terra, Pherezeos & Raphaim*. Pherezæi, interpretatur fructificatio: Raphaim vero, matres dissolutę. Bene his duob. côuenit. dissolutioni vitæ, & fructificationi. Nã illa, ab abũdantia panis, & gastrimargia, nata. Iubet itaque Pherezæorum saltum expurgare; s. abundantiam frugum, quantum ad vsum cibi moderari. ne a tã pesti fera matre, pestillentissima filia nascatur, inhonestas vitę. Hęc enim prima fuit iniquitas Sodomæ; *Saturitas panis*, post quam, luxuria spurca. Hæc deinde prodroma adolescentis prodigalis, & post hanc confusio tetra. Quamobrem ne hanc anteambulonem sequamini, moneo & oro.

Simonem Atheniensem Pericles ad se inuitabat, pollicens omnia se illi laute & opipare daturũ: At Simon, negauit se venditurum sapientiam, & libertatem. Delectauit hũc, imago muris siluestris paruo viuentis, potius quam domestici in delicijs, sed perpetua cum solicitudine versantis, & in prædam murilego venientis. Quid si nos in nostrum vsum, apologum vertimus? Nam astat vigil ille cattus catus, nos si alicubi, in olla polyphagiæ obseruans; vt interficiat, vt cælo excludat. Concludo. Pro conuiuiorum lege Socratis dictum auditote. is hospites excipiens, tenui apparatu; *Si boni inquit, sunt, satis erit: si mali, plus satis.* Diducerem. sed relinquo. Pro vobis. Subulci, ne estote. Subulcis apud Aegyptios templum non patebat; neque comessatoribus patet regnum cælorum, quod abstemijs & siccis animabus patet in secula Amen.



DOMINICA TERTIA

QVADRAGESIMAE.

Et illud erat mutum. Luc. 11. c.

CONCIO.

Peccati effecta.



SI quem Serpens Antiquus, venenato morsu percusserit, mox illi venenatos suos mores instillat. Surdus ille ad vocem, cæcus ad lumen, mutus ad sermonem spiritualem? tales quoque & peccatores facit, ne exaudiant vocem incantantis Sapienter; ne aperiant oculos lumini irradianti, ne respondeant Deo requirenti. Talem huncreperit Christus, quem hodie sanauit. An tales sint peccatores? inuestigare animus est.

expl. loc. Iob 41. Scuta fusilia Leuiathã

Serpentem antiquum suis coloribus depingens Deus, inter alia, hæc de illo enarrauit. *Corpus*, inquit, *illius, quasi scuta fusilia, compactum squammis se prementibus. Vna vni coniungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes se, nequaquam separabuntur.*. Istud veteratoris schema si in ipso, maxime tamẽ in peccatoribus cernuum est. qui scuto defensionis corripientium se verba repellentes, & concordi pertinacia alterna se inuicem defensione tuentes, surdi & muti, quinimo & ridentes euadunt ad audiẽda, & proloquenda ea, quæ sunt salutis.

defensio peccatorũ

Maharbal Pænus, si quos occidere cogitabat, potu mandragoræ præsopiebat, ne ictum gladij persentirent. Iahel Sisaram occisura, lactis potu præsopiuit & pallio vultum operuit, ne vel videret vel audiret motum, aut strepitum occidentis. Ita Dæmon, peccati mellitam offam, aut lacteam pollentam homini obiectans, dulci sopore opprimit primo, vt facilius rompheam in iugulum condat.

A Sarda pisce percussi, in speciem ridentium exanimantur. Quid quod etiam peccatorum multi *lætantur cum malefecerint, & in rebus pessimis exultant?* Crocodylus hominem appetens, cum primum rapuerit, exẽplo caput petit, oculos eruit, linguam exest, & sensoriæ facultatis radicale humidum exsugere properat. Cum vero propter ossis duritiem, frangere caluariam nequeat, medullamq; cerebri esuriat, lacrymas ex oculis, calidas fundit; donec confringat, hominemq; exanguem lente deuoret. Facit itidem Satan, cum ijs quos sibi prædatur.

Sed Diuus Gregorius, apposite explicabat scuta fusilia Leuiathan. *quæ a fusore a Satana immisso.*

Sacra scriptura, *inquit*, scuti nomine, aliquando vti in parte prospera, aliquando in aduersa consueuit. Nam sæpe scuti defensio pro Diuina protectione ponitur; non nunquam vero pro humana repugnatione memoratur. Pro Diuina enim protectione ponitur, quando per Psalmistam dicitur; *Scuto bonæ voluntatis, coronasti nos.* Scuto enim bonæ voluntatis coronare perhibetur,

tur, quia quos protegens adiuuat, remunerans coronat. Rursum pro humana repugnatione per eundem Prophetam scutum ponitur, sicut alibi ait: *Ibi confregit cornua, arcũ, scutum, gladium & bellum*. In cornibus quippe elatio superborum, in arcu insidiæ longe ferientium, in scuto autem obstinata duritia defensionum, in gladio vicina percussio, in bello vero ipso, contra Dominum mentis motio designatur. Quod nimirum totum in sancta Ecclesia cõfringitur, dum mentes Deo resistentium, superposito iugo humilitatis edomantur. Hinc rursum per eundem Psalmistam dicitur; *Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni*. Arcum enim Dominus conterit, cum occulta insidiantium machinamenta dissoluit. Arma confringit, cum ea quæ contra se erecta fuerant, patrocinia humana comminuit. Scuta igni comburit, cum peccantium mentes obstinata se duritia defendentes, ad pœnitentiæ & confessionis ardorem, Sancti spiritus calore succendit. Et hæc quidem, quoad scuta.

qui instar scuti. expl. loc. Ps. 45.

Quod vero corpus Leuiathan istis scutis fusilibus comparatur, innuitur; quia durum quidem, sed tamen cum labitur, fragile solet esse vas omne quod fusile est. Scuta ergo si sunt fusilia, in suscipienda sagittarum percussione, robusta sunt, sed casu fragilia. Ictu quidem ferientiũ minime penetrantur, sed suo se lapsu, per fragmenta dissoluunt.

fusilis ex ære solido.

Corpus ergo Leuiathan istius, id est omnes iniqui, quia per obstinationem duri sunt, sed per vitam fragiles, scutis fusilibus comparantur. Cum enim verba prædicationis audiunt, nulla correptionis iacula se penetrare permittunt: quia in omni peccato quod faciunt, scutum superbę defensionis opponunt. Nam cum talium quisq; de reatu suę iniquitatis arguitur, non mox cogitat quomodo culpam corrigat, sed quid in adiutorio suæ defensionis opponat. Nulla igitur veritatis sagita penetratur: quia verba sanctę correctionis, in Scuto excipit superbę defensionis. Vnde bene, de Iudęis contra pręcepta Domini superba se defensione tuentibus, per Hieremiã dicitur: *Reddes eis vicem Domine iuxta opera manuum suarum*. Moxq; eandem vicem expressius subdidit dicens; *Dabis eis scutum cordis, laborem tuum*. Labor quippe Domini, apparens inter homines passibilis eius humanitas fuit, quam Iudęi superbę sapientes dum cernerent, despexerunt, eumq; immortalem credere dedignati sunt, quem natura passibili mortalem viderunt. Cumque eius humilitatem conspicerent, superbiæ fastibus obdurati, summa cura moliti sunt, ne eorum mentes sancta prædicantium verba penetrarent. Dum ergo eis Dominus vicem malorum operum redderet, dedit illis *Scutum cordis laborũ suorum*: quia recto iudicio, inde illos cõtra se superbe obstinatos exhibuit, vnde ipse pro nobis in infirmitate laborauit. Repulerunt quippe a se verba prędicantium, quia dedignati sunt in Domino infirma passionũ. Laborem igitur Domini contra eundem Dominum, Scutum cordis habuerunt, quia superba sapientibus, eo despectus apparuit, quo propter eos humilis fuit.

Hoc scutum, primus ille peccator tenuit, qui requirente Domino, cur lignum vetitum contigisset, non ad se culpam retulit, sed ad mulierẽ quam Dominus dederat, se accepisse respondit; vt quasi reatum suũ oblique in authorem relideret, qui ei mulierem dederat, quæ talia persuaderet.

Hoc scutum etiam requisita mulier tenuit, quando neque ipsa ad se culpam retulit, sed serpentibus illud persuasionibus replicauit, dicens, *Serpens decepit me, & comedi*: vt ipsa quoque reatum suum oblique in creatorem reduceret, qui illuc intrare serpentem persuasurum talia permisisset. Serpens vero iam non requiritur, quia, nec eius pœnitentia quærebatur. Hi autem quorum pænitentia quæsita est, Scutum nequissimæ defensionis, contra iustissimæ correptionis verba protulerunt. Vnde nunc vsque in vsum peccantium trahitur. vt culpa cum arguitur defendatur, & vnde finiri reatus debuit, inde cumuletur. Bene ergo dicitur. *Corpus illius quasi scuta Fusilia*: quia omnes iniqui, ne ad se corripientium verba perueniant; quasi contra aduersariorum iacula, scuta defensionum parant.

& instar squamarum. Quod vero corpus istud dicit, *Compactum squamis se prementibus*, magis nobis peccatorum consuetudinem insinuat. Fertur, quia draconis corpus squammis tegitur, ne citius iaculatione vllius penetretur. Ita corpus omne Diaboli, idest multitudo reproborum, cum de iniquitate sua corripitur, quibus valet tergiuersationib. se excusare conatur, & quasi quasdam defensionis squamas obijcit, ne transfigi sagitta veritatis possit. Quisquis enim dum corripitur, peccatum suum magis excusare appetit, quam deflere, quasi squammis tegitur, dum, a Sanctis prædicatoribus gladio verbi iaculatur. Squammas habet, & idcirco ad eius præcordia transeundi, viam verbi sagitta non habet. Duritia enim carnali repellitur, ne spiritalis ei gladius infigatur.

negeus homine in-surdat & indurat. Carnali sapientia contra Deũ Saulus obdurruerat, quando cor eius nulla prædicationis euangelicæ sagitta penetrabat. Sed postquam forti cælitus increpatione iaculatus, & superno respectu cæcatus est, lumen quippe vt acciperet amisit, ad Ananiam veniens illuminatur. In qua illuminatione, quia defensionum suarum duritia caruit, bene de eo scriptum est, *Ceciderunt, quasi squamæ, ab oculis eius*. Carnalis videlicet regumenti illum duritia presserat, & idcirco radios veri luminis non videbat. Sed postquam superbę repugnationes eius victæ sunt, defensionum eius squamæ ceciderunt. Quæ quidem sub Ananiæ manibus ab oculis ceciderunt corporis, sed ante iam sub Dominica increpatione ceciderant ab oculis cordis. Cum enim altæ inuectionis iaculo confossus iaceret, humiliatam & penetrato corde requirebat dicens: *Domine* quid me vis facere? Repulsis videlicet squamis, iam ad cordis viscera veritatis sagita peruenerat, quando deposita elatione superbiæ, eum quem impugnauerat Dominum confitens, & quid ageret nesciens, requirebat.

præcipue hypocrisias. Sciendum tamen est, quod istę defensionum squamæ, quamuis pene omne humanum genus contegant hypocritarum tamen specialiter, & callidorum hominum mentes premunt. Ipsi etenim culpas suas; tanto vehementius confiteri refugiunt, quanto se citius videri ab hominibus peccatores erubescunt. Correpta itaque sanctitatis simulatio, & malitia occulta deprehensa, squamas obijcit defensionis, & veritatis gladium repellit. Vnde bene per Prophetam contra Iudęam dicitur: *Ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiem, ibi habuit foueam hericius*. Per *lamiam* quippe hypocritæ, per *hericium* vero malitiosi quique; qui diuersis defensionibus se conte-

Expl. Isai. 34. qui lamiarũ & hericiũ hieroglie notatur.

contegunt designatur. Lamia enim humanam habere faciem dicitur, sed corpus bestiale. Sic & omnes hypocritę, in prima facie quod ostẽdunt, quasi ex ratione sanctitatis est. sed bestiale est corpus, quod sequitur. quia valde iniqua sunt, quæ sub boni specie moliuntur. Hericij autem nomine, malitiosarum mentium defensio designatur; quia videlicet hericius cum apprehenditur, eius & caput cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conspicitur: sed mox vt apprehensus fuerit, semetipsum in sphæram colligit, pedes introrsus subtrahit, caput abscondit, & intra tenentis manum totum simul amittitur, quod totum simul ante videbatur. Sic nimirum, sic malitiosæ mentes sunt, cum in suis excessibus comprehenduntur. Caput enim hericij cernitur; quia quo initio peccator, ad peccatum accesserat, videtur. Pedes hericij conspiciuntur; quia quibus vestigijs nequitia sit perpetrata, cognoscitur; & tamen adductis repẽte excusationibus, malitiosa mens introrsus pedes colligit; quia cuncta iniquitatis suę vestigia abscondit. Caput subtrahit; qui miris defensionibus, nec inchoasse se prauum aliquid ostendit, & quasi sphęra in manu tenentis remanet; quia is qui corripit, cuncta quę iam cognouerat, subito amittens, inuolutum intra conscientiam peccatorem tenet; & qui totum iam deprehendendo viderat, tergiuersatione prauæ defensionis illusus, totum pariter ignorat. Foueam ergo in reprobis, hericius habet; quia malitiosa mens, sese intra se colligens, in tenebris defensionis abscondit.

præcipue si adinuicem complices peccati. *Vna* deinde squama, *vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas.* Diuinus sermo nobis hic ostendit, quomodo in hoc, quod se peccator excusat, & caliginosis defensionibus fixum in se oculum corripientis obnubilat, a similibus fulciatur. Istæ enim squamæ peccantium, ne ab ore prædicantium aliquo vitæ spiraculo penetrentur, & obduratæ sunt, & coniunctę. Quos enim similis reatus sociat, concordi pertinacia etiam peruersa defensio constipat; vt de facinoribus suis, alterna se inuicem defensione tueatur. Sibi enim quisque metuit, dum admoneri, vel corrigi alterum cernit; & idcirco contra corripientium verba, vnanimiter consurgit, quia se in altero protegit. Bene ergo dicitur. *Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas:* quia in iniquitatibus suis, dum vicissim superba se defensione protegunt, Sanctæ exhortationis spiracula, ad se nullatenus intrare permittunt.

Quorũ pestiferã cõcordiã, adhuc apertius subdidit dicens: *Vna alteri adhærebunt, & tenẽtes se nequaquã separabuntur* Qui. n. diuisi corrigi poterãt, in iniquitatũ suarũ pertinacia vniti, perdurant; & tanto magis quotidie à cognitione iustitiæ separabiliores sunt, quanto a se inuicem, nulla increpatione separãtur. Nam sicut esse noxiũ solet, si vnitas desit bonis, ita perniciosum est si nõ desit malis. Peruersos quippe vnitas corroborat, dum concordat: & tanto magis incorrigibiles, quanto vnanimes facit. De hac vnitate reproborum, per sapientem dicitur; *Stuppa collecta, Synagoga peccantiũ.* De hac etiam, Naum Propheta ait. *Sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium.* Cõuiuium namque reproborũ, est delectatio temporalium voluptatum. In quo nimirum conuiuio pariter potant, qui delectationis suæ, illecebris se concorditer inebriant. *Eccl. 21. Naum. 1.*

Igitur

Igitur quia membra Leuiathan istius, id est, iniquos omnes quos Dei sermo squamarum compactionibus comparat, ad defensionem suam par culpa concordat, bene dicitur. *Vna alteri adhærebunt, & tenentes se nequaquam separabuntur.* Tenentes enim se separari nequeũt, quia eo ad defensionem suam vicissim constricti sunt, quo se sibi per omnia similes esse meminerunt.

talis demoniac. Magna hæc omnia sunt quæ ex Diuo Gregorio commemoraui, ad resistẽdum Deo vocanti, & hoc, surdum atque mutum dęmonium expellenti. Mens scuto peccati ęreo obducta, ex armamentario depudentię; squãmis defensionum insuper, tum a natura sibi blandiente de peccato, tum a cõuersatione improborum, qui oleum super caput peccatoris affundunt, obdurata.

Fortior hic clypeus quam [illegible]iacis: ad audiendum, adque recipiendum mucronem ignitum. Hoc vmbone intectus erat, iste surdus & mutus in hodierno Euangelio, & ideo nec audire vocem aliorum Stẽtoream, nec videre lucem aliorum sideream, nec poscere opẽ aliorum efficacem, potis erat prę duritia cordis, prę stupore linguę, & prę surditie auris. Opus erat luce originaria, voce verbi primaria, & digito Diuino oĩmouente, qui aperiret inceratam aurẽ, qui detraheret squamas obduratę mentis, quique persanatum conuerteret, ad verę vitæ officia.

Indica arbores inadustibiles Narrant, qui Indicos orbes viderunt, alicubi locorum, nasci indidem arbores flexiles quidem in se, tamen ignem quantumuis copiosum patientes, ita vt ab illo ne aduri, nedum conflagrare possint. Tales sunt plẽrique peccatorum, qui quãtumlibet immensum Dei in eos amorem tanquam clibanum incensam explicauerint, rigent & stupent & cæcuciunt miseri, ad hoc lumen illustrans oculos, adque hunc calorem viuificantem animas.

& Galatias lapis. De Galatia lapide prodiderunt qui probarunt, quod a nullis flammis igniatur. Tales quidam peccatores, qui ab hoc vitali igne spiritualem surditiem, cecitatem & paralysim linguæ depellente, non incalesiunt, sed permanent in sua glacie frigida, surda, cæca & muta, etiamsi per miracula clarissima, & per fulgetra prædicationum ardentissima incendantur.

Non sic animæ quæ ad vitam destinatę. Illico vt locutus fuerit Deus, statim sibi dicunt, *Audiam, quid loquatur in me Deus.* Ex quo etiam volũtatem eius intellexerint, in momento obsequũtur, dicentes, *Dominus Deus reuelauit mihi aurem. ego autem non contradico, retrorsum nõ abij. tunc dixi, ecce venio.*

lepus & crocodylus hierogl. Aegyptij cum per notas & figuras sensum effingant, si quem disciplinæ capacem significabant, leporem auritis & arrectis auribus, & oculis inconniuentibus sed etiam in somno apertis, quod summi esset auditus, & perpetui visus effingebant. Si vero aliquem contumacem; tunc Crocodilum depingebant, quod is surdus, refractarius & somniculosus diceretur. Ad hanc symbolicam leporis notam, omnes pij sese efformabant; exporrectis auribus, tenuem Dei sibilationem excipientes, & apertis oculis claram eius irradiationem aspicientes, atque quod summus impe-rator, vel præcipiebat, vel ostendebat exequentes. Dicebat Abrahamo, *egredere*; & ille statim patrios lares relinquebat. Vocabat aliquem in tempore lucis, *veni sequere me*: & illi cõtinuo relictis retibus & patre, exiliebant post Christum. Iubebat alicui ex capulo peccatorum resur-

resurgere: Nec mora, imperio parebant: & ligamina quibus circumplexi dirumpebat. Intonabat in mutū, surdum, & cæcum; aperire, illuminare, exaudi, aspice: & in momento linguæ mutorum patebant, aures surdorum exporrigebantur, & oculi a tenebris degrauati expergiscebantur ad agnoscendum, ad audiendum, ad laudandum Saluatorem.

Conuersio nis promptæ exempla.

Narrabo aliqua exempla promptæ conuersionis, & non fictæ resipiscentiæ a peccatis. Moyses Maurus, diu multumque latrocinijs Aegyptum agitauerat, quibus se adeo infamem atque obduratum effecerat, vt nullus plane de eius salute non desperaret. Cæterum semel Anachoretarum, vitam inibi contemplatus, cum a quodam verbum salutis audiuisset, tanquā cera mollis ab ignito eloquio liquefactus, relicto latrocinandi studio, monachum se fecit, & Isidori Abbatis apud Thebaidam factus est discipulus. Pęnitendo igitur mutauit *Aethiops pellem suam, & pardus varietates suas*. Etenim quinque & septuaginta annos Deo in solitudine seruiuit, sex annos cella inclusus permansit, ad multam noctem stans orabat, pane tantum & aqua sustentabatur. Deinde charitatis operi se accingens, noctu peragrabat solitariorum tuguria, hydriasque eorum aqua replebat, vt procul haustum petentibus laborem eleuaret: peracto officio tacitus redibat. Sic faciendo, qui prius homicidijs infamis fuerat, factus est sanctitate clarus; & qui quondam rapinis terram infestauerat, regnum rapuit cælorum.

1. Moyses Maurus.

Non dissimilem se huic pręstitit, vt in famosa vita, sic & facili conuersione Guilelmus Aquitaniæ Princeps. Is etiam cum in prima ętate sæuus, lubricus, homicida esset, & multipliciter impugnasset Ecclesiam Catholicam, tamē Diuini Bernardi concione tanquam fulmine ictus, facile in momento, vitam moresque mutauit. & cum seculo atque Principatui renunciasset, eremiticam egit vitam, thoracemque ferreum quem olim aduersus Ecclesiam induerat, super nudo indutus, macerandi corporis apud se instrumentum esse voluit. dignus qui proponatur in exemplar facilitatis in resipiscendo, & austeritatis in pænitendo.

2. Guilhelmus Aquitan.

Vtinam vel nos etiam tales. Sed scuta fusilia [& squammas coniunctas obduximus oculis, auribus, linguæ, ne videamus, ne audiamus, ne deprecemur vocantem. An non etiam inter nos tales qui —— Sed nunc non reuelo. Oro. Inprimis, ne autem excetræ infernali præbueritis. Equus, cameli & odorem & aspectum fugit: Pectines conchæ, si quis præhendere voluerit, a lōge persentiscentes, se in suas testas recōdunt. Imitamini, in fugiendo veteratore, qui nostram perniciē quærit. Porro aūt Deo vocanti, aures ne clauseritis. Pessime agitur de illo, qui instar aspidis surdæ, adhuc obturat & obdurat aurem suam, ne audiat vocem venefici Incantantis sapienter.

Hodie si vocem Dei audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut obduxerunt Iudæi *in die exacerbationis* Dei *in deserto*. Si attenditis, & ille aspiciet, exaudiet, illustrabit, viuificabit, demaculabit, sicque ornatos recipiet in secula Amen.

FERIA

FERIA II. POST TERtiam Dominicam Quadragesimæ.

Duxerunt Iesum, vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum. Luc. 4.

CONCIO.

In homicidas.



TROX facinus commiserant Fratres, in Iosephum Patriarcham, quando parricidali ferro, insontem tollere volentes, dissuadente Iuda, ne se sanguine innoxio contaminarent, nihilo mitiores facti, in cisternam veterem præcipitauerant, eo fine, vt ibidem fame interiret. Magis atrox hodie committunt Iudæi, in Iesum Saluatorem, dum benemerētē è viuis exterminare cupientes, duxerunt in Saxosi montis fastigium, vt præcipitarent eum. Proximum huic sceleri, admittunt omnes quicunque Sanguinarij. Horum quam atrox facinus sit? demonstrabo. *Gen. 37.*

Fere ab ipso æuo, Deus videns homines sanguinarios, ad sanguinem fraternum fundendum inclines, omnibus rationibus præuertendum sibi proposuit, illorum crudum affectum. Quapropter, cū Noe eduxisset ex arca, & in esum cuncta non impura animalia concessisset, a sanguine iussit abstinere, cum sanxit, *Carnem in sanguine anima ne comedatis. Sanguinem enim animarum vestrarum, requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu viri, & fratris eius requiram hominis animam. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei, factus est homo.* Explicabat D. Chrysostomus. Ideo, *inquit*, sanguinem segregat, vt primis illis temporibus, comprimat illorum impetum, & propensionem ad homicidia. Et quod hoc sit verum, quia per hoc eos magis pios facere voluerit; audi quæ sequuntur. Etenim ipsum sanguinem, *inquit*, animarum vestrarum exquiram, de manu omnium bestiarum. & de manu hominis fratris, exquiram illum. Et vide quantam fecerit diuersitatem, ex seueritate præcepti. Qui effuderit, *inquit*, sanguinem hominis, pro sanguine eius effundetur. quia in imagine Dei feci hominē. Cogita obsecro, quantus hic terror, verbo astructus. Et si quod eiusdem naturæ est, *inquit*, non te auocat, neque a tam peruerso conatu repellit naturæ communio: sed & si totus impie flagitiosus, fraternum fœdus, & compassionem non agnoscis, cogita quod ad imaginem Dei formatus est, & quantis eum Deus dignatus sit prerogatiuis, & quod omni creaturæ præfectus sit, & quiesces a mala voluntate. Diduco singulas rationes, propter quas detestandum sit homicidium. quas breuiter, ex Diuino verbo elicuit Chrysostomus. *expli. lo. Gen. 9.* *Carnem cum sanguine ne esse.* *id est: ne homicida esse.*

1. Imprimis aio. Detestandum est homicidium, quia Deus, cum sanguinē hominis requirit, de manu bestiarum; ēt naturæ irrationali inseruit horrorem & detestationē illius, vt a belluarum horrore, discat & ipse homo, non sæuire in cōparem. Nescio an aliqua tantopere insidietur homini, vt Salamandra. Prodiderunt de eius ingluuie cædis humanæ, autores grauissimi, Plinius & Isidorus; quod eius oē studiū est, in enecando aliquo mortali. Vnde quocunq; repat, vbiq; venena eructat: vt vel a gustu rerū quas infecit, vel a contactu solo quas venenauit, intereat improuidus. Nam si arbori irrepsit, omnia *quod belluæ detestantur & horrēt* *Salamandra.* *Plin. lib. 29. c. 4.* *Isid. lib. 12. c. 4.*

poma

poma inficit veneno, & eos qui ederint necat frigida vi, nihil ab acconito distans: quinimo si contacto ab ea ligno, vel aqua, vel crusta panis, incoquantur, idem veneficium est, vel si in puteum cadat; quippe cum saliua eius, quacunque parte corporis, vel in pede imo respersa, omnis in toto corpore defluat pilus, homo vero moriatur. Inter omnia, *inquit Plinius*, venenata, Salamandræ scelus maximum est; cętera enim singulos feriunt, nec plures pariter interimũt morsu, vt illa venenatione. Tamen hæc bellua, licet tantopere sæuiat in homines quantum nulla alia, horrore maximo concutitur, cum admisit scelus. Lęsi enim hominis ducta conscientia, vltro abit in exilium perpetuum. vel vt Plinius addit, *perire conscientia dicitur, homine percusso, neque amplius admitti ad terras*.

Signum est, quod Deus requirat sanguinem humanum, de manu bestiarum, quando Salamandra crudelis seipsam ex horrore conficit propter hominem occisum. Lupus quoque dum hominem vorauit, dicitur in rabiem efferari, & vel a seipso, vel ab alijs lacerari. Apis homine percusso, dum aculeum amisit, emoritur. Crocodilus cum hominem interfecit, flere perhibetur. Quid hoc aliud est nisi Diuinæ vindictæ argumentum, quo testatur, etiam ipsis crudelibus belluis non impune esse, si humanum sanguinem effuderint. quippe quæ ex seipsis, ipsæ illæ sumant aliquod supplicium? Horrent sæuientes belluæ hominis internecionem: & quis, oro putabit ex vobis lutum, hominem occidere; naturæ communione sibi vinctum? tot prærogatiuis à Deo ornatum? Ciuem mundi? Dominum orbis? hæredem cęli? O detestandos illos, quibus homicidium nõ detestandũ.

Lupus.

Crocodilus.

2. Secundo pronuncio. Detestandum est homicidium, eo quod cum Deus sanguinem hominis requirat de manu viri & Fratris, ipsi homini inseruisse videtur, horrorem & detestationem illius. An requirat? Illud vel maximum habeo indicium, quod cuiq; homicidæ, incussit fugã a cadauere occisi, ab hominum conspectu; insuper & quẽdam suijpsius horrorem, tremorem & æstuationẽ diffugij. Audio Caimum, in seipsum decernentem. *Ecce eijcis me hodie a facie terrę, & a facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra. omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Vnde huic tantus timor? Vnde effugium? Proculdubio ab illa abominatione suijpsius, qua se detestabatur, post sanguinẽ fratris effusum: & ab horrore indito, ex quo nec ipsum cadauer Abelis, neque terram sanguine fraterno pollutam, & quasi vocalis esset, vindictam clamãtem aspicere sustinebat. Quid illud est oro, quod ad pręsentiam homicidæ sanguis ex cadauere occisi, ac si viuens esset ebullit? ex vulnere quod coiuit erumpit? effluit? Causam alij Physicam assignant, ex aeris attractione, simul atque spiritus infectione. Dicunt enim; quod licet cadauer illud sit spiritu omni destitutum, neq; sentiat quicquam, horrore tamen tunc concutitur transeunte occisore; quia spiritus ibi in vulnere sunt quadantenus infecti, a spiritibus interficientis, quo transeunte vsque ad ipsum vulnus aer infectus trahitur. quo intercepto, & sanguis ebullit propter infectionis cõformitatem, tam in vulnere manantem, quam ab interfectore manentem. Alijs autem transeuntibus id fieri non potest, cum quibus nulla spirituum & infectionis communicatio est. Neque etiã contigeret, si casu occisus fuisset; quia in occidente nullam infe-

2. homines

quamdiu homines horrent.

etiã mortuus horrent.

Paris de Puteo in tract. de Syndicatu, verbo tortus, c. 3.

propter hanc causam sanguis ẽstillat ad aspectu homicidæ.

R ctionem

ctionem spiritus effecisset, quæ in vulnus transire potuisset. Neque etiam id fieret, si homo vulneratus viueret. quia cum homo viuens bonum sanguinem sibi proprium in visceribus teneat, aeremq; infectum excludat, non posset huiusmodi ebullitio fieri, transeunte eo qui vulnerauit; quia sanguis hominis viuentis, suas actiones agit, in conseruationem indiuidui sui. At in iam mortuo nihil agit, nisi quatenus excitatur: excitatur autem ibi in vulnere, propter communicationem infectionis, quę (vt dixi) in solo reperitur occisore voluntario, qui cum vulnere transmisit in vulnus infectionem, quasi in quendam a se determinatum actum: & sicut terminus a quo, & terminus in quem communicant actiones, ita hoc casu. Hoc autem esse naturæ verum miraculū, tradit inter alios Leuinus Lemnius, in eo, quem scripsit de miraculis naturæ libro.

Subtilia sunt ista fateor, nec omnino aspernanda. Tamen ego magis affirmo, erumpentem illum sanguinem ad præsentiam homicidæ, requisitum esse, & debere, censeri a Conditore animæ occisi, quē elicit, tūc vel maxime cum adest homicida. siue vt indicetur, siue vt terreat. Erat propter asperiorem & crudeliorem in suos seueritatem, Angellotus Fuscus Cardinalis Tit. S. Marci, a famulo, quem cubilis curam habere iusserat, clam in horto iugulatus. Volebat facinus occulto perpetratum, omni ratione celare. Proinde nec fugam capesserat, nec se a conuersatione Familiæ segregabat. quinimo dolorem, vel se maximum ex morte Cardinalis dolere, ostendebat. Dum autem Simiam agit, & esset in aspectu cadaueris: quem in præsentia aliorum non fudit, in solius Cubicularij, quasi rupta vena ebullijt sanguis. Ibi miser vultū mutare, nutare, tremere cœpit. Tandē raptus, tortus, confessus est parricidiū, Deo ipso sanguinem, per sanguinem de viri manu requirente. Narrabo etiam illud, quod Surius commemorat de Sancto Thoma Episcopo. Gilbertus de Clara Comes Glouerniæ, maximis iniurijs affecerat, Beatum Thomam Herfordiensem Episcopum in Anglia, quod Ecclesiæ iura ipse tueretur, ille inuaderet.

Stillauit Angellotus Cardinalis.

Potentes de Principe. & S. Thomas occi. Surius To ma S. Octob. 7.

Obijt interim diem suum, mæroribus cōfectus Episcopus absens. Necessarij autem eius, ad eius Ecclesiam, deferenda ossa prorsus carne ablata curauerant. Mox vbi obuius factus est Comes, a puris nudatisq; omni carne ac sanguine ossibus, plurimus manauit sanguis. Id conspicatus Comes terrore concussus, pęnitentiaq; ductus, Ecclesiastica iura omnia a se inuasa restituit.

Manauit sanguis a siccis ossibus S. Thomæ, qui absq; vllo vulnere, ex causa tamen Gilberti Comitis diem suum obierat, ad concutiendum scelesti hominis & impęnitentis cor videlicet. Itaque si aliquando ex occisi vulneribus, ad præsentiam homicidæ erumpit, erumpit ad detestandum, ad indicandum, & ad vindicandum homicidam, quem vel ipsum cadauer concisum exhorrēs, sanguine ebulliente extorquet vindictam.

Non possum prętermittere, quod nuper an. Dñi 1606. accidit in Pago quodam, vno lapide ab Oppido Cazimiriēsi, qd imminet Vandalo flumini, septē leucis a Lublino. Scatet illud oppidū, inimicis Crucis Christi, Christianicidis Hebræis. Eorum vnus, in Pago Podgoricio vidit, puellum septēnem satis scitum, sed cui, pro more, non bene volebat Vitricus. Sciuit hoc balatro Hebræus, & mox, hominem impium aggressus, viginti.

Et quidā puer ab Hebræis excarnif.

viginti nummis argenteis, emit innocentem puppum. Eductum postea data opera in campum, rapit, domum trahit, & alijs carnificibus conuocatis, lancinando occidit. Nec simpla morte. Incisis enim extantibus in pedibus, in manibus, & alibi venis, sanguinem eduxit; mox volas manuum & pedum alius præcidit; alius sexum, alius pedes à busto præsecuit; tũ guttur medium findentes, & mentum aperientes, ex lingua desecta, gutture que & corde aperto, quod residuum erat cruoris, quasi in torculari expresserunt, & cadauer exãgue tribus abinde leucis demergendum, in piscinam quandam proiecerũt. Aliquot effluxerant dies, & vitricus erat totus, in priuigno quærendo, quasi esset non conscius cędis. Interim cadauer inflatum ex piscina enauit. In cuius aspectu, vitricus pauore consternatus, non minimo indicio se prodidit, auctorem infantis cęsi. Cadauer enim licet iam exhaustum & exangue, in eius præsentia, vernare sanguine copiosissimo cępit.

Et tamen, quod dicitur, pecunia, quibusdã corruptis, nec de Vitrico, nec de Hebręis sumptũ suppliciũ, ex ergastulo in qđ coniecti fuerant, per conniuentiã vt rumor est, fuga elapsis. O tempora, ò mores. Sanguis innocentis, vindictam clamabat ex innocuo busto, & Magistratus, auro auribus obturatis, non audiebat? Sed hoc non ideo narraui, sed vt ostenderem detestandum homicidium, etiam ab ipsa morte.

3. *Deus seuere punit homicid.* Tertio pronuncio. Detestandum est homicidiũ, quia illud Deus detestans, seuere in homicidas animaduertit: vel ipse per se, vel per Animatam, vel etiam per præterordinariam legem.

Cauit enim vt audistis. *Quicunque effuderit humanum sanguinẽ, fundetur sanguis illius.* Atq; adeo inuiolatã hanc legem esse cõstituit, vt nemo fere est homicidarum, qui vel p legẽ a Magistratu, vel permittente Deo, aut a feris, aut a casu, aut ab hostibus, vel ab ipso vindice immediato Deo, non cruenta morte intereat. Occidit Caimus Abelem, Caimum Lamech. Occidit Dauid Vriam, Dauidis Ammonem Absalon, Absalonem Ioab; Ioabum, Salomoni iussit occidere Dauid. Occidit Andronicus Oniã summum Sacerdotẽ; inq; eodem loco quo vita eum priuauit, purpura prius exutum Andronicũ, Antiochus. Occidit Iezabel Nabothum; atque ea ipsa ab Iehu milite duce suo, qui ab ea rebellauerat, filio regnoque simul priuari se conspexit, & postea ab alta turri pręcipitem demitti, demum in loco in quo aspersus erat sanguis Naboth, canes comederunt corpus eius. Namque equorum pedibus detritũ, in escã canibus datum est, vt cùm Iehu conquiri cadauer, ad sepulturam iussisset, nihil, præter manuum digitos fuerit inuentum.

Occidit Adonibezech Cananæorum rex, septuaginta vicinarum vrbium reges, idque longa morte; cum scilicet eos multo tempore, veluti canes sub mensa ad pedes suos pauisset: ille quoque a Iosue Iudæorum Principe, in prælio captus, amputatis manuum pedumque digitis, misertime in vita seruatus est; si quidem viuere is dici nõ potest, qui eo modo habitus, in longam potius mortẽ cõiectus videtur, & tandem enectus. Occidit Abimelech filius Ierobaal ex concubina, septuaginta fratres super vnum lapidem, vt solus posset dominari: & ipse occisus est a fęmina, quę fragmen lapidis iaciens in ipsum, dũ obsideret turrim Sychem, cerebrum eius fregit.

Parricidarũ supplicia. Narrabo vnum aut alterum exẽplum,

plum, in eos qui impietatis erga consanguineos, fratres, aut affines in parricidio rei, cum præsertim videam inter vos, quasi per lusum, parricidale ferrum plerumque stringi, Caimico affectu.

in Martina. Cuspinianus in vita Heraclii.

Martina secunda Heraclij vxor, eiusque ex fratre neptis, Constantinum qui patri successerat, opera Pyrrhi Patriarchę veneno tollit, metuēs ne vnquā filius suus Hæracleonas in imperio succederet; quādoquidē Constantinus, ex Gregoria Nicetæ patricij filia, Constantem & Theodosium filios susceplisset. Eo mortuo, arripit imperium. Sed vixdum exacto biennio, Martinę lingua Senatus imperio exsecatur, ne eloquentia sua populos commoueret: Heracleonas naso abscisso defœdatur, ne forma sua ad commiserationem populos induceret; & ambo in exilium in Cappadociam missi, misera morte inibi obierunt.

in Theodorico & Brunechilde.

Theodoricus rex in Gallijs, qui consilio Brunichildis sese sanguine proprij fratris, aliorumque Christianorū permultorum cōtaminarat, ab ipsa sua cōsultrice vita est priuatus. Cum enim pacatis rebus, neptē ex fratre occiso reliquam, in matrimoniū ducere vellet, speciosa eius forma illectus, obstitit Brunichildis dictitans, *Incestū esse connubium, quod cum fratris filia contraheretur.* Illud ægre ferens Theodoricus, cū antea sibi ab eadē persuasum esset, Theodobertum non suum germanum, sed ex adulterino concubitu prognatum fuisse, cum impetu in eam irruit, gladio volens traijcere. Verum illa aulicorum ope, qui forte tunc aderant, tunc ex ipsius manibus elapsa, non multo post veneno eum sustulit. Auentinus asserit eum fulmine ictum, cum post parricidium fratris, Matricum vrbem esset ingressus.

Annales Boior. lib. 3.

Bestia vero illa immanis Brunichildis, cum iam pręter infinitam vulgi multitudinem, decem etiam reges cognatos morti tradidisset, infelici tandem bello moto contra Lotharium, cui regnum cedere nollebat, capta est, & ad horrendum supplicium, ex sententia omnium procerum, totiusque exercitus damnata. Quater enim fustibus cæsa traditur, antequam ad Clotharium est deducta. deinde coram omni exercitu, scelera eius sunt proclamata: & tandem pedibus & brachijs alligata, ad caudam indomiti equi, membratim est discerpta. anno Domini 618.

Sighebertus in Chron.

in Popielo.

Quid noster Popielus, propter parricidium, quo patruos propter principatum trucidauit, vna cum vxore a muribus deuoratus? Nota res est, a muribus vna cum vxore corrosum, quam vt oporteat referre. Adeo verum est quod Caimus in se primo, & postea in parricidas sanxit. *Ecce eijcis me a facie tua, & ero vagus & profugus in terra, & omnis quin inuenerit me, occidet me.* Sed expendo.

expl. loc. Gen. 4.

Quid est qd Caim dicit *eijcis me a facie tua? ero vagus & profugus in terra?* & quid est qd subijcit, *omnis qui inuenerit me, occidet me?* Quomodo sciebat, se eijciendum a facie Dei? Quis edixit? quis reuelauit? Deinde, quomodo verum, *omnis occidet me*, cum tunc temporis, nullus in mundo præter Adamum, Euam, & Caimum, de quibus nulla suspicio parricidij?

Augur in malo animus, reuelauit Caimo supplicium vagationis. Quid dico reuelauit? Pręsanxit ipse, supplicium parricidij. Nam hæc inter alias sequitur pęna sanguinarios, vt ipsi a cōscientia sceleris sibi metuentes, omnia suspicentur in se deriuanda mala, propter sangui-

neam.

nem innocuum fusum. adeo vt inter delicias, gladios & lanienam sibi immmere existimantes, sępe vel inuiti, non minimo se indicio prodant, sententiam quę vel dormientes, in se pręnunciēt & pronunciēt. Noti horrores. notę tergiuersationes omnium horum, vt opus non sit vulgare illud, quod nuper alicubi se quispiam prodidit, homicidij reus. dum vxori condormiens, per somnum furijs vexatus, nihil cogitans vociferaretur. oh, ministri iustitiæ. oh lictores, oh Carnificem. Quę cū vxori multo tempore requirenti, dum tandem importunitate victus narrasset, quia hominem occidisset: & illa leuiculo postmodum verbulo offensa, tandem collitiganti exprobrasset marito; atque vicinia audiuisset, remque ad magistratum detulisset; captus, in vinculis tortus, tandem ad extremum, supplicio, quod sibi in somnis præuulgarat, affectus est, capite imminutus.

Quid vero, *omnis qui inuenerit me, occidet me*; si non erat verisimile vt Adam stringeret ferrum in viscera filij, qui huic vnicus supererat? Insinuat, omnem creaturam superam & inferam, accipere *armatura zeli*, contra patricidas.

Terra quidem, nedum non vult suscipere sanguinem effusum, sed etiam plusquam vocali clamore, fatigat Deum vindicem iustum. *Vox*, inquit Deus, *fratris tui, clamat ad me de terra*. Quid quod sæpe fatiscit & fidit, & hiat sub pedibus homicidarum? Drahomiræ consilio, interciderat S. Venceslaus Boemiæ Princeps. Dū est in itinere aliquo, ante Ecclesiam, in qua sacrum celebrari, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum eleuari audiuit auriga, & adoraturus excendit; illa persistens in carpento & fremens, terræ hiatu, vna cum curru absorpta est. An pauci, talem vindictam passi?

Porro quantum alia creata desæuiant, in homicidas, non esset difficile demonstrare, varijs exemplis. a quib. supersedeo. Hoc quod multi talium fatentur experti contentus, quia qui semel se sanguine alieno contaminauit, etiam a proprijs sibi metuit, atque cauet vmbris. Si vmbris: quid alijs rebus?

Ite nunc vos sanguinis fraterni, vel consanguineorum, aut affinium helluones; propter leuem offensam vel propter tantillum successionis, ferro impio vos impiate. Ne vobis existimate inultum esse. *Vox sanguinis fratris* vestri, *clamabit de terra*: scelerum furiæ animum lancinantes diuebaxunt, tremor & terror conscientiam peruadens, mentem trementem efficiens, in fugam coget; donec tandem aderit vindex Deus, qui aliqua ratione sanguinem a vobis requiret. veritate comprobans illud immotum. *Qui gladio occidit, gladio quoque occidit*. Et erit aliquis vestrum, volens & sciens, qui se hoc scelere maculabit? Nam video quasi scientes, & volentes plerosque, hanc lanienam fraterni sanguinis appetere. Nicippo cuidā, tyrannidem portendebat, Ouis leonē pariēs, in eius pascuis. Ego quoq; nihil aliud portendi aio, ex ferocia vultuum & armorum quæ apud vos Christianos, quam tot leones & vrsos, ab oue mansueta Ecclesię natos, in mutuam perniciem. An non leones & vrsos putes, qui in compitis, qui in Ecclesi s, qui ad pacis asyla, tot quot videris grassantur? Quo enim tantam multitudinem satellitum armatorum, quos ducitis? Quo quaternos, vel etiam sexenos sclopos, quos gestatis? Quid gladij ancipites, bini, terni? Quid ex peregrino orbe, adnexi pugiones?

nes? Quid absconditi stili? Quid plus armorum in vno homine, quã in manibus & pedibus, digitorum? Iam vultus Martiales non nisi cędes & sanguinem spirantes? Iam viarum infessio? jam villarum inuasio? jam, &, (quod ah dolẽs dico) niues nostrę veneno suffusę? jam & conuiuales mensę; quin, & quod non iam insolens, & Diuorum Templa, & sacratę arę, cruore parricidali violatę? jam, &, quod cottidie videmus, cadauera circumfuso igne vltulata, ne quid maneat, vel ad extorquendã a Deo vindictã, vel ad onerandam sepulturam? O crudam crudelitatem. Vbi communio sanguinis? Vbi nexus Sacramenti? Belluę iam non ferales amplius, ad hãc vestram truculentiam feralem. Lupus lupum non exest. Leo leoni innoxius: nec aliquid in congenea sęuit. Fratres, Patrueles, Consobrini, Amici, Agnati, Affines, in sua, vix non viscera crudi? Et quidem Fratres Iosephi, cum implacabili odio flagrarent in innocentem, cum audissent Ruben dicentem. *Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem, sed proijcite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manus que vestras seruate innocias.* deinde etiam Iudam adiungentem *Quid enim nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius? Melius est vt venundetur Ismaelitis, & manus nostræ non polluantur. Frater enim & caro nostra est.* Tantum potuit pręiudicata necessitudo, sanguinis fraterni apud illos, vt acquiescentes sermonibus Iude & Ruben, nihil grauius fecerint Iosepho, quam quod vendiderint illum. O si aliquis vestrum, dum lurcari cogitat sanguine cognato, vel hoc sibi dicat, vel ab aliquo dici patiatur: *Frater & caro est*; credo non tam fore

Verticordium ab homicidio.

promptum, ad fundendum consanguineum cruorem. Cęterum, quia potior est consanguineitas spiritualis, secundum quam in Iesu nostro, ex vtero matris Ecclesiæ, Fratres agnominantur, vnius Christi membra, hæredes Dei, cohæredes vero Christi: fac etiã, imo magis meminerítis, tum dum bilis feruet, *Frater & caro mea est, Conciuis Cæli, & Cohæres paradisi.* credo quia hac sanguinitatis commemoratione, ardorem restringuetis; vt Filij Iesu sitis, qui calamum quassatum non contriuit, & Pacificis suis, regnum Pacis, promitit in secula. Amen.

FERIA III. POST TERtiam Dominicam Quadragesimæ.

Corripe eum inter te, & ipsum solum, &c. Matthæi 18. cap.

CONCIO.

In iracundos



PYTHAGORAS monebat. *Ignem, gladio ne fodito.* Qui interpretati sunt symbolum, dixerunt ex mente Philosophi: iratum animum non esse lacessendum. Vt enim illi qui incendium extingere cupiunt, titiones fumantes non irritant, sed aquis aspergunt: si enim irritarent; maiores flammas succenderent. sic qui iracundia feruentem animum alicuius nactus est, non debet acrimonia con uitiorum fodicare, sed aqua mansuetudinis irrorare. Ideo Saluator in Euangelio hoderno monebat, nõ esse exasperandum proximum, sed ex benignitate corripiendum In fodicatores ignis iracundiæ, mihi hodiernus sermo.

Ignem, gladio ne fodito.

Bias

Bias Philosophus, bono consilio duo maxime contraria esse dicebat. *Festinationem* scilicet *& Iracundiam*. Causam afferebat. *homo enim iracundus*, inquit, *extra seipsum fit, estque vacuus omni consilio*. Nō absimile est huic qđ Epicurus, *quid ira efficeret*? sciscitatus, respōdit: *Immodica* inquit, *ira gignit insaniam*. Porro apud Senecam, Quidam e sapientibus viris *omnem iram*, dixerunt, *breuem insaniam*.

lib. 1. de ira. c. 1.

1. *Ira. breuis insania.*

Ex his educo primam rationem, cur ira sit euitanda. Quia nimirum est breuis insania. Dubitatis? Ostendit Seneca, & ab forma externa, & ab Actis. *A forma*. Vt, *inquit*, scias non esse sanos, quos ira possedit, ipsum illorum habitum intuere. Nam vt furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torua facies, citatę manus, inquieti gradus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, exęstuante ab imis pręcordijs sanguine: labia quatiuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus mugitusque, & parū explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens, fœda visu & horrenda facies, deprauantium se atque intumescentium. Nescias vtrum magis detestabile vitium sit, an deforme.

patet ex forma.

& Actis.

Acta deinde si expendo iratorum; omnia insanię plena cerno. Nulla, *inquit Seneca*, pestis humano generi pluris stetit. Ab hac cædes, & venena, & reorum mutuæ sordes, & vrbium clades, & totarum exitia gentium, & principum sub Ciuili hasta venalia capita, & subiectę tectis faces. Ab hac parentum, liberorum, coniugum, amicorum, cognatorum, fratrum, sacramenta violata. Ab eadem denique ipsa humanitas, in hominibus extincta. Nihil est homine, dum in recto animi habitu est, mitius aut amabilius; iraro nihil crudelius, nihil infestius. Eunus Syrus, nucis putamine, puluere tormētario & tomento repleto, atque accenso & ori indito, flammas exsufflando vomere visus est, inter secularia ludicra, seu ostenta. At longe fœdius spectaculum edunt iracundi, dū furijs agitati viuos ex ore, lingua, oculis ignes spirāt, in perniciem reciprocam. Monstra, quibusuis monstris, mōstrosiora. Sed Senecam audite. Homo in adiutoriū mutuum generatus est; ira in exitium. Hic congregari vult, illa discedere. Hic prodesse, illa nocere. Hic etiam ignotis succurrere, illa etiam charissimos petere. Hic aliorum commodis vel impendere se paratus est, ira in periculum, dummodo secum deducat alium, parata descendere. Hic in iudicio vtrique parti locum dat, & tēpus, deinde aduocationē etiam sibi petit, vt excutiendę spatium veritati habeat; ira festinat. Hic, id iudicari vult, quod ęquum est; ira id ęquum videri vult, quod iudicauit. Ratio nihil pręter ipsum, de quo agitur spectat, ira vanis & extra causam obuersantibus commouetur. Vultus illam securior, vox clarior, sermo liberior, cultus delicatior aduocatio ambitiosior, fauor popularis exasperat. Sępe infesta patrono, reum damnat, etiam si ingeritur oculis veritas, amat & tuetur errorem. coargui non vult, & in male cęptis honestior illi pertinacia videtur, quam pęnitentia. Cn. Piso fuit, memoria Senecę, vir a multis vitijs integer, sed prauus, & cui placebat, p constantia, rigor. Is quum iratus duci iussisset eum, qui ex commeatu si-

quæ fecit

Cn. Piso.

ne commilitone redierat, quasi interfecisset, quem non exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquirendum, nō dedit. damnatus extra vallum ductus est, & iam ceruicem porrigebat: cum subito apparuit, ille qui occisus videbatur. Tunc Centurio supplicio præpositus, condere gladium speculatorem iubet: dānatum ad Pisonem reducit, redditurus Pisoni innocentiam. nam militem, fortuna reddiderat. Ingēti concursu deducūtur, complexi alter alterum, cum magno gaudio castrorū cōmilitones. Conscendit tribunal furens Piso, ac iubet duci vtrumque; & eum militem qui non occiderat, & eum qui non perierat. Quid hoc indignius? Quia vnus innocens apparuerat, duo peribant. Piso adiecit, & tertium. Nam ipsum Centurionem, qui damnatum reduxerat, duci iussit. Constituti sunt in eodem loco illo, perituri tres, ob vnius innocentiā. O quam solers est iracundia, ad fingendas causas. *Te*, inquit, *duci iubeo, quia damnatus es: te, quia causa damnationis commilitoni fuisti: te, quia iussus occidere, imperatori non paruisti.* Excogitauit quemadmodū tria crimina faceret, quia nullum inuenerat. Habet hoc iracundia, vt homo humanitatem exuat. Habet deinde hoc aliud mali, non vult regi. Irascitur veritati ipsi, si contra voluntatem suam apparuerit. clamore, & tumultu, & totius corporis iactatione, quos destinauit, insequitur, adiectis conuicijs & maledictis.

An vero & illi alij non insanierunt, quos nunc nunc produco?

Cæsar. C. Cæsar, Pastoris splendidi equitis Romani filium, cum in custodia habuisset, mūdicijs eius & cultioribus capillis offensus, rogante patre vt salutem sibi filij sui concederet; quasi de supplicio eius admonitus, duci protinus iussit. Ne tamen omnia, inhumane faceret aduersus patrem, ad cœnam illum inuitauit eo die. Venit Pastor, nihil vultu exprobrante. Propinauit illi Cæsar heminam, & posuit illi custodem. Perdurauit miser, non aliter quam si filij sanguinem bibisset. Vnguenta & coronas misit, & obseruare iussit, an sumeret. Sumpsit eo die quo filium extulerat, imò quo non extulerat. Quid Persa rex Harpago cuidā, propter liberius verbū? Liberos illi epulandos apposuit, & subinde, quæsijt, *an placeret conditura*? Deinde, vt satis illum plenū malis suis vidit, afferri capita illorum iussit; & *quomodo esset acceptus*? interrogauit. Non defuerunt misero verba, non os concurrit. *Apud regem*, inquit, *omnis cæna iucunda est*. *Persa.*

Xerxes. Xerxes quoq; non facilior, qui Pythio quinq; filiorum patri, vnius vacationem petenti, quem vellet, eligere permisit: deinde quem elegerat, in partes duas distractum, ab vtroque viæ latere posuit, & hac victima exercitum lustrauit.

Alexander. Dabo etiam ex Aristotelis sinu Regem Alexandrum, qui Clytum charissimum sibi & vna educatum, inter epulas trāsfodit, & manu quidem sua: partim adulantem, & pigre ex Macedone & libero, in Persicam seruitutem transeuntem. Lysimachum quoque, æque familiarem sibi, leoni obiecit. Et hæc quidem togata, & inter ipsas epulas, delicias ira faciebat. Quid? annon hominem, humanitate exuebat? Quid vero agitet armata, cum illi tales, quales sunt ferarum cæde madentium, aut in cædem euntiū aspectus; qualia Poetæ inferna monstra finxere, succincta serpentibus & igneo flatu; quales ad bella excitanda, discordiamq; in populos diuidendam, pacemque lacerandam teterrimæ inferum

ferum exeunt furiæ; cum illi flammis lumina ardentia, sibilo mugituque, & gemitu, & stridore voces perstrepentes, quando tela vtraq; manu quatit, torua, cruenta, cicatricosa & verberibus suis liuida, incessu vesano, offusa multa caligine, incursitans, vastans, fugans, & omniũ odio laborãs. quando si aliter nocere non possit, terras, maria, cęlum ruere cupit. velut

Sanguineum quatiens, dextra Bellona flagellum
Aut scissa gaudens vadit Discordia palla

an putas illam tunc non insanire? Vel istum qui fecei dedit, non extra seipsum positum esse?

Ego sane a phrenetico, vel ab eo qui a malo Genio insessus est, magis insanos actus non expecto, quam ab jra armata. Duos eius nepotes educo, qui etiam elementis ex insania irati.

Cyrus. Cyrum primo flumini iratum repræsento.

Is cum Babylonem oppugnaturus festinaret ad bellum, cuius maxima momẽta in occasionibus sunt, Gynden late fusum amnem, vado transire tentauit. quod vix tutum est etiam cum sensit æstatem, & ad minimum deductus est. Ibi vnus ex his equis, qui trahere regium currũ albi solebant, abreptus, vehementer commouit regem. Iurauit itaque, amnem illum regijs equis meatum auferentem, eo se redacturum, vt transiri calcarique, etiam a fœminis posset. Huc deinde transtulit omnem belli apparatum, & tamdiu assedit operi, donec. c. & lxxx. cuniculis diuisum alueum in ccc. & lx. riuos dispergeret, & siccum relinqueret, in diuersum fluẽtibus aquis. Perijt itaq; & tempus magna in rebus vanis iactura, & militum ardor quem inutilis labor fregit, & occasio aggrediendi imparatos, dum ille bellum indictum hosti, cum flumine gerit.

Stultior Xerxes, cum ponte Hellespontum iunxisset, expeditionem contra Græcos parans, atq; is oborta ingenti tempestate dissolutus fuisset, indigne ferens stupidissimus rex hanc iniuriam, iussit trecenta verbera Hellesponto infligi, & in pelagus par compedum, ad vinciendum Deum Neptunum demitti. Misit deinde alios, qui stigmata Hellesponto inurerent, & colaphos incuterent, barbaris hisce verbis: *O aqua amara, Dominus hunc tibi irrogat pœnam, quod eũ lesisti qui dete nihil male meritus erat*. Ea propter etiam & Neptuno compedes, & Soli tenebras minabatur. *Herodot. lib. 7.*

Scio, qa ridetis, & indignamini, ad insaniam istorum, cuius tamen non alia Parens, quam jra armata. Lusus itaque erit jræ, quando iracũdus Dominus, quosdam in fugam seruos agit, quosdam in mortem; quando iratus Pater filium contumelia affecit, alium diris deuouit, alium domo exclusit; quando iratus maritus, coniugem pugnis liuidauit, flagris aut fuste designauit, a lare & thoro profligauit. Lusus iræ erit, quando illa patri luctum, marito diuortium attulit, magistratui odium, candidato repulsam, fratribus discordiam, Ciuibus seditionem, damna, insidias, perpetuam ex certaminibus mutuis sollicitudinem, cædes mutuas, & alia quæ ex cędibus sequuntur, lites, infamiam, pericula, adduxit.

Et quo tandem bono? Nulli. Sed sempiterno exitio. Postquam enim aliquos in furorem ira egit, furore in mortem, morte vero ipsa in infernum compulit. & tamen postquam egestatem sibi, ruinam domui, ex amicissimis hostes, ex domesticis vitan-

vitandos, ex consanguineis inimicos atroces, ex inimicitijs periculum vitæ sibi creauerint; irasci se negant; non minus quam insanire furiosi.

Quanto satius esset mansuetudine & beneuolentia, sibi dignitatem, quietem, felicitatem, ex hostibus conciliare?

hom. 29. ad popul. Floride Chrysostomus. Inter quos, *inquit*, esse putas, bile percitum? Inter quos vero toleramtem & mitem? Nonne huius anima quidem solitudini cuidam est similis, multam habenti quietem? Illius autem foro & tumultui, medijsque ciuitatib. vbi multus euntiũ & redeuntiũ clamor, camelorũ, mulorũ, & asinorum, accedentium aures agasonibus multo replentibus sonitu, ne conculcentur: & rursum argentarijs & ærarijs vndique cudentibus, & his quidem molestiam patientibus, his autem inferentibus? At mitis hominis mens cuidam montis vertici similis est, auram quidem habenti tenuem, purum vero radium, pura fontium fluenta, multasque florum amenitates, vernantiumque pratorum & hortorum plantis & floribus frondentium, & aquis viridantium irriguis. Si quis autem & sonus immurmuret, dulcem & multam asperget audientibus voluptatem, vel aues enim canorę summis arborum insident frondibus & cicadæ, ac Philumenæ & hirundines, concentum quendam concorditer efficiunt musicum. Vel Zephyrus arborum folijs sensim aspirans, pinos & piceas susurrantes, & cygnos frequenter imitans; & rosæ ac violæ & flores se leniter inclinãtes & viridantes, quasi mare ceruleum blande fluctuans exhibent. Quinimo multas aliquis posset inuenire imagines. Nam cum in rosas quidem respexerit, uidere se videre putabit, cum vero violas, pontum fluctuantem; at cum lilia, cælum. Nec aspectu vero tantum, & visu huiusmodi delectabitur, verum & ipso corpore pratum intuentis, vt se magis in Paradiso quam in terra esse cẽseat. Si vero sit, & alia vox aquæ a vertice montis per riuos sponte defluentis, & subiectis lapillis quieto sono sensim immurmuret, & ita membra resoluat per voluptates, vt statim laxatiuum oculis somnum ingerat, tunc maiorem adhuc delectationem ingenerat. Forte iam & solitudinis amatores facti estis? Sed jucundior est viri longanimis anima, propter quam hanc imaginem solitudinis ostẽdimus. Cum neque spiritus vehemens exeat ex ea, sed mites quidẽ sermones & benigni, vere illam Zephyri lenitatem & quietem imitatur; & admonitio nihil quidem habens austerum, canoras autem imitans aues, quomodo non melius sonat? Non enim corpori illiditur sermonis aura, sed animos refouet calentes & exęstuantes. Neque enim febricitantem, medicus tam cito liberauerit, per qualemcunque sedulitatem, quam longanimis homo iratum, & furore ardẽtem petens, propriorum spiratione sermonum refrigerauerit, & quid dico modicum? Neque ferrum ignitum, & aquæ immersum, tam cito calorem amitteret, quam in longanimem mentem incidens iracundus. Proinde nihil iracundo homine insuauius, nihil infestius, turpius nihil; sicut e cõtra nescio irasci, nihil iucundius. Feræ potius, quam iracundo homini cohabitandum est. Nam illa cum semel mansuefacta fuerit, suam seruat legem. hunc autem quotiescunque mitigaueris, rursum efferatur, & sicut dies clara plena est letitiæ, hyems autem multæ plena tristitiæ, itidẽ mansueti animus & quieti Quod

ti. Quod si quàm sit pestifera corporibus quęras, nihil iracundia damnosius. Noui multos ex ira morbos, & mortes incurrisse. Nullus enim tortor, ita laniare viscera potest, vt iracundia dilaniat, & morbos insanabiles inducit, & ad extremum ad gehennam detrudit. Nam per iram ad inferna via
2. præstruitur, cum propter iram om-
Iræ dispē dia. nis virtus deperditur. Per iram sapientia perditur, *addit Gregorius*, vt quid quo ordine sit agendum, omnino nesciatur. quia nimirum intelligentiæ lucem ira subtrahit, cum mentem permouendo confundit. Per iram iustitia relinquitur. quia dum perturbata mens, judicium sine ratione exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat. Per iram socialis vitæ gratia amittitur. quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est vt bestialiter solus viuat. Per iram lux veritatis amittitur. quia cum menti iracundia cōfusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Per iram Spiritus sancti splendor excutitur, qui super humilem & quietum requiescere dicitur. quia cum ira subtrahit quietem mentis, suam Spiritui sancto habitationem claudit; cuius recessione animus vacuus, ad apertam insaniam mox ducitur, & vsque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. Nam iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, vt etiam notos ex perturbatione non cognoscat. Ore quidem clamorem sonat, sed intus quid loquatur ignorat. In quo itaque iste a phreneticis & ab arreptitijs longe est, qui actionis suæ conscius non est?

Recte itaque Philosophi, iram esse insaniam descripserunt. *Amuleta Iræ.*

1. Sed quomodo tandem cauenda? quomodo curanda? Dabo documenta. Cauebis iram, si te raro in publicas turbas dabis. Antiochus Sophista, quum male vulgo audiret, velut formidolosus, quod nec prodiret in concionem, nec reipub. munia capesseret, *Non vos*, inquit, *metuo, sed meipsum*. agnoscens bilem suam vehementiorem, quam vt cohiberi possit. Cauebis item iram, si omnes iræ occasiones anteuertes, quæ te incitare possint. Cothys, quū esset natura celer ad iram, sæuusque castigator eorum, qui in ministerio deliquissent, hospiti qui ad illū detulerat vascula fragilia tenuiaque, sed scite curioseque, celte tornoque elaborata, dedit munera: cęterum, omnia vascula confregit. Demirantibus, quur id faceret? *Ne*, inquit, *sæuiam in eos qui fracturi erant*. Cn. Pompeius Magnus, quum Sertorij literas intercepisset, in quibus erant inclusæ complurium Ducum epistolæ, Sertorium ad nouandas res, statumque ciuitatis immutādum Romam inuitantium, exussit omnes. Fecit & Iulius Cæsar deuicto Pompeio, cum Clarissimorum Senatorū literas, in Pompeij scrinijs inuenisset, ne iræ suæ fomitem maiorem adderet, illectas iussit exuri. Prudentis est, naturæ suæ morbum agnoscere, & vitio materiam præripere. Cauebis etiam iram, si aures ad nouellas, & ad contumeliam incerabis. Ex veteri prouerbio audi. *Nemo furiosus, nisi curiosus*. Præclare Silus referenti cuidam, quod de illo alter obloqueretur repoluit. *Potuit*, inquit *ista non dixisse?* respondente isto, *Potuit*, intulit. *Potuisti etiamtu nō omnia audiuisse, vel aliter audiuisse?* respondente, *quod potuerit hallucinari*. conclusit. *Apagesis, ne incerta, ne odiosa in mediū feras, ignemque flabello excitare pergas*. Gratiani Imperatoris, falsum est scōma, in quādam mulierem. Maritum varie

quibus vi-[?] Antiochus.
2. *Cothys.*
Pōpeius.
Iulius.
3.
Silus.
Gratianus.

& aspere criminabatur. Tunc ille: *Quid hoc ad me mulier?* &, cum illa subijceret. *etiam in te male animatus est, & loquitur.* cui rursum. *Quid hoc ad te mulier?* O si nos omnes tales, in occultos susurrones.

4. Curabis etiã iram, si recedes. Secessit Abraham a Lotho, & Iacobus ab Esau alio concessit, ne præsentia sua flabellum iracundię insufflaret.

5. Curabis iram, si primum irritamentum iræ spernes, ipsisque seminibus repugnabis. Nam si cæperit ferre transuersum, difficilis ad salutẽ recursus est. in primis finibus, hostis arcendus est. Nam cum intrauit, & portis se intulit, modum a captiuis non accipit. nihil rationis est, vbi semel affectus inductus est.

6. Cauebis deinde iram, si existumabis nihil tibi posse, quo instigeris accidere. Pars superior mundi & ordinatior, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, omni tumultu caret; inferiora fulminant. Eodem modo sublimis animus, quietus semper, & in statione tranquilla collocatus, intra se præmens quibus ira contrahitur, modestus & venerabilis est & compositus, quorum nihil inuenies in irato. M. Catonem in balneo quidam percussit imprudẽs; postea satisfacienti, Cato: *Non memini,* inquit, *me percussum*. Melius putauit non agnoscere, quam indicare. *Cato.*

Sigismundus. Sigismundus Imperator non est supprimendus. Huic cum Laurentius Palatinus Hungariæ diceret, imprudẽter agere, qui hostibus non solum vitam & opes relinqueret, sed etiam inter amicos reciperet extolleretque, præclare respondit. *Tibi videtur vtile inimicum occidere, quod mortuus bellum non excitet. At ego inimicum occido, dum parco: & amicum facio, dum extollo.* Nec omittendum est quod adiungo.

Pisistrati Atheniẽsis tyranni vxorem, publice, conuitio iuuenes quidam incesserant. Qui cum postridie errorem suum agnouissent, & præ formidine profusis lachrymis veniam a Pisistrato peterent, ipse nequaquam ad iram, aut vltionem animo permotus respondit; *In posterum modestiores estote: quãquam vxor mea, sicut vos arbitramini, hesterna die, domum egressa non fuerit.* Verbo in quo non minus prudentię quam humanitatis fuit, & iuuenum errorem & illatum vxori dedecus texit. Magis mirandum est, quod in se admissum tulit. namque a Trasippo amico, inter cęnam sine fine cõuitio laceratus, ita & animum, & vocem ab ira cohibuit, vt putares satellitem a tyranno male audire. Abeuntem quoque, veritus ne propter metum maturius se conuiuio subtraheret, inuitatione familiari cæpit retinere. Trasippus concitatæ temulentiæ impetu euectus, os eius sputo respersit: nec tamen in vindictam sui accendere potuit. Ille vero, etiam filios suos, violatæ patris maiestati subuenire cupientes, retraxit. Quis non admiretur viri tyranni lenitatem? *Pisistratus.* *Maxim. lib. 5. c. 1.*

Fecit plane, quasi ex schola Mæcenatis esset edoctus. cuius est insigne ad Augustum monimentum, apud Dionem. *Conuicia,* inquit, *vlcisci non debes*. Turpe enim fuerit, te credere inuentum, qui te neminem lædentem, omnibus benefacientem, ignominia affecerit; idque soli mali credunt Principes, quos ad fidem, dictis habendam *conscientia mouet. Denique iniquum est ea, velle ægre ferre, quæ si vera sunt, præstat non admisisse; siu falsa, dissimulare. Quid quod multi hæc vindicantes, pluribus, ac grauioribus de se sermonibus occasionem præbuerint?* *Dion. lib. 52.* *Mecenatis dogma.*

Nam

Nam vetus veriloquium est: *Conuicia, si irascare, agnita videntur; spreta, exolescunt.* Et apud Christianos, qui tumultus propter vnum, aut alterum verbum? propter —— Sed taceo, hoc tantum insinuo. Magnum est præmium propositum iracundiæ Victoribus. Quidam Alcathous in præmium leonis Cythęronij occisi, Megarei regis filiá in vxorem accepit. non ea pręmia Christus, leoninę iracundiæ Victoribus concedit, sed sui copiam, sed cœlorum regiam, sed immortalem gloriam. Hortor & moneo, ne vos insania voluntaria inuitos, & cœlo indignos reddideritis. Si quid peccatum est in vos a proximo, *irascimini & nolite peccare*: corrigite, nõ ex ira, odio habetote. *Qui enim odit fratrem suum, homicida est.* Qui corrigit, medicus est; qui delinquẽtem & se saluat in secula. Amen.

FERIA IIII. POST TERtiam Dominicam Quadragesimæ.

Honora Patrem tuum & Matrem tuam. Matth. 15. cap.

CONCIO.

De pietate in Parentes.

Ciconiã occidere capital Aegyptijs.



APVD Aegyptios Ciconiam occidere, Capital erat. Dicant alij, necessarias fuisse glutiendis serpentibus, quorum ingentem prouentum fert Niliaca exundantia: & ideo expurgando aeri, qui putebat ab corruptis. ego vero causam altiorem reperio, propter quã apud eos hoc genus volucris inuiolatum. nimirum, inferendæ pietati erga Parentes. Vnde & pietatis symbolum pingebant, fingebantque Ciconiam: quod illa tanto amore erga parentes sit, vt in alendis iam per senectam deplumibus, omnium volucrum alia nulla. Quamobrem Legem illam: *Quicunque Ciconiam mactarit Capital esto.* ad pietatis mystas referebant. scilicet. Qui vel Parentem aliquem, vel Parentum amantem, violauerit, Capital esto. Nolebat etiam Deus, vt sui quos elegit in disciplinam, degenerarent ab hac pietate animantium. ideo cum in veteri, tum in noua lege sanxit, Pręceptum Pietatis Parentalis. *Honora*, inquit, *Patrem tuum, & Matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* quasi Capital proponens, si quis alterum violauerit. De hac pietate in Parentes sermo. *quia pietatis in parentes hierogl.*

Duas Mosaycæ legis Tabulas fuisse, nemo est qui ignoret. in prima Diuinas, in altera Humanas. scilicet in prima eas quæ ad Deũ, in altera, eas quæ ad homines sanctiones scripferat. Alterius Principium inarare voluit cultu sui; alterius vero cultu Parentum. Colligo Diuinæ mentis intentionem, quia post Deum, & ea quæ ad Deum colendum pertinent, primas voluit partes habere apud nos, Pietatem in parentes, cuius primum præceptum exsculpsit in Tabula Humanorum. Colligo aliud, quia sors æque voluit nos esse pios in Parentũ cultu, nõ minus quã suo. ex quo alterius Tabulę legẽ Principem voluit pręcedere, de cultu parentum. Credo, quia non fallor. Nam que parentes in terris, ac si Dij aliqui censebantur apud Gentiles, a quibus esse, viuere, bene esse & bene viuere propter curam educatricem, post Deum habemus. Vnde non minus sunt colendi, quam ipse Deus. Propterea ex veteri verbo dicebatur, *Dijs, parentibus, præceptoribus, non redditur æquiualens.* quasi illi propter beneficentiam Originantem *Cuius cultus primas post Deũ vẽdicat. Arist. lib. 9. ethic.*

&

& educantem in albo eodem. Nec dissonabant Grecorum Comici, in scęna inculcantes: *Dij maximi, parentes sunt mortalibus.* &; *Persuade tibi ipsi, Parentes esse Deos.* & Plato statuebat existimandum esse, *nullum apud Deos magis honorandum simulachrum nos habere debere, quam patres & auos senio confectos, matresque simul, quibus honoratis Deus gaudet.* Non multum itaque discrepare voluit author naturæ, Pietatem in se & in Parentes.

Plato 11. de legib.

Tres huius pietatis pręcipuas partes, pro nunc expedio: Honorem, Obedientiam, Amorem. Namque & Deus iis pręcipuè coli desiderat a nobis. ideo tria enunciata pronuncio, de pietate in parentes. Primum esto. *Liberi si volunt audire pij, debent Parentibus honorem.* Habeo Doctorem, a natura euulgantem. *Qui*, inquit, *dubitat, vtrum oporteat Deos venerari, aut parentes honorare, non indiget ratione, sed pæna.* Apud veteres, qui Parenti non assurrexisset, vel caput non aperuisset, vel genu non inclinasset, probrum habebatur. Qui contendere, aut verbo offendere ausus, lapidibus obruebatur. Qui pulsasset, aut occidisset, supplicio teterrimo enecabatur. Solon quidem nullam in parricidas statuit pęnā, quod neminem tam nefarium & sceleratum ęstimaret, qui tantum facinoris admitteret. Romani autem hoc flagitium, tali pęna expiabant. Culeo insutus parricida, addito gallo gallinaceo, cum simia & vipera, in mare vel flumen detrudebatur: vt ita infensorum animalium, & fœda laceratione corporis, ob tanti sceleris immanitatem, diro cruciatus vulnere interimeretur. Macedones, parricidas ęque vt maiestatis Diuinæ reos saxis obruebant. nec modo facinoris reos, sed alios quoque, qui illos quouis gradu contigissent. Aegyptij adeo parricidas insectati sunt, vt eos per singula membra acutis calamis impeterent, & mox minutissimis ictib. consauciatos, super spinarum aceruos comburerent.

I. in honorand.
Arist. lib. 8. Topic.
Alex. ab Alexan. lib. 3. c. 5.
Diodorus Sicul. de reb. antiq. lib. 2. c. 2.

Neque mitior in illos Deus, executor seuerus huius legis: *Si vis longæuus esse super terram.* Si quos enim piaculares liberos, vnquam erga parentes infrunitos inuenisset, semper fere illis vitę spatia decurtans, grauissimis supplicijs addicebat. Commune est illud supplicium, quod quidam accusatus, quod patrem pulsasset, respondit; *& ille patrem suum verberauit.* quod scilicet iniurij parentibus, par a suis referunt natis. Nota est illa historia vulgata, de filio, Patrem trans limen hipocausti trahente, vt fors vel occideret, vel pelleret. Ad quem Pater. *Non vltra fili. Nam & ego non vltra hoc limen, patrem meum protraxi, sed hic caput præsecui.* Dabo ego alios in exemplum, qui inhonori parentib. varijs supplicijs a Deo sūt castigati.

qui in honorarunt puniti.
Anonymus.

Absolon quod impius erga parentem esset, a Domino punitus, & in trunco arboris suspensus crinibus, vitam amisit. Carolus iunior Ludouici Germanorum regis filius, a dæmonio grauiter in præsentia patris & optimatum eius vexatus est; & in ipsa vexatione confessus est, hoc sibi ideo contigisse, quod contra patrem suum conspirationem facere moliebatur. Nero Romanorum imperator, cum Agrippinam matrē clam, atque fraude ab Anicete occidi fecisset, nocturno tempore mali conscientia tactus, tanto metu conturbabatur, vt de lecto repente prosiliret. Interdiu perferre faciebant eum, tubicines auditi bellicum canere, cum maximo tumultu, quo in loco Agrippinæ ossa sepulta erant. Quāobrem alio migrabat; cumque ibi idipsum ei accideret, perterritus vmbris

Absalon.
Sigebert. Carolus
Xiphilinus. Dionis abbreuiator in Nerone. Nero.

bris noctu apparentibus, alio profi ciscebatur, nullibi se ab insidijs aliorum tutum putans, donec tandem mortem sibi conscisceret. *Antipater.* Antipater Cassandri Macedonum regis Filius, matri Thessalonicę succẽsens, quod in regni diuisione mortuo Cassandro, ad minorem natu filium *Iustin. li. 16.* Alexandrum, visa esset inclinare. Quanquam ergo effusis lachrymis ipsa eum oraret, & aperto pectore vbera ostenderet, quibus eum aluerat, in memoriam ei reuocans, a se genitum esse ipsum, atq; enutritum, ita vt ad commiserationem omnes moueret (heu nimium seua impietas) ipse tygride truculentior, nullis emissis lachrymis, nullo ne suspirio quidem edito, surda aure maternas praeces praeteriens, eam interfici iussit. ipse quoque non multo post, in pœnam sceleris interfectus, occubuit. Multus essem si alios recenserẽ jniurios parentibus, quos tamen Deus, seuere inopinatoq; vltus est.

Laudatus Decius. Laudatus Decius, qui cum eum parens voluisset imperiali diademate insignire, recusauit dicens: vereor ne si fiam Imperator, dedisc am esse filius. *Malo non esse Imperator, sed humilis & reuerens filius, quam jmperator, & filius impius atque indeuotus. Imperet pater meus;* meum jmperium sit, parere humiliter jmperanti. *Dux Venetiarũ.* Laudatus & ille Dux, ex vrbe Virgine, qui a senatu Veneto in dignitate Ducali Patri prępositus, ne Pater senex reuereri & honorare illum videretur, Cruce aurea Coronæ Ducalis fastigium exornauit. vt dum Pater inclinaret, vel etiam caput aperiret, non tam Filio, quam Iesu Redemptori, inclinis esse videretur. *Iulianus* Laudatus & Iulianus cognomento Hospitator, qui cum errore, magis quam furore, parentes interemisset, errore cognito pęnituit. Res accidit ad eum modum. Cum summo mane domum reuersus, in suo vxorisque cubili dormientes illos offendisset, putauit vxorem esse cum adultero; & educto repente gladio, ambos transfigit. Vxor autem, antequã ille aduenisset, ad Ecclesiam perrexerat. Re tandem cognita, vbertim fleuit. vtque commisi veniam promereri posset, relicta domo, prope fluminis ripam, vbi multi vado transeuntes deperibant, Xenodochium posuit, & viatores tecto accipere, & nauicula trãsuectare gratuito cæpit. Postremo Diuinitus sibi dictũ audiuit, quod merito hospitalitatis, culpã grauissimam eluisset. Parentum interfector, per pęnitentiam factus est cæli habitator. Albanum quoq; lego, furore percitum patri necem intulisse: sed peregrinationis perpetuæ labore, parricidij crimen diluisse; & cum martyrio consumptus esset, corporis eius tactu leprosos mundatos fuisse.

Anonymus. Præterire non possum, illud quod Diui Antonij Olyssiponensis tempore contigit. Vir quidam ei confitebatur, quod ira concitatus patrem calce ferijsset. Antonius obstupescẽs, & hominis scelus pro grauitate eleuans, *calcẽ illã abscidi dignã*, dixit. Ille id pro peccato apponi ratus, domum abiens, pedem sibi amputauit. Postea reuersus, *cur claudicaret?* cum ab eo rogaretur: *Impleui*, inquit, *quod dignum iudicasti.* Obstupuit hominis patientiam Antonius ac simplicitatem, qui seruandum sibi duxisset, quod increpationis causa dictum fuerat. Et pro illo Deum deprecatus, membrum quod mutilatum erat restituit, atque vtroq; pede ambulans abijt, qui vno venerat. Profecto qui sic doluit se patri irrogasse iniuriam, dignus fuit & pro quo oraret Antonius, & cuius misereretur Deus. Nec tamen laudamus pænitentis factum; sed ex facto pæniten-

nitentiam pensamus: cui quod simpliciter credidit feliciter cessit. O si ego ista discutio in nostrates, qui qđ audimus ——sed Deus vindex esto, in eum quisquis in Parentes talis.

Prov. 30. *Oculum eius qui subsanant patrem, & qui despicit partum matris suæ, suffodiant eum corui de torrentibus, & aquilæ pulli deuorent.* ita vouebat Spiritus sanctus per Salomonem.

2. in obedien. Eph. 6. Eccl. 3. Alterum, quod filij Parentibus debent, obedientia videlicet. Ita Paulus monebat: *Filij obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est.* Sapiens reddebat causam dum juberet, *Sententiam,* inquit, *patris audite filij dilecti, & exequimini eam. vt seruemini, Dominus enim Patrem liberis honorabilem reddit, & sententiæ matris attribuit auctoritatem in filios.*

Cum enim filij debeant obsequium & officium Parentibus, pro beneficio accepto, justum est vt sint obedientes. Primus gradus pietatis est, *D. Hieronymo interprete*, vt quos authores sibi voluit esse Deus, honores obsequi s, abstineas contumelijs, nec vultus lędas pietaũ. Isaacus in montem ab Abrahamo patre perductus; cum pro hostia mactandus ante aram staret, non contumax senem fortis & validus asper nauit, sed in agnæ speciem se patri immolandum præbuit. Vt dubitari possit, paternane pietas magis Deo placuerit, an filij obsequium. Tobias iunior auditis exhortationibus patris, in omnibus obedientem se exhibuit, cum diceret: *Pater, omnia quæcunque præcepisti mihi, faciam.* Christus Saluator noster, ab omni inobedientia, se alienum esse declarãs: *E cælo* inquit, *descendi, non vt meam ipse voluntatem faciam, sed eius qui misit me patris.* Idem vt nobis obedientiæ preberet documentum, parentum obsequio subdi voluit. *Et erat,* inquit Euangelista, *subiectus illis.* & hoc quidem cum iam sapientia, & ætate, & gratia proficeret apud Deum & homines. Et ne puerorum more blanditijs, aut metu subiectum fuisse putes; non fuit infirmitatis, sed pietatis, & liberi gratuitique obsequij, ista subiectio.

Ferdinandum Neapolitanorum regem dicere solitum ferunt, nullam se patre viuo, neque maiorem illis neque parem cæpisse voluptatem, quas ipse caperet, cum patris consilium, cogitatione præuisum opera anticipasset. Contra nihil sibi neque grauius, neque existimatione sua indignius solitum accidere, quã cum maiorum rerum occupatione impeditus, patri adesse non posset. Pontan. de obed. lib. 2. c. 3. nam ab his prudentia. A senibus discendam esse prudentiam, vel ipsa experientia Magistra docet. Quamobrem justum est obedire Parentibus, & vsu rerum edoctis, & affectu naturę in filios prõptis, si quid in rem filiorum aut consuluerint, aut certe præceperint. Ne sero sapiant Phryges.

Scitus est apologus de Leone; quẽ non pigebit audire.

Senex Leo, cum alia docere solebat filium suum, tum illi præcipere, ne vmquam cum homine cõgrederetur, ac depugnaret. *Animal.n. illud est* inquit, *mirificum & inuictũ.* Leunculus illa quidem audiebat, sed non tangebant animum imperata. Cum adoleuisset, & sentiret vires suas consummatas esse, progreditur quodam die, eo animo, vt cum homine prælium committere vellet. Apolog. leonis filium instruẽtis.

Videt in agro coniugatos boues. Accedit igitur & rogat, *Nũ homines sint?* Illi quidem se esse homines negant, sed ab homine impositum iugum portare dicunt. Digressus ab his, equum conspicatur, cum strato & frenis alligatum ad arborem. Ibi

ille

Ale huic. *Tune homo*, inquit, *es?* Minime ego quidem, inquit equus, sed homini seruio & obtempero. Paulo post cernit quendam in sylua, qui finderet ligna. Ad quem accurens: *Homo*, inquit, *videris esse?* Ita est, inquit ille. Pugnabis igitur mecũ, inquit. Maxime, inquit ille, sed quęso te distrahe prius hanc arborem, cui vides ferrum istud impactum. Incutit mox Leo vngulas fissuræ arboris, & dimouit quidem eatenus, vt cuneus excideret: sed vis tanta nõ erat, vt arborem distraheret. Itaque partibus, vt fit, vtrinque redeuntibus, comprehæhensis pedibus illic hærebat captus Leo. At lignator clamores tollere, & de agro vndique vicinos aduocare contra Leonẽ. Hic vero cum se in discrimine esse animaduerteret, omnibus viribus adhibitis, pedes de ligno retraxit, atque ita quidem, vt vngulas plerasque intra arborem relinqueret: ac reuersus ad suum Patrem, cum eruentis pedibus, *Mi Pater*, inquit. *Si paruissem monitis tuis, vngulas non amisissem*. In contemptores monitorum paternorum, fabula est, qui suam opinionem prudentię maiorum anteponentes, feras temeritatis excipiunt pœnas. An etiam inter nos tales sapientes? Subticeo, ne videar exprobare.

3. *In unanime in rebus necessarijs. Eccl. 3.* Tertium est quod liberi debent Parentibus: Amorem; sed qui succurrit in necessitate, in senecta. Sapiens monebat. *Fili, suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius. Et si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eũ in tua virtute. Eleemosyna enim patris, non erit in oblinione. Nam pro peccato matris tuæ restituetur tibi bonum, & in iustitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis memorabitur tui, & sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua. Honora patrem tuum &* *& 7.* *gemitus matris tuæ ne obliuiscaris, & retribue illis, quomodo & illi tibi. Memento, quoniam nisi per illos, natus non fuisses.*

Qui enim affligit patrem, & expellit matrem, ignominiosus erit & infelix. Qui maledicit patri & matri, extinguetur lumen eius in medijs tenebris. Qui subtrahit aliquid a patre suo, & a matre, & dicit hoc non est peccatum, particeps homicidæ est. *& Prou. 19. & 28.* Solon Salaminius, præclare statuebat, vt *si quis parentes suos iam senes & exangues non enutriuisset, ignobilis & obscurus haberetur, insuper & morte afficeretur.*

laudati Cleobis, & Bion. Cleobin & Bion apud gentiles laudati, qui cum parentes summa semper obseruantia & pietate coluissent, matrem grauiter decumbentem, iugati velut boues ad Iunoniũ duxerunt, more gentili, sacrum, vt pristinæ sanitati mater restitueretur. *Valer. Max. lib. 5. c. 4.* Ob hunc in parentẽ amorem, digni visi sunt veteribus, vt in præclaris operibus fingerentur, sculperentur, pingerentur, in curru iugati, pro symbolo Pietatis. *Pier. lib. 3.*

Valer. Max. in. didem. Amphinomus & Anapius Laudati & illi duo Siculi fratres Amphinomus & Anapius, cum haberent parentes vltima senectute confectos, eos ceruicibus impositos, ex Catana vrbe Siciliæ, per medios sæuientis Aetnæ ignes, tulerunt adolescentuli, non vtilitatis spe aliqua, verum cum maximo vitæ discrimine, & summi in parentes ipsos amoris pietatisque testimonio.

Sed nescio an Sol maiorem vnquam pietatem illustrauit, quam duarum filiarum, quarum altera patrem, altera matrem in ergastulo clausam vberibus recreauit. Digna vterque visa, Pietatis ara & memoria sempiterna. Narrabo ex eodem Valerio.

Anonimę duæ. in. didem. Filia quædam Patrem suum Cymona custodiæ traditum, iam vltimæ

T

mæ senectutis velut infantem pectore suo admotum aluit. Hærent ac stupent hominum oculi, cum huius facti pictam imaginem vident: casusque antiqui conditionem præsentis spectaculi admiratione renouant, in illis mutis membrorum lineamentis viua ac spirantia corpora intueri credentes.

Ibidem Romæ C. Quintio & Acilio Coss. sanguinis ingenui mulierem prætor, apud Tribunal suum capitali crimine damnatã, triumuiro in carcere necandam tradiderat. Quam receptam is qui custodiæ præerat, misericordia motus non protinus strangulauit: aditum quoque ad eam filiæ, sed diligenter excussæ, ne quid cibi inferret, dedit, existimans futurum vt inedia consumeretur. Cum autem iam dies intercederent, secum ipse quærens, quidnam esset, quod tamdiu sustentaretur, curiosius obseruata filia quæ paulo ante pepererat animaduertit illam exerto vbere, famem matris, lactis sui subsidio lenientem. Quę tam admirabilis spectaculi nouitas, a Triumuiro ad Prætorem, a Prætore ad Consulũ iudicium perlata, remissionem pœnæ mulieri impetrauit. Alimenta ambabus constituta: & ne tantæ rei memoria intercideret, vbi carcer fuit, Pietatis ara extructa est.

An vos pudet Christiani, tantæ pietatis, præ vestra impietate? Quanti inter vos Parentes, bonis omnibus exuti? Quanti in xenodochia detrusi? Qui interim vobis per imprudentiam vel affectum, administrationem rerum permiserunt, quomodo a vobis culti? aliti? dilecti? O probra gentis, ô vomicæ generis humani, o genimina viperarum. Parentes vel mendicare coguntur, oberrantes per alienas domos; vel si mendicare erubescunt, apud vos antequam comedant, suspirant, super offa panis toties exprobrata toties conuiciis & contumeliis plusquam cinere conspersa, toties sanguineis lacrymis irrigata. Et hæccine pietas naturalis? hæc ne dilectio Christiana? Pro lacte biennali, amaros ploratus? pro illo suaui lallare, quo vos demulcebant, contumelias intolerandas? pro educatione illa, in qua insomniis, sordicie, laboribus, angorib. vitæ suæ prodigi, fere emoriebantur, tam atroces iniurias? Itane & vobis pars cum Pharisæis, qui dicebant; *Munus quodcunque est ex me, tibi proderit*, si vel micam panis porrigitis, tantam crudelitatem in parentes? *Oculum eius, qui subsannat patrem, & qui despicit parturitionem matris suæ, suffodiant eum corui de torrentibus, & aquilæ pulli deuorent* hunc quisquis talis. Tu qui pius esse, & audire desideras, *Ciconiam ne occidito*. sed *honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram*; & tandem beatus in terra illa viuentium in secula Amen.

FERIA V. POST TERtiam Dominicam Quadragesimæ.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Luc. 4. c.

CONCIO.

In libidinem.


XOR Lothi a Monte Saluationis retro conuersa, in statuam vredinis salsugineæ demutata est. Socrus etiam Simonis in hodierno Euangelio, nondum ad Iesum Saluatorẽ conuersa, quasi salsuginea vredine febrilis ardoris contactata est. Quid sibi velit ista acrimonia ardoris, in

vrta-

mulieres cur falsae. vtraque muliere: vt altera a sale, altera a febre vrente in fama sit? Existimo, vtramq; insinuare febrilem intemperantiam libidinis, non illis tantum, sed ab illis & propter illas omnibus communem; ad quam sanandam magno Saluatore opus. In hanc febrem libidinis carnis, nonnulla produco.

Febris, quos inflammat, fere omnes ad insaniam agit. Solent namque vetita, salutiq; contraria appetere; solent sui obliuisci; solent insuper ex leui ductu linearum, quas paries repræsentat, varia non modo effingere, sed & sibi affingere: propterea quod febris sæpe est ad phrenesim via. ideo nullum ex vobis sanæ mentis existimo, qui sibi febrilem intemperantiam optet, vel sponte accersat. Talis fere flamma libidinis, quæ compotes mentis, magis quam febris impotes facit. Placet istud ex eius imagine ostendere, quę satis scitè depicta a quodam.

Imago Veneris insana.

Quis puer hic? Veneris. Plenæ, quæ causa pharetræ?
Non bene prouisus, certa quod arma mouet.
Cur sine veste Deus? Simplex puer odit opertum.
Vnde puer? Pueros quod facit ille Senes.
Quis pennas humeris dedit? Inconstantia. quare
Nulla Deo frons est? Signa inimica facit.
Quæ sors eripuit lucem? Immoderata libido.
Cur macies? Vigiles, cura dolorq; facit.
Quis cæcum prait? Ebrietas, Sopor, Otia, Luxus.
Qui Comites? Rixa, Bella, Odium, Opprobrium.
Qui Cælo dignati? Homines. Quæ causa coëgit.
Mitior authore, est credita culpa Deo.

Commentario opus ad hanc insaniam, ex libidine insanientis explicandam. Reuelo tamen hanc Flammantem, ab insania Flammeam cortinam. atque ex partibus imaginis coloribus adumbratæ, insaniam febrientium à libidine, exumbro. *Insania plena, nam ostē dit omnes talem.*

Non bene prouisus puer ille arma mouet; & ideo fortuito torquet? Significat insanos Amantes, quibus illud frequens: *Qui amat ranam, ranam putat esse Dianam.* O quanti illi, qui cum putarant castam Lucretiam vel Penelopen inuenire, pro illis Laidem vel Thaidem nobilia scorta reperere? O quanti illi; quibus pro Helena formosa, reposita Aco, & pro Rachele, substituta Lya? O quanti illi quibus pro diuite reposita egens? pro florida, introducta scabiosa? pro mansueta Sara, vicaria Agar? 1. *Cæcus in electione.*

Sine veste simplex odit cupido opertum. Apertè insaniam suam prodit, velut esset phrænesi correptus. Cætera animantia, excepto impudico cane, intemperantiam suam occulunt. qui febri libidinis æstuant, odio habent opertum. ita placet insanis, vulgare suas insanias. Darem exempla? Theatrum hoc non capit. 2. *Verecundus in actione.*

Pueros ille puer facit senes: facit hæc febris libidinis, propter insaniā pueros senes. Quid illi impudentes iudices, semen Chanaan & non Israel, tentātes pudicitiam Susannæ? Quid illi qui vnum pedem in capulo infixi, iuuenculas ducunt? Quid silicernia inter vos aliqua, qui nepotantur? Placet huic puero, in pueros deformare senes, illos qui Sapientia, Prudentia, morum & grauitate, & sanctitate ante ambulones deberent vocari atq; esse. 3. *Impudentes.*

Puero Veneris, *alas inconstantiæ iunxit*: Nepotibus Veneris, inconstantiam insania fin it. Ferunt Medusam sua forma & aspectu vires 14. *Inconstā tes.*

qui aspiciebant partim in saxa, partim in bruta commutasse. De Italicis quoque mulieribus olim dicebatur, quod aliquæ earum suis incantationibus, aliam speciem viris induebant, & oblatis cibis quibusdam in alias formas demutabant.

Ex istarũ forte artificio, Medæa & Circe. Qui autem Venerem pingebant, eius pedibus polypum supponebant. Omnia hæc præostendunt insaniam, & ex hac inconstantiam Amatorum. quod illi subinde affectus, vix non formas mutent, pro arbitrio obiectarum; Flentes, ridentes; porrecta, contracta fronte, læti, benigni, ignoscentes, irritantes, superbientes, inclines. & quis explicaret vultus quos Prothei isti sumunt & ponunt?

5. Effrons. *Nulla frons Cupidini*: nulla etiam a Cupidine ictis. *Exultant cum male fecerint*, cumque *in profundum venerint, contemnunt*. Qui Cupidinem, Aræ impudentiæ imponeret, non omnino aberraret. In scriptura sacra, vulgata est illa bilis, ex qua Deus in quosdam; *Frons meretricis facta est tibi*. Ita plerumque plurænetici insaniunt, vt insaniunt isti.

6. exoculatus. Quæ *Sors eripuit lucem* Cupidini? Non est necesse quærere de istis, Facile est iudicare. Immoderata libido, ex qua ruunt in præceps, omnes quicunque ab hoc igne febrientes. Poscet alia lucem? dabit. alia nummos? dabit. alia vitam? neque istam denegabit.

An vero hominis sani indicia sũt, perpetes vigilię quas amantes vigilant pp scorta? an curæ conficientes animum? an dolores zelotipiæ lancinantes corda? an ebrietas vsque ad insaniam? an luxus ille vestium, seruorum, equorum? em sanæ mentis indicia, cum propter scorta? an rixæ, bella, odia, opprobria, infamia, cædes, incendia, quæ propter scorta, sanam indicant mentem? Sanæ mentis potius iudicauero insanum, qui imprudens, neque sciens, neq; volens, aliquid eorum committeret, quam istũ qui ictus Cupidinis telo, à mente abest. Bene Plautus. *Bis perit amator ab re, atque animo simul*. 7. Tormẽtis expositus. Plautus in Truc.

Tortori satius est sese dedere, quã Amori impuro. ille etenim corpus diuexat, hic animum. atque adeo vehementer, vt ad insaniam reducat. Bene Apollonius regi Babilonio insinuauit. Cum enim Eunuchus quidam deprehensus esset cum pellice regis Babylonię, & pręsentem Apollonium rex interrogauerat, *quid de Eunucho faciendum iudicaret?* At ille: *Quid, nisi vt viuat?* Admiranti autem regi subiecit, *Omne supplicium, si viuet, ob amorem patietur*. Itane & mentis? Plane & istud cum ad insaniam redigetur. Itaque Prodicus dicebat, *cupiditatem geminatam, amorem esse; amorem vero geminatum, insaniam fieri*. Si aliud non esset signum insaniæ, quam quod omnes tales, statuę Lothi vxoris assimiles, sunt; *Corpus sine pectore*, in alieno pectore animam reponentes, & perpetuo incendio velut Aethna exęstuantes ad alienum pectus. Recte Cato maior asseuerabat, *Amantis animam, in alieno corpore viuere*. quod hodie quoque celebratur. *Animam illic potius esse vbi amat, quam vbi animat*. Ea propter idem Cato affirmabat, insanos prudentibus prudentiores esse atque vtiliores, quam insanis sapientes. quippe quia sapientes, cum stultoru n errata inspicerent, ob id in melius vitam mutare solerent. at amantes, quum discendi capaces non sint, ex sapientum benefactis fructum percipere nullum possunt, omnium amentium amentissimi facti. Quispiam inter remedia amoris ponebat, laqueum. qui deploratis innectitur. Crates ille fuit,

Stob. ser. 62. 8. amentes. Laert. li. 6.

le fuit, qui amore laborãtibus ostendit remedia: *Amori* inquit, *medetur fames. Sin aliter, tempus. quod si nec his vti possis, laqueus. Nam luxus fere alit amorem. tempus omnia aut tollit aut certe mitigat. hæc remedia si nihil prosunt, superest laqueus, vt morbus finiatur suspendio.* Ita quidem Philosophus, deplorato insaniæ morbo, tale ex suo alexipharmacopolio antidotum. ego non adprobo, sed tantum, ex ipsis Etnicis ostendo, quam grauiter ex cerebro laborent isti, quos semel Cupidinis æstus inflamauit, adusque insaniam.

Sed adhuc in specie magis ostendo istorum insaniam, & pronuntio. *Libido a Deo auertit*. Testes sunto vel ipsi Hebrei qui post comedere, bibere & ludere, surrexerãt ad vituli cultum. Audistis etiam consiliũ Balaam, quomodo suaserat Balaaco, vt Israelitis pergentibus obijceret, ex Madianitide speciosas forma puellas. Deijce, *inquiebat Paraphastes Origenes*, pudicitiam. vincentur non militum robore, sed mulierum decore, nec armatorum vigore, sed mollitie fœminarum. Procul amoue armatorum manum, & electam cõgrega speciem puellarum, ludentes pedibus eant manibusque plaudentes. forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captiuat. vincentur specie, qui non vincuntur prælio. Factũ. Parauit itaque exercitum non armis virilibus, sed fœmineo nitore compositum; non furore bellico sed libidinis flamma succensum. Nullam refrenabat pudor, nullam prohibebat verecundia. Amor patriæ, & vitium gentis cõspirauerant pariter in lasciuiam, & ad decipiendum proba extitit improbitas. in super, quæ vix prohibetur legum minis accensa libido, vixque gladij terrore reprimitur feruens furor luxuriæ, vbi facinore suo placitura se omnis mulier regi reddidit, & salutem patriæ quæsitura suo pro pudio, tanto audacius ad sternendos inuictos processit. Nec solum ad thorum, sed & ad idolum. Ita enim edixerat Balac. Cum videritis Israelitas dare manus libidini, & ceruices inclinare peccato, non prius cupientibus vos ipsas præbueritis, quam de sacrificijs idolorum voluerint degustare, vt cogente libidine consilijs vestris obsequentes, prius consecrentur Belphegor quam Molocho.

Libido. 1. a Deo auertit.

Factum. Captiuantur ergo Israelitæ, non ferro sed luxu, nec virtute sed libidine, & fornicantur in mulieres Madianitidas, & declinant ad idola, & ira Dei ascendit super eos.

Ita luxuria Mater, genuerat idololatriam, quæ a Deo auertit. Cuius tanta violentia est, vt etiam olim filios Dei dementarit propter mulieres. ex quibus postmodum prognati gigantes potentes a seculo, qui illud famosum bellũ indixerant Deo.

Bene sapiens vulgauit. *Vinum & mulieres apostatare faciũt sapientes.* Superflue commemorarem Lutherum, Oecolampadium, Bucerum, & alios ex nupero prostibulo, qui a fide apostatæ propter hanc febrem. Sed camerinam, suis odoratoribus relinquo. Ad aliud.

Libido, corpus eneruat. Non a Propheta tantopere, qui enunciauit *Fornicatio & ebrietas auferunt cor*, quod est vitæ principium; quantum ab ipsa experientia habemus, Pharmacopolas & Medicos, vt plurimũ ad Veneris pullorum ægritudines desperare. *2. corpus eneruat Osea 4.*

Libido, famam contaminat. Recte, Massinillæ, a Scipione Africano, hac peste laboranti dictum. *Vince*, inquit, *animum. Caue deformes multa bona vno vitio, & tot meritorum gratiam maiore culpa, quam causa* *3. famã contaminat.*

culpæ

culpa est corrumpas. Facile feceris, si voluptatis obscœnitatem, breuitatem, finem cogites, at longum dedecus, horæq; fugacis, forsitan aut momenti vnius illecebras, multorū annorum pœnitentia, vel æterno forsasse supplicio puniendas.

4. *Substantiam eripit.* Libido, substantiam eripit. In hoc voluptates, *inquit Seneca* complectuntur vt strangulent, neque aliter faciunt quam latrunculi viatoribus insidiantes, eosque seducentes, ac perimentes. Ausa est quędam mille denarijs seu talentis, vt alij scripserunt, vnius horulæ titillum pacisci. Quid illæ quæ instar sanguisugarum clamant, *Affer affer?* Ex nimis vero Sapiens dixit. *Qui nutrit scortum, perdit substantiam.* Quid memorem dolores? Dico.

5. *dolores gignit.* Libido dolores gignit. Diogenes aiebat. Quemadmodum venenum mulso commixtum, propter dulcedinem, bibentibus primum gratum est, paulo post autem inde mortis agonem sentiunt: sic quoque voluptati carnis operam dantes, initio quandam oblectationem sentiunt, quam tamen, perpetuus dolor consequitur.

Nostis scorpiones? Magnum *inquit Tertullianus* de modico malum scorpium terra suppurat, tot venena quot ingenia, tot pernicies quot & species, tot dolores quot & colores. Iste igitur scorpius, ex serie illa nodorum venenata intrinsecus venula subtili, arcuato impetu insurgens, hamatile spiculnm in summo tormenti ratione restringens, non prius figit, quam prius carnem prurigine titillauerit. Inde vulnus & virus quà fixit, effundit. Talis libido; primum circunflexo verborum mellinio, aut oculorum radio, aut munusculorum obliquio, aut speciei venustate, aut arcuato cilio mentem protitat, mox vero proritatę vulnus & virus infigit & infundit ad dolorem. dicam quod sentio? dicam, perpetuum.

Aegyptij, Amoris symbolum Malum pingebant. quique amorum agmina adumbrare volunt, lusitare eos malis, & inter eiusmodi arbores lasciuire, poma decerpere, abrodere, iactareq; cont ngunt. Vnde & apud Orphicos, *Malus arbor,* amori potissimum consecrata. Rectius nominassent malum quod est malum malum, non pomum, neque arbor, sed malum omnium malorum pessimum, Libidinis notam. Nam nihil est peius, quam quod excogitauit caro & sanguis. Nihil est peius quàm quod perpetrat caro & sanguis nihil denique est peius, quā quod patitur caro & sāguis. scilicet carnalis libido. Hæc mundo diluuium induxit. Hæc Penthapolitanos sulphureo igne aspersit. Hæc Lothum nescio an maculauit. hæc Israelitam pugione Phinees confodit. Hæc Samsonem exoculauit. Hæc Beniamini tribum deleuit. Hæc Dauidem infamauit. Hæc Salomonem dementauit. Hęc Achabum temerauit. Et quem non? 6. *Mala omnia origo mat. Pierius lib. 54.* *ex emblemate Alciati. 112.*

Alueolis dum mella legit, percussit Amorem.
Furacem mala apes, & summis spicula liquit.
In digitis: tumido gemit at puer anxius vngue.
Et quatit errabundus humum, Venerique dolorem.
Indicat, & grauiter quæritur, quod apicula paruum.
Ipsa inferre animal tam noxia vulnera possit.
Cui ridens Venus: Hanc imitaris tu quoque, dixit.
Nate, feram qui das tot noxia vulnera paruus.

7. *perpetuos cruciatus creat.* Atque vero vtinam, non perpetuos infligeret dolores. Namque infigit.

git. Nimis clarum est illud Diuinum.

Eccl. 19. *Qui se iungit fornicarijs mulierib. erit nequam Putredo & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exẽplum maius, & tolletur de numero anima eius.* Magis clarum aliud illud:

Hiere. 3. *Saturaui eos & mœchati sunt. Equi amatores in fœminas, & emissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus?* Magis adhuc clarum illud Paulinum ex tertio cælo. *Fornicarij, regnum Dei non possidebunt.*

8\. *Infernũ apertũ. 1. Cor. 6.* Adhuc longe magis clarũ illud ex visione Ioannis. *Timidis aũt. & incredulis, & execrauit & homicidis, et fornicatorib. & veneficis, & idololatris, & mendacib. pars illorũ erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.*

Apoc. 21. Ite vos ò nepotes Venerei & dicite, *Venite & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquã in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguentis* vos implete, nullus *flos temporis* vos prætereat.

Sap. 2. Coronate vos *rosis antequam marcescant. Nullum pratum sit quod pertranseat luxuria* vestra. *Nullus exors sit luxuriæ* vestræ. Vbique relinqui te *signa lætitiæ.* Miseri. Ignari quod *extrema gaudij occupat luctus*, & fines amorum, excipiunt dolores. Dicam qui? Sed iam prænunciaui, perpetui. Fornicarij enim regnũ Dei non possidebunt. Et Fornicatoribus pars in stagno ardenti, igne & sulphure.

Pænitere extremũ inducit. Demosthenes, fertur aliquando Corinthum nauigasse, illectum fama Laidis, vt & ipse stamoso amore potiretur. At cũ illa postularet Drachmarum decem millia, deterritus magnitudine pretij, mutauit sententiam dicens. *Non emo tanti pænitere.* Nihil iste de animæ immortalitate, ac post decessum, de regni cælestis felicitate diuinabat. Vilem tñ pecuniam æstimans dicebat, *non emo tanti pænitere.* & vos pro Deo, pro sanitate, fama, substantia, anima, doloribus perpetuis, regnoque cælesti, emetis sempiternum pænitere? Quin dictum illud Paulinum vobiscum ante oĩa expenditis, qđ prouulgauit.

expl loc. 1. Cor. 6. Templũ Dei pollui. *Templum Dei estis vos. Tollam membra Christi, & faciã mẽbra meretricis?* Diserte Origenes. In templum, *inquit*, Dei progressus es, sine dubio in quo habitare debet Deus; & qui caro & sanguis eras, profecisti vt sis membrum Christi. sed sicut est magnus iste profectus, ita & discessus terribilis, atque pene irremediabilis lapsus. Iam tibi enim non licet

membra Christi inceslat. templo Dei vti, nisi in sanctitate; nec membra Christi, ad indignum reuocare negotium. Et ideo si quando malæ concupiscentiæ te pulsat illecebra, hosti illi occurre, qui de te ipso, de corde tuo procedit, & resiste ei in talibus verbis, & dic: *quia non sum meus.* Emptus enim sum pretio sanguinis Christi, & membrum ipsius effectus sum.

Non licet mihi tollere membrum Christi, & facere membrum meretricis. Dic ei, *quia templum Dei sum.* non mihi licet aliquid immundum inducere, nec fas est mihi violare illud. Sed & illud adde, quoniã *qui fornicatur, in corpus suum peccat.* Non istud corpus solum, quod templum Dei effectum est, sed & illud quod dicitur, quia omnis Ecclesia corpus Christi est. & in Ecclesiã videtur delinquere, qui corpus suũ maculauerit; quia per vnum membrum, macula in omne corpus diffunditur. Addo ego. Dic illi. Iam meliore aura Diuinitatis, afflatus sum. Non mihi licet contumeliam facere Spiritui Sancto. Neque mihi expedit, retroneã flammam, Penthapolitanæ alicuius Ciuitatis raptare.

V tedine

[P]Vredine ista sulphur inficit; istæ febres vix curabiles; mentem, sanitatem, substantiam, famam, conscientiam, voluptatem sinceram, animã, Deum, regnum cæleste homini eripiunt; insaniam, infamiam, penuriam, iniurias, dolores eosque sempiternos inurunt non saxo, non me huic grabbatho inuoluo. Si non in statuam salis vos conuersi, sique non febrili intemperantia libidinis adusti, salus vos amabit, & non vno diademate post carnis victorias coronabit.

Amuleta libidinis. Cæterum si amatis salutem, hanc pestem omni ratione a vobis auertere curabitis. Auertetis autem si hęc Antidota, quæ subiungo præsumpseritis.

1. *Oratio.* Imprimis orationis theriacam. *Hoc genus demonij eijcitur in oratione.* S. Basilius præclarum exemplum narrat Theophilæ nobilissimæ virginis, a probro Diuino quodam & admirabili modo, propter orationem liberatæ. cuius, cũ a lictoribus, Diocletiani iussu ad lupanar traheretur, hæc præclara feruntur verba, cum manus & oculos in cælum tollens, & miserabiliter aspiciens, *Mi Iesu*. inquit, *meus amor, mea lux, meus spiritus, meus custos castitatis & vitæ. vide eam, quæ est tibi desponsa. vide, o sponse, in quem nulla cadit reprehensio & festina; quoniam non est tempus quidem precandi, ne pactum conuentum fallam. ne prodas me bestijs, ne lupi tuam pecudem lanient. Serua sponse sponsam, meam conserua castitatem, fons castitatis. vt tuum quoque nomen, nunc quoque maxime glorificetur, quod intelligenter glorificatur ab Angelis.* Hęc illa quidem orauit cum lachrymis, effectum autem Deus reddidit. Introducta virgo in prostibulum, prolato de sinu codice Euangeliorum, lectioni se dedit. qui vero primus ex intemperantioribus ad eam ingredi ausus est, tremore agitatus procũbit mortuus. qui post horas ingreditur secundus, nimio splendore obcæcatus, fores, quibus exiret, quærebat. quod æque pluribus accidit nullis egredientibus. quod mirati alij plures, non iam virginem quærentes ingrediuntur, sed quid factũ esset explorantes, vident admirabilia & terribilia: Virginẽ quidem sedentẽ & libro incumbentem; prope vero iuuenẽ admirabili splẽdore & fulgore collucentem, ac metu, cum pene obriguissent, exclamant: *Quis est sicut Christianorũ Deus?* Nec spectacu'um ferentes, inde se proripiũt, omnes quidem obliti libidinis, nonnulli etiam impietate abiurata. quibus auditis Maximianus & Diocletianus, rem magicis adscribunt artibus. At iuuenis, idest Angelus Domini puellæ adsistens, prostibulo eductam ad vestibulum Ecclesiæ cum pace dimittit. Congregati ad nocturnas, de more preces Christiani, eam cum gaudio excipiunt, & auditis quæ circa illam admirabilia patrarat Dominus, gratias illi ingentes cum lachrymis agunt. Ita oratione prostrauit libidinis ęstrum, Theophila virgo.

Theophilæ virginis exempl.

Orationi adiungenda est cogitatio omniprẽsentię Diuinę. Qui .n. tentantur, si Deum semper, quasi pręsentem, pre oculis habebunt, non difficulter illecebram vitabunt. Nã si a delinquentia, alicuius viri pręsentia, abstrahit: quid non magis oculi Diuini aspectus? Quamobrem monebat Augustinus docens. *Deus timendus est in publico, ipso in secreto. Procedis, videris: intras, videris. Lucerna extincta est, videt te: lucerna ardet, videt te: in cubile intras, videt te: in corde versaris, videt te. Ipsũ ergo time illum, cui cura est, vt videat. & vel timendo, castus esto.* Ado cum Philone, *cuius conspectum & reuerentiam* 2. *cogitatio præsentię Dei.*

de verb. D. in Ioan. serm. 46.

de Gigantib.

reuerentiam si non reueremur, certe inuictam potentiam, & iustitiam ac seueritatem ineuitabilem vitare debemus, & a maleficio continere: reputantes quàm grauiter aliquando animaduertere solet in eos, qui nec præsentiam eius, nec seueritatē reformidant. Neminem credo esse tam effrenis mentis, vt coram jmagine Christi in cruce passi, rem turpem agere ausit: quid in præsentia ipsius Dei in cruce passi, si illum adstitem sibi cogitabit?

3. *Subtra-ctio materiæ.* Subtrahatur tertio libidinis materia. *Vis extinguere*, interrogat Helinandus *libidinem? A noue ligna de igne, si stridet incendium.* Quæ vero ista fomenta, si cupis scire? Accipe.

Otia, segnities, somnus caro, fœmina, vinum

Prosperitas, ludus, carmina, forma, puer

Præcipue vero fœminarum conspectus fugiendus. Parthi fugientes, auerso corpore hostes feliciter oppugnant: Sic a nobis non alia magis ratione vinci, volaticum hoc gaudium eiusue illecebra potest, quam cita fuga. Remedia pestis aiunt esse. *Cito, longe, tarde.* id est. cito a loco infecto, & quam longissime fuge, atq; tarde reuertere. Hoc ego etiā dederim contra hanc animorum pestem.

exemplo. *Cito, longe, nunquam.* Facile enim vinces & superabis.

Alexandri ex Plutarc. Vicit victor orbis Alexander. is cum inuitaretur, vt Darij filias inuiseret, quæ prædicabantur esse admirabili forma, recusauit ire dicens, *sibi non committendum, vt cum viros vicisset, a mulieribus vinceretur.*

Scipionis. Florus. 2. c. 6. Vicit Scipio Romanus, qui cum Hispanicam Carthaginem armis cepisset, captiuas puellas præcipuę pulcritudinis barbaris restituit, *nec in conspectum quidem suum passus abduci: ne quid de virginitatis integritate delibasse, ... oculis, videretur.*

Vicit Valentinianus Imperator, de quo sic Ammianus: *omni pudicitiæ cultu domi castus, & foris, nullo contagio conscientiæ violatus obscenæ, nihil incestum.* *Valentiniani. li. 30.*

Vicit Balduinus Imperator. quem adeo continentem fuisse ferunt, vt quamdiu à cōiuge aberat (vt scribit Nicetas) ne libidinoso quidem aspectu mulierem intueretur. vacabat enim Diuinis laudibus, necessitatibus afflictos subleuabat, suæ sententiæ aduersantes æquo animo audiebat: & quod maximum est, *bis qualibet septimana proclamari iubebat: ne quis in suo Palatio dormiret, qui alienam mulierem attigisset.* *Balduini. Gregoras*

Vicit Iobus, qui *pepigi*, ait, *fœdus cum oculis meis, ne cogitaret, etiam de virgine.* Vicit, vt alios omittam illa Alexandrina virgo, quę cum per diē a quodam adolescente amaretur, tumulo veteri seper duodecim annos inclusit, vt ne illecebris eius aliquando vinceretur. *Iobi. Alexandrina V.*

Familias, *aiunt* reperiri in Affrica, quæ sola voce aut visu effascinant, si quid impēsius aut laudauerint, aut aspexerint. At non fallor ego, cum dico talium esse plenum orbem, qui oculo & vocis aliquo suauisonio, titillant & stringunt, ò quam innumeros? Quanti enim sunt, qui fatentur vel inuiti. *Intrauit mors per fenestras nostras? & oculus meus deprędatus est animam meam?* Fugiendum itaque, ab aspectu hoc Basiliano. *nam fæminar. Itaq; audiendum*

Cyri Persarum Regis memoratur vox magnifica, & tali Rege digna. *Vt qui ignem inquit tangit, haud fieri potest, quin statim vratur: ita qui scitæ pulchritudinis mulierem inconniuis, & intentis oculis conspicit, vix est vt non statim amore ardeat, & a recta sanaque mente abripiatur. Nec enim nescius sum*, inquit, *quæ pœnitenda hominibus, etiam ijs qui prudentia præcellebant, acciderint. Ipse etiam in* *Cyri dogma. Xenophō lib. 5.*

V meipso

meipso animaduerti, ita continentem me non esse, vt si mulieribus forma conspicua adsim, nihili eas faciam. Idem fere Syracida insinuat, cũ docet. *Propter speciem & colloquium mulieris multi perierunt. ex hoc enim concupiscentia, quasi ignis exardescit.* Itaque salubre eius monitum audiendum. *in medio mulierum noli commorari. vt enim de vestimentis procedit tinea sic a muliere iniquitas viri* quam vos cauete, si incoinquinato corpore sequi optatis Agnum immaculatum, deambulantem in monte felicitatis æternæ Amen.

Eccl. 9. & 42.

FERIA VI. POST TERtiam Dominicam Quadragesimæ.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Canticorum 1. cap.

CONCIO.

De secundo mysterio SS. Rosarij, Flagellatione Christi.

Ritus offeren. hostias veteris legis.



EX ritu Mosayco, quicunque hostiam immolabant, *faciebant fasciculum ex hyssopo & cocco, quem vna cum passere viuente, bacillo cedrino alligantes, tingebant in sanguine passeris immolati, & septies aspergebant.* Ita lego in Tabulis Leuitici, constitutum. Typum explerunt Iudæi, per milites Pilati, quando comprehensum Iesum qui ad curandam, & originariam, & Actionariam Orbis lepram, *factus est tãquã passer solitarius* & vnicus, ligarunt ad columnam, & correptis fascibus Romanis flagellarunt: ita vt præ densa manu fascium quibus percutiebatur, visus fuerit quasi iisdem fascibus illigatus, & vna cum eis, vnus factus fasciculus, & sanguine pretioso perfusus. Hunc Fasciculum amaritudine myrrhæa respersum, optabat sponsa, vt inter eius vbera commoraretur; quibus exanguem vel proprio cruore à corde educto refoueret, vel eius inæstimabilis sanguinis aliquas guttas, in suum pectus deriuaret. De hoc fasciculo myrrhæ Iesu Christo, a flagellatione cruenta in sanguine madidato, hodierna Contemplatio.

explicat. Leuit. 14

ad Christi flagellationem

Nescio quid dulcoris, in amarore myrrhæ degustarit sponsa, dum ait, velle sibi ad pectorare dilectum myrrhæ fasciculum. Non multo ante testabatur se fuisse a sponso intro ductam, in cellam omni suauitate redundantem; in qua inebriata vnguentis fragrantissimis, & vinis delicatissimis, quasi amens, amans vociferabatur, *exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum*; a quibus, melligine delicij cœlestis expleta & indulcata fuerat. Nunc vero quasi hyblam, mella, & fauos fastidiret, myrrhas amaras spirat.

expl. loc. Cant. 1.

in qua sponsa desiderabat illum aspicere.

Quid rei? quid causę? Amoris thyrso icta cupiebat, non tantum sponsum, sugentem vbera materna in stabulo; neq; tm. Botrum Cypri sudantem, vina sanguinea in vincis Engaddi, contemplari; sed etiam fasciculũ myrrhæ dilectum, ex concisio flagellis toto corpore, stactis guttas pretiosissimas fundentem. jam, *inquit*, sufficit in illis cellis vinarijs, secretæ natiuitatis ipsius sanctè luxuriasse. jam satis, tenebrescentem, in gremio virgineo Solem justitiæ, aspexisse. jam mensæ quam in Circumcisione purpurauit, satis assedisse. Audiui dictum mihi *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem* in illo aceto *doloris* tinctum.

Surre-

Surrexi & vidi dilectum meum, velut botrum Cyprium in horto, sanguini suo tanquam in torculari innantem. Sufficit diei malitia sua. jam postquam video fascibus acutis cinctum, adeo vt præ densitate fascium flagellantium, quibus quasi myrrhæ cortex proscissus, ex toto corpore flagris exarato sudat inęstimabilem myrrham, quasi fasciculus myrrhę videtur; ille solus ex nunc inter vbera & amplexus meos commorabitur. Amant puellę amari & procis placere; & ideo inter vbera ferunt gratos odores, qui natiuo foti calore acrius redoleant. ego vero meum sponsum, qui inter fasces Romanos, in fasciculum myrrhęum vinctus abijt, omni odore odoratiorem, in intimo mei cordis penetrali abdam, vt mecum perpetuo demoretur. quia mihi ipse, quauis electæ myrrhę suauior suauitate, quo uis balsamo iucundior & vtilior futurus. Ab hoc enim salutari cardiophylacio, (ò si detur assidue fouere) exhaurietur quicquid in me reliquum, obnoxium corruptioni & mortalitati.

tāquam fasciculū myrrhæ.

Fasciculum dixit Iesum columnæ alligatum in flagellatione, allusione ad pastillos ex floribus fartos odoratorijs. vel etiam ad reticulū odoratum, quod apud Ciceronem, quidā ad nares apponebat plenum rosis. Neq; enim vnam aut alteram rosam ex cruore eius rubricatam contemplabatur, sed tot quot a sudore sanguineo adusque flagellationem purpurauit. nimirum gladios & fustes, laternas & faces, osculum proditoris, manuū iniectionem, funes & vincula, Petri negationem, discipulorum fugam, alapas & colaphos, consputationem, faciei velamen, illusiones, depalmationem, vestem albam, Barrabæ electionem, den udationem, & præcipue columnam & flagra. ex quibus omnibus tanquam pastillum olfactorium sibi colligauerat, inter vbera gestandum ex floribus Diuinis.

circa quē

Iuuabat sane. Nam *quicquid calcauit*, quicquid tetigit, *rosa fuit*. Terrebat genus humanum Angelus, ad custodiam paradisi collocatus, gladium versatilem flammis armatum vibrans? Terrore isto Iesus voluit terreri, qn̄ parricidales mucrones nocturno tp̄e stringebat miles, ad comprehendendum illum emissus. In baculo transiens Iacob fluuium, Christi typum gerebat? Oportebat sane, vt ille torrētem Cedron transmitteret fuste percussus, fustibus circundatus. Promiserat olim per Sophoniam prophetam; *& erit*, inquit, *in tempore illo, scrutabor Jerusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis*? Placuit illi cum laternis, & facibus illuminare cæcam noctem, & ingredi ad Filios tenebrarum in lumine, vt renes & corda scrutaretur; & vitia, corde, ore, manu perpetrata reuelaret. Nō denegauit osculum Yscharioti, q̄ mollitus erat *sermones super oleū, & ipsi erant jacula* dololi; vt ostenderet, quia in passione ipsius, *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, justitia & pax osculatę sunt*. Vinciri voluit funibus & vinculis nouus Samson; vt funes peccatorum nostrorum, & nodum illum Gorgoneum, quo illigati tenebamur dissolueret. Namque Manasses in persona omnium gemebat. *Incuruatus sum multo vinculo ferreo, vt non possim attollere caput meū, & non est respiratio mihi*. Iesus itaq; ferro & neruo vinctus fuit, vt nos a vinculis liberaret. *Simeon* Patriarca in figura, *in medio fratrū suorum ligatus* mansit, *ipsi vero liberi dimissi* redierunt ad patrem. *Centum ligaturis vuæ passæ* in Christo passo, placat Deus tanquam

Fustes & gladij.

Laterna & faces.

osculum Iudæ.

Funes & vincula.

2. Paral. 36.

Gen. 42.

1. Reg. 25.

tanquam olim *Dauid ab Abigail*, vt solo *percusso* a Deo *Nabal stulto* id est veteri homine, *saluaretur* vniuersa Ecclesiæ *familia*.

Petri negatio, & discipulorum fuga. Sustinuit deinde negari a Petro & derelinqui a discipulis, vt nos cõfiteatur coram patre suo, & aggregaret Cælitibus. Mites genas eius violauit ferrea dextra, vt figuram & prophetiam impleret. In figuram enim Michęas, olim a Pseudopropheta Sedecia in maxilla percussus fuit, adumbrans fore tempus quando Deus daret *percutienti se maxillam*, & de se dolens pronunciaret: *Collegit hostis furorem in me, et comminans mihi infrenduit contra me dentib. suis hostis meus, terribilib. oculis me intuitus est. Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam, & non satiati sunt pænis meis.* Terra tunc tremuit & quieuit quasi stupefacta, *cum staret in judicio*, coram Pontifice *Deus*.

3. Reg. 22. alapæ & colaphi Thren. 3. Iob. 18.

Angeli, Principatus, & omnes Cælestes virtutes obriguerunt, exhoruit cælum & cõmota est vniuersa natura, quando Iesum tanquam mancipem aliquem, percussit impius miles. *Dedit* tunc patiens Iesus *genas* purpureas *vellentibus*, nec *faciem suam auertit ab increpantibus & con spuentibus* in se; vt velut vnionibus adornaret, & velut rosis inrosaret mentes nostras.

Deut. 25 conspuatio. Lex erat discalceati, qui nolebat assumere in matrimonium propinquam genere, vt detraheret calceũ; jlla vero quę repudiabatur, spueret in faciem eius. Volebat Iesus sponsare sibi Synagogam in sponsam, qui venerat quærere quæ perierãt domus Israel. Tñ illa, ah impia, ah ingrata, diuortio sese ab ipso disiungebat, & in faciẽ tãquã hominis discalceati & degeneris conspuebat. Proh scelus? Tñ sustinebat ipse conspurcari, & faciem illam in quam desiderant Angeli prospicere deuenustari, vt hoc sputamine, virosum serpentem occideret, sponsamque cæcutientem facto luto ex hoc sputo illuminaret. Hæc rosa erat, quam sponsa Ecclesia, in suum fasciculum adlegebat.

Patienter iterũ imponi sibi patitur meus Moyses nouus, sordidum velamen super faciem Sole splendidiorẽ. Meis.n.oculis contemperabat, linea nubecula acre lumen. Ex hoc velamine texto, colligebat sibi rosam in fasciculum sponsa amata, cum diceret. Pelluces tamen mihi mi Iesu, licet velatus. Video amœnissimam tuam faciem, ab impijs auersam, & ad me conuersam. *Faciei velamẽ. Exod. 34.*

Oro, supplico, clamo, ne auertas in finem. *Tibi enim cõdixit cor meũ, exquisiuit te facies mea; faciem tuam Domine requiram. Respice* itaque *in me & miserere mei, ostende faciem tuam, illustra faciem tuam super seruum tuum*, & saluus ero.

Præceperat olim in typo Ezechieli, vt vasa domus Domini perfosso pariete, de loco in locum transferret, sed, inquit, *in conspectu eorum* etiam tu *in humeris* alienis *portaberis, in caligine essereris: faciem tuam velabis, & non videbis terram, quia portentum dedi te domui Israel.* Satisfactũ typo, in Iesu, qui factus erat in portentum domui ingratę, ex qua velato vultu ad Synagogam & ad Cælum efferebatur, nunquam ab eis videndus. a sponsa tantum, quæ sponsa videndus. *Ezech. 12.*

Illuserat olim Deus Adamo. *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est, sciẽs bonum & malum.* Repẽdunt ludiones Christo par pari, dum totam noctem acerbam, cæli terręque Dominum, sannis & opprobrijs, ah quam indigne? tractarunt. Ita pro nocte illa Aegyptia quando pro- *Illusiones.*

pter eos, *percussit omnia primogenita in terra Ægypti*, grati extiterunt Deo, cuius Vnigenam dilectum ad necem compellebant. Sed ex his ludis, rosas sibi carpebat sponsa, inque fasciculum compingebat, cum videret tenebras palpabiles, a suo cubili cispelli in spelæa Synagogæ, suamque noctem cæcam, tanquam sudo cælo & splendore meridiano commutari.

Vestis alba. Induerat olim Deus Prothoparentes tunicis pelliceis; nescio an non in derisum? Sed potuit irrisisse miseros. Nunc vicissim retaliant ipsi, quando innocuum suo candore Agnum Iesum, lusit veste Alba rex prophanus, tanquā aliquem male in capite sanum. Obmutuerat siquidem tunc Iesus, tanquam *agnus coram tondente se* solet. Ideo velut fatuum, veste alba indutum atque spretum, ad Pilatum amandauit. Carpsit sponsa ex hac niuei staminis textura, pulchrā rosam innocentiæ Christi, quam vestis alba ostendebat; ex qua fasciculum myrrhæ sibi cōcinnauit, dum vidit sese lacinia sui Booz, licet spreta & afflicta, operiendam iri.

Barabbæ electio. Tulit deinde Iesus, Barabbam, sibi innocenti, hoīem Capitalē præeligi, dum raucū vociferantes clamabant Iudæi, *nō hunc, sed Barabbā*, non Dei sed diaboli natum, non lucem sed tenebras, nō vitæ sed mortis auctorē. Ab hac Iudæorum amentia, carpebat spōsa Rosam, in fasciculum olfactorium. Noluisti ò impie, benedictionem: ego sponte venientem suscipiam. Venient infirmi, surdi, muti, cæci, claudi, leprosi, ære alieno grauati, quibus libentia erit Saluatorem, quem tu contempsisti, amplexari. Elegisti homicidam nefariū? *Iudic. 9.* Bene. egredietur ignis de rhamno, & vestras cedros Libanoticas deuorabit: ego meam vitem, meam oliuam meam myrrham mihi allego: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.*

Postquam hoc pratum quod eousq; pererrauit Christus, spōsa quoque inambulans defloraslet, pergit ex tribus pastillis Christi flagellationis, suum fasciculum adaugere, qui sunt, *denudatio. columna. flagra.* Singulos dispicio.

Psaltes & Rex Dauid, dum subsiliret ante arcam; a vento perflante, nonnihil vestimentorum retegens apparuit. Risit eum Michol vxor. *Christi denudatio.* *O quam gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se? & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris?* Semper namq; apud omnes, propudentiæ vel signum, vel nota, denudatio. Rebecca non sustinuit, detecta facie Isaacum videre a longe venientem, ne forte impudica audiret. Parentes etiam in Paradiso postquam nuditatem suam vidissent, noluerunt ante Dei conspectum nudi apparere, sed fecerant sibi perizomata ex folijs ficulneis. Susanna ne in conspectu quidem ancillarum, volebat retegere niuem suam. Olympia Alexandri mater cum occideretur, cauit diligentissime, ne cadens aliqua parte corporis indecore nudaretur. Noë Magnus summam contumeliam, a Chamo sibi irrogatam existimauit, quod impudens ausus fuerit, turpitudinem ex nuditate sua propalare. Summum itaq; genus cōntumeliæ est, denudari. Sustinuit tamen Iesus & pallio, & toga, & incōsutili ad carnem adhærente spoliari, sicq; nudus ante scurrarum oculos apparere. Quare te mi Iesu, non aliqua nubium texit? Cur vel radiū aliquem vt in monte Thabor, non exeruisti? Cur Angelus aliquis vel Seraphin alatus, alis non obumbrauit? Tunc qui olim amictus lumine tanquam vestimento, nunc velut

vnus

vnus de scurris nudatus appares?

Gen. 37. 1. Voluit typum exprimere. Iosephum Innocentem tunica talari & Polymita expoliatũ, denudauerat Fratres. Hunc vt in seipso repræsentaret, passus est trino amictu spoliari. 2. Voluit deinde denudari, jgnominiæ causa, vt nullum esset cõtumeliç inuentũ, quod pro contumelia a nobis Deo illata, non toleraret. 3. Voluit spoliari, vt nostram nuditatem operiret. Descendentes siquidem ab Ierusalem in Hiericho, incideramus miserandi in latrones, qui præter vulnera, quæ nobis inflixerant, vestimento justitiæ & talari innocentiæ nos spoliarant. jlle posuit suam Polymitam, vt hoc integuméto nostras tegeret sordes.

Ruth. 3. *Ego sum mi Iesu, Ruth ancilla tua. Expande pallium tuum, super famulam tuam, quia propinquus es.* ita geminabat Sponsa, Iesu myrrhæ fasciculo. *Beatus, qui* in posterum *vigilat & custodit* teristrum istud, ne nudus ambulet.

Colũna. Indic. 6. Achiorem Israelitam, eo quod Holofernis spes infringebat, milites ipsius ligauerant *ad arborem manibus, & pedibus, & sic vinctum restibus dimiserant eum.* In typum, alligaturæ Christi ad columnã. Voluit Iesus typum reipsa explere. quamobrem permisit manus illas quæ cęlum stellis depinxerant, quæ cæcos perluminabant, quæ auriculas mutorum aperiebant, quæ linguæ ligamenta exsoluebant, quæ naturæ imperabant, quę panes multiplicabant, ad columnam deligari.

Exod. 13 Indic. 16 Iam nolo amplius columnã illam nubis & ignis, Israelis anteambulonem & postambulonem; cum habeo Iesum columnæ alligatum, igne suo meum frigus excalfacientem, luce tenebras discutientem, constantissimoque robore meam fragilitatem fortificantem. Iam video meũ Samsonem nouum, columnam vtramq; mundi, scilicet & Amoris & Timoris, apprehendentem, & succutientem, hocque intercolumnio quassato, vniuersam allophylorum phalangem prosternentem. Iam impletum est oraculum Hieremiæ Prophetæ, quod ad Christum. *Ego dedi te in columnam ferream, & in murum æreum.* Iam constitutum est orbi, melius asylum, ad quod omnes, qui Sathanæ mancipati tanquã ad libertatis columnam, quique ad cædem a Deo quæsiti, tanquam ad vitæ perfugium confugiant.

Flagra. Denudatum & alligatum Iesum, expediti milites, fascibus discinctis flagellauerunt. Vbi es anima? Quid agis? Quid vero vides? Militem tantam lanienam ausum? ducere liras & sulcos per totum corpus? clatrorum instar per inuicem, reticuli in morem exarare Iesum? Ecce pro fasciculo, reticulũ habes ô sponsa roseo corpore & cruore plenum. Multa flagella peccatoris, enumerabat Dauid. Namque in dies audiebat genus humanum a Principibus tenebrarum harum. *Pater meus cecidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionibus.* ecce pro nobis, offert se Iesus laniandum dicit. *Ego autem in flagella paratus sum. Congregata* inquit, *sunt super me flagella, & ignoraui.* Ignorauit aũt sicut in seipso causam flagellorũ, quam non admisit, ita etiã & in nobis dum nobis ignouit, ignorauit. Præscripserat Deus Hebræis, modũ flagellationis *Pro mensura*, inquit, *delicti, erit & plagarum modus.* ita videlicet vt quadragenarium numerum nõ excederent: *ne fœde laceratus, ante oculos tuos abeat frater tuus.* Non seruauit hunc modum impius miles, neque hoc numero stetit eius crudelitas. Cum enim supra dorsum eius instar reticuli cancellati, cõcidissent carnem,

3. Reg. 12. Deut. 25

carnem, solutum de columna, facie versa ad carnifices, niueum collum, eburneum pectus, lilijs simillima membra, pari qua dorsum immanitate conuulnerarunt. Proh facinus detestandum. Fluebant torrentes ex concisis vulneribus, & illi non satiabantur oculis a cruore effuso. & Iesus quoque ad reciprocatos ictus, respondebat, ***Ego autem in flagella paratus sum***. O immanitatem Iudaicam detestabilem. ò amorem Christi incomprehensibilem. Apud Romanos quidã a Verre flagris casus, exclamauit, ***Ciuis Romanus sum***: Christus supra modum dilaceratus, nec hilum mutit, ***Filius Dei sum***. Vere disciplina pacis nostræ super eum. Vere nunc dilecte mi, ***candidus & rubicundus*** appares. Vere tu ***fasciculus Myrrhæ***, maris instar exundans, propter me. Ego comedi vuam acerbam, & dentes tui obstupuerunt. ego rapui, tui exsoluis; ego pomum contrectaui, tu pœnas luis. At quid ego tibi rependam, pro omnibus quæ sustinuisti mihi? Modicum istud quod possum, ne dedigneris. ***Fasciculus myrrhę*** tu mihi eris; ***inter vbera mea commoraberis***.

digna omnia quæ in fasciculum redigãtur. Monebat Bernardus. Tu quoque si sapis, inquit, imitaberis sposæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum, de principali tui pectoris, nec ad horam patieris auelli: amara illa omnia, quę pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assidua meditatione reuoluens, quo possis dicere & tu, ***Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur***.

5\. *Bernardus redegit. serm. 43. in Cant.* Prębat exemplo suo Bernardus. Et ego, ***inquit***, fratres ab ineũte mea conuersatione, pro aceruo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinib. Domini mei. Primum videlicet infantilium illarum necessitatum. Deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in ieiunando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo. Postremo conuitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, flagellorum. In hac myrrha applicuit sibi meorũ amaritudinem peccatorum, & incorruptionem meam dedicauit. Memoriam abundantiæ suauitatis horum eructabo, quoad vixero. In æternum non obliuiscar miserationes istas, quia in ipsis viuificasti me. Has olim Dauid cum lachrymis requirebat. ***Veniant mihi***, inquiens, ***miserationes tuæ & viuam***. Has & alius quidam Sanctorum, cum gemitu memorabat dicens, ***Misericordię Domini multę***. Quam multi reges & Prophetæ voluerunt videre & non viderunt, & audire & non audierunt? Ipsi laborauerunt, & ego in labores eorum introiui. Ego messui myrrham, quam illi plantauerunt. Mihi hic salutaris fasciculus, seruatus est. Nemo tollet eum a me; inter vbera mea commorabitur. Hæc meditari, dixi sapientiam. In his iustitiæ mihi perfectionem constitui. In his plenitudinem scientiæ. In his diuitias salutis. In his copias meritorum. ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum suauis vnctio consolationis. Hæc me erigunt in aduersis, in prosperis reprimunt, & inter læta tristiaque vitæ pręsentis, via regia incedenti, tutum vtrobique prębent ducatum, hincinde mala imminentia propulsando. Hęc mihi conciliant mundi iudicem, dum tremendũ potestatibus, mitem hu-

milemque

milemque figurant, dum nō solum placabilem sed & imitabilem repręsentant eum, qui inaccessibilis est principatibus, terribilis apud reges terræ. Propterea hæc mihi in ore frequenter, hęc in corde semper, hęc mea interim sublimior Philosophia, scire Iesum & hunc passum. Non requiro, sicut sponsa, vbi cubet in meridie, quem lętus amplector, mea inter vbera commorantem. Hunc & vos, dilectissimi, tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, vt & vobis inter vbera commoretur. Habete illum semper non retro in humeris, sed ante pręoculis, deportantes & non odorantes; & onus premat, & odor non erigat. Si enim ante oculos habueritis, quem portatis, pro certo, videntes angustias Domini, leuius vestras portabitis. Si vos deinde hoc fasciculo saluifico aspeiferitis, emundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & emaculati viuetis in secula Amen.

SABBATHO POST TERtiam Dominicam Quadragesimæ.

Neque ego te condemno. vade & amplius noli peccare.

CONCIO.

De clementia.



OYSES descendens de monte, cum vidisset populum Israeliticum, gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum commutasse, duas quas ferebat tabulas legis, fregit ad radicem montis. Fors, ne ab aspectu ad primos apices Tabulæ primæ, tanto acrius in eos animaduerteret, quanto magis calentes adhuc notę Decalogi sculptę, ad vindictam inflammarent. Fors etiam ideo hodie ad terram respectat Iesus, inque humo molli characterícos sulcos ducit, vt seueritatem vindiciarum temperaret, ex aspectu fragilitatis, humanæ. quę a terrena mole facile lapsar. Hęc non alia est causa, ideoque ad mulierem, absolutoriam sententiam proferens, ait. Si te nemo accusatorum condemnauit, neque ego te condemno, sed missam facio, a culpa & a supplicio solutā. Vade, sed noli amplius peccare. De Clemētia mihi sermo, ab exēplo hodierno.

Non vna sed plures rationes extorquent a nobis, vt proximo in nos delinquenti ignoscamus. Primam duco, a necessitate conformandi nos Deo, clementer nobis suas iniurias condonanti. Namque ita oramus quottidie. *& dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* & Saluator quoque noster hortabatur, *Dimitite, & dimittemini.* Adduco ad ferociam nostram comprimendam ea quę Seneca Principibus suasit. nam conueniunt vnicuique nostrum, tunc cum lacessiti, in potestate nostra habemus ignoscere aut vlcisci. & ideo quiuis tunc in cętum superiorum transit, pręsertim vero si iudex est. Quęrit ille primo. Expeditne, *inquit,* habere inexorabilia peccatis, atque erroribus Numina? Expeditne vsq; ad vltimam infesta perniciem? Ecquis regum, *& hominum* erit tutus, cuius non membra haruspices colligāt? Quod si Dij placabiles & ęqui delicta potentium, non statim fulminibus persequuntur; quanto ęquius est hominem hominibus pręposítū, miti animo exercere imperium, & cogitare; Vtrum mundi status gratior oculis pulcriorque sit

Proximo indulgere.

1. *Deus exēplo suo mōstrat.*

Seneca de clement. li. 1. c. 7.

sereno

sereno & puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiuntur, & ignes hinc atque illinc micant? Atqui non alia facies est quieti moderatique imperij, quam sereni cęli & nitentis. Crudele regnum turbidum, tenebrisque obscurum est inter trementes, & ad repentinum sonitum expauescentes, nec eo quidem qui omnia conturbat, inconcusso.

2. *Sapientis est munus ignoscere delinquẽti.* Adiungebat alibi. Sapiens multa remittet, multos parum sani, sed sanabilis ingenij seruabit. Agricolas bonos imitabitur, qui non tantum rectas bonasque arbores colunt, sed illas quoque quas aliqua deprauauit causa, adminicula quibus reguntur, adminiſtrant. Alias circumcidunt, ne proceritatem rami prę-mant: quasdam infirmas, vitio loci nutriunt; quibusdam aliena vmbra laborantibus, cęlum apetiunt. Secundum hęc videbit perfectus sapiens, quod ingenium qua ratione tractandum sit, donec in rectum praua flectantur.

Plutarc. in Lacon apopht. Demonax dicebat, nequaquam hominibus irascendum esse si delinquerent, sed corrigenda vitia: nimirum exemplo medicorum, qui non indignantur ęgrotis, sed morbo medentur. Nam hominis est peccare: Dei vero, aut hominis Deo proximi, emendare peccata. Magis tamen ignoscere, si priuatam habent iniuriam. cum & Deus frequentissime suam ignoscat. Eleganter Poeta. — *quid erit, quare solito dignemur honore.*

Ouid. de Põto lib. 2. eleg. 9.

Numina, si demas velle iuuare Deos?
Iuppiter oranti surdas si præbeat aures
Victima pro templo cur cadet icta Iouis?
Si pacem nullam Pontus mihi præstet eunti
Irrita Neptuno cur ego thura ferã?
Vana laborantis si fiant vota coloni
Accipiat grauidæ cur suis exta Ceres?
Nec dabit intonso iugulum caper hostia Baccho
Musta sub inducto si pede nulla fluant.
Vtilitas igitur magnos hominesque Deosque
Efficit, auxilijs quoque fauente suis.
Crede mihi miseris cælestia numina parcunt.
Nec semper læsos, & sine fine premunt.

Quamobrem alter monebat, quendam Principem prælustrem hoc disticho *Claudiã.*

Sis pius imprimis. Nam cum vincamur ab omni
Munere, Sola Deos æquat clementia nobis.

Excelsæ mentes hoc Sacro morsu, iram exilientem cohibuerunt, adque ignoscendum prompti fuerunt. Augustus Cæsar ducat agmen Clementiæ. Lex erat, vt qui patrem occidisset, culeo insueretur; nec hæc pæna sumebatur, nisi de confesso. Ab huius pęnæ atrocitate, vt liberaret manifesti parricidij reum, sic interrogauit, *Certe Patrem non occidisti?* ansam porrigens inficiandi. Tanta erat principis in iudicando lenitas. T. Vespasianus sequitur, qui fratrem Domitianum insidias molientem, non est vltus sed his verbis admonuit: *Quid opus te parricidio petere, quod me volente obuenturum est? imo quod iam habes, imperij particeps.* In Christiano vix reperias tantum mansuetudinis. Theodosius quoque iunior se ostentat. qui rogatus, cur neminem eorum a quibus lędebatur, supplicio capitis afficeret? respondit; *Vtinam mihi liceret, & mortuos ad vitam reuocare.*

3. *& excelsæ mẽtes, ex quibus exemplo præmit. Augusti.*

Vespasianus.

Theodosius.

Philippus uocare. Sed Philippus Macedo nobis elapsus est. dignus qui in exemplum Clementiæ statuatur. Demochares ad illum, *Parrhesiastes* ob nimiam & procacem linguam appellatus, inter alios Atheniensum legatos venerat. Audita benigne legatione Philippus: *Dicite*, inquit, *mihi, facere quid possum, quod sit Atheniensibus gratum?* Excepit Demochares *Te*, inquit, *suspendere*. Indignatio circumstantium, ad tam inhumanum responsum exorta est: quos Philippus conticescere iussit, & Thersitem illum saluum incolumemque dimittere. *At vos ceteri legati* inquit, *nuntiate Atheniensibus, multo superbiores esse, qui ista dicunt, quam qui impune dicta audiunt.*

Senec. li. 3. de ira c. 23.

Alex. Seuer. Alexander Seuerus, claudat illud agmen. Amici, Mater Mammea, vxorque Memmia, eius improbantes humanitatem & clementiam, cum illi sæpe dicerent: *Molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem fecisti*: respondit: *Sed securiorem, & diuturniorem*. Eius tempore Ouinius Camillus antiquæ familiæ Senator, cum rebellionem molliretur, & tyrannidem affectaret, ille, hominis fraude intellecta, ad se vocari iussit, & egit gratias, *quod Reipub curam, sua sponte suscipere tentaret*. Mox ad Senatum, processit, ac tanti sceleris conscientia trepidum, consortē imperij appellauit, in palatium recepit, ornamētis imperialibus, & melioribus quam vtebatur ipse decorauit, profectionisque comitem adhibuit. Quumque Imperator ipse pedibus iter faceret, inuitauit Ouinium & equo sedere iussit: denique mori paratum dimisit. Monebat Seneca. Dicat itaque quisque sibi, quoties lacessitur: Nunquid potentior sum Philippo? Illi tamen impune maledictum est. Nunquid in domo mea plus possum, quam toto orbe terrarum D. Augustus potuit? Ille tamen contentus fuit, etiam a suo conuiciatore recedere. Quid est, quare ego serui mei hilarius responsum, & contumaciorē vultū, & non peruenientem vsque ad me murmurationem, flagellis & compedibus expiem? Quis sum cuius aures lædi nefas sit? Ignouerunt multi hostibus: ego non ignoscam, pigris, negligentibus, garrulis? Puerum excuset ætas, feminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Nunc primū offendit? cogitemus, quā mdiu placuerit. Sæpe & alias offendit? feramus quod diu tulimus. Amicus est? fecit quod noluit. Inimicus est? fecit quod debuit. Prudentiori cedamus, stultiori remittamus. Pro quocunque illud respondeamus nobis, Sapientes quoque viros, multa delinquere. Neminem esse tam circumspectum, cuius non diligentia aliquando sibijpsi excidat. Neminem tam maturum, cuius non grauitatem, in aliquod timidius factum casus impingat. Neminem tam timidum offensarum, qui non in illas dum vitat incidat. Deorum itaque sibi animum afferens, *si quilibet alius, maxime* Princeps alios ex ciuibus suis, quia vtiles bonique sunt, libens videat, alios in numerum relinquat; quosdam esse gaudeat, quosdam patiatur.

Aelius Lampridius.

Ammonitio ad vindicias

Sed indignum est omittere, illud Persarum solenne. Apud eos ob vnū solum delictum, atrocius aliquē punire non conceditur; sed expendunt prius, an plura ac maiora sint flagitia quam benefacta. atque tum demum judicant: & vel indulgent, vel corrigunt, vel supplicio afficiunt. Conformiter ad Dei normam, qui in statera sua exequat, in quam partem bilanx inclinet. Sed aliam causam clementiæ educo. Magno animo nos esse voluit naturæ plastes, 4.

& magnanimi.

ad

ad magna creatos. Cęterum, *inquit Seneca*, Magni animi est proprium, placidum esse tranquillumque, & iniurias atque offensiones semper despicere. Muliebre est furere in ira. Ferarum vero nec generosarum quidem, pręmordere & vrgere prostratos. Elephantes leonesque transeunt, quæ impulerũt. Proprium est magnitudini veræ, non se sentire percussum. Sic immanis fera ad latratum canum, lenta respexit. *Sic irritus ingenti scopulo fluctus allultat.* Qui irascitur, motus est. At ille quem modo altiorem omni incommodo posui, tenet quodam amplexu summum bonum. Nec homini tantum, sed ipsi fortunæ respondet: Omnia licet facias, minor es, quam vt serenitatem meã obducas. Vetat hoc ratio, cui vitam regendam dedi. Plus mihi nocitura est ira, quam iniuria.

Ab hoc Magni præcepto, omnes Magni, Ciuibus, liberis, fratribus, seruis, hostibus, ignouerunt. Hocque sibi promeruerunt, vt in Theatrum clementiæ perpetuo producantur.

ex quib. ciues. Onomadem⁹. Ciues dabo. Onomademus Chius postquam aduersam factionem superasset, quibusdam censentibus omnes diuersæ factionis pellendos vrbe, negauit expedire dicens: *se vereri, ne omnibus inimicis ad vnum eiectis, inter amicos existerent dissidia.* Sentiens sic esse multorum ingenium; vt si desint inimici, in quos naturæ malitiam exerceant, amicos impetant. Itaque ex vno facto, & prudentię, & clementiæ laudem, sibi comparauit.

Pittacus Laert. li. 1. Tyrrhenum Pittaci filium, Cumis in tonstrina sedẽtem, faber quidam ærarius impacta securi occidit. Cumani homicidam vinctum miserunt ad Pittacum, vt de eo supplicium iuberet sumi. At ille cognita causa, dimisit hominem dicens. *Ignoscentiam potiorem esse pænitentia.* Sentiens vtilius esse condonare, quam meminisse iniuriæ & vlcisci. *Alcæus.* Sunt qui referant, homicidam ab Alcæo fuisse dimissum, cum hoc elegio: *Melius est ignoscere quam punire.*

Phocion. Phocion, iniuria vxori suę facta a quodam ciue, tantum ab authoris accusatione abfuit, vt cum ille sponte metu percussus Phocionem accederet, & veniam postularet, inquiẽs ignorasse quod eius vxor fuisset, in quam iniuriosus fuerat; hoc sermone sit vsus. *Mea quidem vxor nihil abs te affecta est, sed fortassis alia quapiam: proinde non est, cur excusationem apud me dicas.*

Socrates. Socrates publica conuicia ab Aristophane passus, non modo non ægre tulit, sed obuium etiam interrogauit, num se rursus ad similem rem aliam opus haberet? Quam facile putes inter paucos sustinuisset maledicta ille, quem ne publice quidem in frequenti theatro iactata commouere potuerunt?

Pericles. Pericles autem aliquando in foro conuicijs, impetitus a quodam impuro homine, totum diem eum tacitus sustinuit; interim quod habebat negotij conficiens. Vesperi modeste domum abijt; & subsequente eo, nihilominus famulo suo mandauit, vt accensa lucerna ei domum suam præluceret. Quid nos ad hæc Christiani? An inter nos talis mansuetudo? An non potius ad vlciscendum promptitudo?

ex eadem classe. Parẽtes. Recenseo & aliquos sanguine deuinctos, quorum prętignis clementia, in suos iniurios. Parentes præcedant. *Gellus.* L. Gellus, omnibus honoribus ad censuram vsque defunctus, cum crimina grauissima de filio, in nouercam commissum stuprum, & parricidium cogitatum propemodum explorata haberet: non tamen ad

 vindictam

vindictam procurrit continuo, sed pene vniuerso Senatu adhibito in consilium, expositis suspicionibus defendendi se adolescenti potestatem fecit. Inspectaque diligentissimè causa, absoluit eum cum consilio, tum etiam sententia sua. quod si impetu iræ abstractus sequire festinasset, admisisset magis scelus, quam vindicasset.

Esau. Max. li. 5. c. 9. Anonymus. Magnorum etiam virorum clementibus actis, ignoti Patris nouæ atque inusitatæ rationis consilium adijciam. qui cum a filio necti sibi insidias comperisset, nec inducere in animum posset, vt verum sanguinem ad hoc sceleris progressum crederet, seductam vxorem suspicans, suppliciter rogauit, ne se vlterius celaret, siue illum adolescentem subiecisset, siue ex alio concepisset. Affeueratione deinde eius, & iureiurando se nil tale debere suspicari persuasus, in locum desertum filio perducto, gladium quem secum occultum attulerat, tradidit; ac iugulum feriendum præbuit. nec veneno, nec latrone ei, ad peragendum parricidium opus esse affirmans. Quo facto, non paulatim, sed magno impetu tecta cogitatio pectus iuuenis occupauit, continuoque abiecto gladio: *Tu vero*, inquit, *Pater viue. & si tam obsequens es, vt hoc precari filio permittas, me quoque exupera. Sed tamen quæso, ne meus erga te amor sit vilior, quod a pænitentia oritur*. Solitudinem sanguine meliorem, pacatioresque penatibus syluas, & alimentis blandius ferrum, ac mortis oblatæ, quam datæ vitæ felicius beneficium. Inter vos an tantis beneuolentia, & clementia erga liberos? Pudet dicere, quantum vos acerbi in vestros natos.

Fratres. Fraterna quoque clementia gestit videri, cuius hoc geminum ex Hebræis profero exemplum.

Esau. Esaus quamuis a Iacobo fratre primum ætatis prerogatiua, deinde benedictione defraudatus fuisset, & eam rem ita indigne ferret, vt Iacobus a matre Rebecca, amandatus fuerit in Mesopotamiam, ne ab Esau occideretur. tamen cum post viginti annos rediret Iacobus, Esau cum 400. viris obuiam illi factus, flens flentem deosculatus est, nulla plane præteritarum iniuriarum habita ratione.

Ioseph. Ioseph superior isto. Is mitissimi ingenij adolescens, in cisternam a fratribus deijcitur, externis in seruitutem venditur: & tamen eos a quibus talia passus fuerat benigne suscipit, large educat; non malum pro malo reddens, sed vincens in bono malum. Irasci enim nescit mansuetus, & benefacere ijs etiam a quibus offensus est, nouit. Et apud nos ah quam nimium verum. *Non frater a fratre?* & illud ex tripode *Rarior concordia fratrum*.

3. humanitas ingenit. Sed tertiam rationem produco, quæ clementiam homini suadet, imò vi quadam ingerit naturæ. Homines nos voluit esse Deus, humanitate non crudelitate præstantes. Ideo & molle cor, tenerumque animum indidit omni. Acute Satyricus *Iuuenal. satyr. penult.*

Mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur
Quæ lachrymas dedit. hac nostri pars optima sensus.
Plorare ergo iubet causam lugentis amici
Squalloremq; rei pupillum ad iura vocantem
Circumscriptorem, cuius manantia fletu
Ora puellares faciũt incerta capilli
Naturæ Imperio gemimus.

Proinde eadem natura non nos cornibus armauit, non vngulis rapacibus, non dente ferali, sed facie

ad

ad modestiam formata, oculis renidentibus, ore blandum sonante, fibra cordis non cornea sed carnea, affectu denique flexili, vt homo ab hac facilitate benignioris argillæ, Diuiniore spiritu hausto, inclinet ad ignoscendum peccanti. Præsertim propter vtilitates ingentes, quæ ab ista clementiæ ara. Nā ex vsu, Ouid.

vtilitas suadet.

Dextera præcipue capit indulgentia mentes
Asperitas odium sæuaque bella mouet
Odimus accipitrem quia viuit semper in armis
Et pauidum solitos in pecus ire lupos
At caret insidijs hominum, quia mitis hirundo est
Quasq; colet turres Chaonis ales habet
Este procul lites, & amara prælia linguæ
Dulcibus est verbis mollis alendus amor.

lib. 1. off. Vnde Cicero edixit. *Nihil est laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius, placabilitate atque clementia.* Sed non finio antequam Philosophum audieritis. Oportet, vt minimis sordibus, non exacerbemur. Parum agilis est puer? *inquit Seneca*, aut tepidior aqua potui erogata? aut turbatus thorus? aut mensa negligentius posita? Ad ista concitari, insania est. Aeger & infelicis valetudinis est, quem leuis aura contraxit: affecti oculi, quos candida vestis obturbat: dissolutus delicijs, cuius latus alieno labore condoluit. Mindyridem, aiunt, fuisse ex Sybaritarum ciuitate, qui cum vidisset fodientem, & altius rastrum eleuantem, lassum se fieri questus, vetuit illum opus in conspectu suo facere. Idem sæpius questus est, quod folijs rosæ duplicatis incubuisset. Vbi animum simul & corpus voluptates corrupere, nihil tolerabile videtur: nō quia dura, sed quia patimur molles. Quid enim est cur tussis alicuius, aut sternutamentum, aut musca parum curiose fugata, nos in rabiem agat, aut versus calix, aut clauis negligentis serui manibus elapsa? Feret iste æquo animo ciuile conuicium, & ingesta in curia maledicta, cuius aures tracti subselij stridor offendit? Perpetietur hic contumeliam, qui puero male diluenti niuem irascitur? Ad ista concitari, insania est.

Seneca 2. de ira c. 25.

Morosi enim intolerandi.

Sybaritæ luxus

Antigonus laudatus, qui seruis ad tentorium de se obloquentibus iratus, nihil magis fecit, quam dixit, *Abieritis longius, ne vos Imperator exaudiat.* Ille vero quoq; celebris, qui seruo iratus, *Percuterem te*, inquit, *nisi essem iratus.* Erigatur itaque Ara & Seruili clementiæ. Nam & isti digni quib. indulgeatur. quia caro sunt, quia *sensus & cogitatio hominum, prona est ab adolescentia sua ad malum.* Ignoscente Deo, indulgente Christo, clemētibus magnis, indignum est non subsequi illos. quos qui imitatur, dignus cęlo, dignus Deo in secula.
Amen.

Antigoni exempl.

DOMI-

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMAE.

Ambulans Iesus trans mare Galileæ. Ioann. 6. cap.

CONCIO.

De seculi contemptu & fuga.



OLVIT Deus, populo electo, quamdiu fuit in Aegypto, Panem de cælo Angelicum ministrare. Noluit & Iesus Saluator, discipulos & turbas dilectas, quamdiu in vrbibus & opidis, pane suauitatis ex miraculo adaucto satiare. Traduxit illos trans Erithreū mare, in vastam solitudinem. & istos trans mare Galilææ, in eremum secretam se voluit sequi, cum ipse abierit trans illud. In tumultuosis enim Ciuitatibus, multa officiunt veræ & liquidæ delectationi, ex conuersatione Diuina. Da traijciendo itaque, seu contemnendo & fugiendo seculo, mihi hodiernus sermo.

Hierogli. mundi mare. 1. Non est opus Oceanum accedere, neque necesse est cum Ioanne cęlum ascendere, ad contemplandum mare vitreum, omnibus periculis infarctum. Quicunque huius mundi statum instabilem, penitius introspexerit; mare, non in mari inueniet. 1 Agitatur mare fluctibus, quibus innantes ascendere videntur in cælum, & mox delabi in abyssum profundam. Sed non tot possunt esse procellæ, non tot sęuitię vndarum, non tanta a ventis funditus conuulsi maris insania, quanta est mundi volubilis. namque in mundanos orabat | Dauid, *Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem vēti.* Vt ro-

& Rota. ta quā fortunæ suppedaneam fingit vulgus, in momenta mouetur, nec certo spacio subsistere nouit: & vt stipula a vento raptata, quietam stationem despuit: sic mundus, & qui in eo seculi Amantes.

2 Nouas ac terribiles figuras, magna ēt portenta visu hortenda, & na uigātibus infesta, profunda maris va stitas nutrit; Sed nullū tā horribilem ferarū conuentum, quā mundus iste. nam quot hic Homines seculo addicti, tot fere monstra. ita vt harpias, syrenes, marinos lupos, dracones, & si quę alię sunt infestę nauitis belluę, frustra in mari quęsieris: in tuo etiā, quod dicitur, sinu: reperies. 2.

3. In mari confusa lux caligine, & interceptus tenebris dies, ipsum vero graue & defixū mare, & aut nulla aut ignota sidera, nauigātiū oculis occulunt in tranea pericula vadi, quā a scopulis abditis, quà a syrtubus hiscentibus, quà denique a Scyllæis & Charibdinis latrantibus gurgitibus intenta; Sed non tam densantur in illo quam in mundo tenebræ. ita si vel modica scintilla concupiscentiæ hominem incenderit, etiam in meridiano Sole, non tantum in siderum vel Lucinæ fulgore cæcutiat. jta Dauid symbolicè insinuat. *Supercecidit ignis & nō viderunt Solem.* Alij vero in auias abyssos delati, aperte con fitentur: *ergo errauimus a via veritatis, & sol justitiæ non illuxit nobis? ergo palpauimus sicut cæci parietem?* 3.

4. Mare

4. 4. Maritijs qui alia litora, aliumque sibi nascentem orbem quærunt, neque ab extraneis periculis securum, pyratas insidiosos, meros sanguinis humani lurcones, recondit antris. Sed neque tam innumerabiles, neque tam truculentos, vt iste mundus; in quo nobis colluctatio, non tantū contra carnem & sanguinem, sed multo periculosior contra Principatus & Potestates inuisibiles, quorum nimius nimium conuentus.

5. 5. In mari nulla pſens nauigātibus statio est, nihil salutare; rudi & imperfecta, illa natura sub nauibus & pedibus recedente, atque de naufragis cum belluis colludente. Pene, imo magis instabilis mundi statio, in quo nihil non fugiens: ipsa etiam terra sub suis amatoribus dehiscente; atq; illorum, sepedibus & manibus subducente. Mare Gothlanticum fert currus onustos, domos extructas; imo & acies instructas exercituū, tunc dum est gelu concretum. Mundus autem se subtrahit, & deuorat habitatores suos, etiam dum summa securitate constabilit illos.

in quo nil nō periculi plenum.

1. Scitum est illud premium quod pro operis, materia & sumptibus in Templum Hierosolymitanum collatis, reposuerat Salomon Hyram Regi. *dedit. n. illi*, vt refert scriptura, *viginti oppida in terra Chabul. Et egressus est Hyram de Tyro, vt videret oppida, quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei. & ait: Hæccine sūt Ciuitates, quas dedisti mihi frater? Et appellauit eas Terram Chabul, vsque in diem hanc.* Iosephus Punicam vocem censet, *Chabul*, quæ significet displicentiam. Septuaginta, volunt interpretari, Terminum seu scopulum. Rabbi Kimchi, vliginem a radice Chabal, quæ compedes aut terreum vinculum significat: quod Latini copulam nominare solent, eo quod pedes aut manus colligatas copulet. & ideo designet terram lacunosam aut cænosam, quæ pedibus adhæreret, & ambulantes teneret, & implicaret, instar compedum aut copulæ. Xantes Pagninus, Chabul vult esse terram tenacem. Rabbi Mardochai, sterilitatem incultam & horridam. Rabbi Nathman, arenæ profundę dehiscētiam, in quam pedes immergantur & comprehendatur. Reuchlinus, Terram clausam & inhabitatam, quo non possunt habitatores ingredi. Caietanus, carcerem. eo quia, tanquam carceres erant illa oppida. Quicquid significasset Chabul, tamen ingrata erant Hyram. Talis est mūdus, vocabulo Chabul magis dignus.

3. reg. 9.

lib. 8. ca. 2. hierog. mundi, Chabul.

6. 6. Hic est Terminus, qui hominē a Deo, a cęlo, a Regno felicitatis discriminat. *Qui enim amicus est mundi, inimicus Dei constituitur.* & licet *mundus per ipsum factus est*, quia tamen *Mundus eum non cognouit*, neque cognoscere cupit, ideo hic terminus & limes est, qui secernit seculi amatores a Deo; vt mare suis litoribus gentem a gente.

7. 7. Mūdus est Scopulus, ad quem, ali quis est, qui non sit allisus? Ad hunc fractus gemit Salomon, qui nihil denegauit sibi ex his quæ oculus vidit, quæ libido cupit, dicens, *vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Ad hunc allisus iacet Antonius & Cleopatra, quibus tanta cupido deliciarum, vt Prouincias cænarent, vt sorberent vniones. Ad hunc scopulum contritus sordet Sardanapalus, & Epicurus, & Heliogabalus, & quis non de veteri luxu? qui voluptatibus mundi suam perniciem debet. Hic deinde mulier illa Apocalyptica *circumdata purpura & coccino, & inaurata auro & lapide pretioso, & margaritis, Mater fornicationum & abominationum terræ, habens poculum aureum in manu sua* Apoc. 17

sua plenum abominatione, immunditia, & fornicationibus, ex quo reges terræ, & omnes alij delicatuli martyres inebriati sunt, vna cum illis cecidit, cadit, & cadet vsquequo non exinaniuerit ad fæces craterem auratum, quem miseri lambunt. Non aliter hi ad istum scopulum alliduntur, quam fluctus oceani ad cautes horrendas.

Reuoco in theatrum, Antonium & Cleopatram, ambos ceu gemellos columbos alcyonantes in littore Maris Mundi. Cleopatra Aegypti regina, ab irato Antonio amatore in iudicium vocata, cum ex Aegypto in Ciliciam nauigaret, flumen Cydnum incredibili pompa subiuit. Nauis eius purpurea habebat vela, sericeosque rudentes: argento quoque remos exornatos, vt remigando tibiarum sonum, per dimensa temporis spatia, percussis vndis imitaretur. Ipsa sub aurea vmbella, in media naui, in Veneris speciem ornata sublimior sedebat: circumfusa virginum choris, in Nympharum formam auro amictarum. Ad extrema nauis latera, permultæ aliæ insignes puellæ, aureis thuribulis ad fluminis ripas odoramenta perfundebant. itaque haud iniuria tunc vulgo iactabatur, Venerem ad Bacchum profectam esse. Egressam postea naui, cum pro iudicio res in conuiuiorum certamen deducta esset, inter cætera quæ nimis profuse delicateque egit, cum pepigisset cum M. Antonio se plus impensę vno bolo, quam Antonium magno conuiuio absumpturam ingẽtem vnionem, cui similis magnitudine specieque nunquam visus erat, ab aure detraxit, atque aceto maceratum absorpsit. Et cum iam manum ad alterius auris vnionem apposuisset, ab Antonio, cum vicisseeam declarasset, prohibita abstinuit. Quæ cũ ingẽti regno potiretur, Antonio adhæsit, cũque illo nulli voluptati nõ indulsit, quin se ea recrearet. Videbantur vtriq; Zephyri perpetui, vela mundanę felicitatis inflare, cum de repento Aquilo & Eurus omnia cõturbassent, & vtrumq; ad hunc scopulum allisissent. Antonius enim, cum ad Actium nauali prælio congredi ns superatus esset, Alexandriamque confugiens ab Augusto circumsessus foret, ne in hostis potestatem veniret, gladio sponte incubuit. Cleopatra vero mortuo Antonio, vbi intellexit se ab Augusto in triumphum reseruari, caussa declinandæ eius ignominiæ, brachium aspidi mordendum exhibuit: Cæsare Psyllos veneficos, qui serpentis venenum ex vulneribus haustu reuocarent & exsugerẽt, frustra admouente. Eia Cleopatra, te beatam cense in mundo.

Nuquo periclitati, Cleopatra et Antonius.

> *Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili.*
> *Accepere tua Romula vincla manus:*
> *Brachia spectaui sacris admorsa colubris,*
> *Et trahere occultum membra soporis iter.*

Propert. lib. 3.

Chabul vliginem tenacem, copulas & compedes vincientes significat. Apposite istud ad mundi vndas. Inescant & indulcant suaui, honorum, facultatum & deliciarum titillo, quos cæperint; sed cum cæperint inuiscant quoque. Sed quam rarenter inescant? Credo expertis, magis ex salsa marina dulcem aquam elicueris, quam ex mundi nugis liquentem, non verò felle permixtam dulcia maritudinem.

8.

Aristoteles docet, quod si vas cereum ore obstructo, mittatur in aquam salsam per horam, deinde extrahatur, inuenitur oppletum dulci, quæ illius poros penetrauit: cum sit pondere leuior, vt est sapore suauior.

Meteor. c. 2. & 3.

uior. Extrahitur seu elicitur etiam velleribus, circum nauigia dispassis, quæ ex salsugineo mari dulcorem educũt. Facilius dixi esse expertis, dulcoré exprimere esse è salsa aqua. Sed ex mundi voluptatibus, merum meracum illiquij non fellei, hic opus & operam perdis. In diademate, erit spina quæ pungat. jn purpura, nascetur aliqua tinea quæ viscera depascatur. jn auto, ęrugo quæ magis quã illud tuũ exedet pectus. In lectis eburneis, aliquis pullex vtinam non sorex, qui non modo p pia bit, sed lancinabit. Quid illud est quod de Camblete Lydorum rege fingunt, eo voracitatis progressum, vt nocte quadam, vxorem quoque absumpserit? Scitis quos fabula tangat. Sed de illis magnis, placet Dionysium tyrannum, felicitatis mundanæ non inexpertum audire.

Damodes Philosophus cum eius potentiam & opes extolleret, beatamque diceret eius vitam in tanta rerum opulentia, Dionysius eum perendie vocauit ad cænam, gladiumque seta ligatum, supra caput eius appendi iussit. Quo ille statim inter cęnandum conspecto, prę nimio supereminentis periculi metu, regalibus mensis abstinuit. *Hoc pacto*, Dionysius, *Principes viuere, ac inter Magnificos apparatus imminentibus periculis cruciari* significauit. Maharbal Pęnus, Afros rebellantes potu mandragoræ in somnum conieceratí, & eo modo humi eos prostratos trucidauerat. Fere idem mundus facit, quos sua amaridulcedine inebriauit, fere non neminem enecauit. Quid *Lac Jaelis* significat, quo Sisarã recreauit, & postea tempora illius cõfixit? Mundani littoris nitorem aqueũ, quo qui temulenti, quod sępe vidit Orbis, hos carceres, vincula, compedes, ignominia, exilium, gladios, cruces, ignes expectant, excipiunt.

Strabo narrat quendam lacum cui nomen Tatta, ex quo fluit sal vti a fonte. cuius aqua quęcunque asperguntur aut madescunt, in salem durantur. Aues si præteruolantes, summa alarum parte aquam paulisper attigerint, statim quasi visco captæ, volandi vim amittunt, illico congelatis ac sale pennis conglutinatis. Aliũ lacũ in Hispaniola noui orbis aiũt esse salsum, qui adeo procellis cõmouetur vt nauigia absorbeat, & quod mirum est, absorta, siue sint lignea, siue corpora defuncta, numquam reddat, neque vlla natandi peritia prodest in huiusmodi naufragijs. Possumus exinde decipere, notam Mundi Hieroglyphicam. Tãta enim istius Chabul, est viscosa tenacitas, vt summos quoq; qui videbãtur manu cęlum contingere, inuoluerit, absorpserit, nec vnquam ex vinculis, nisi ad mortem reddiderit.

9. lib. 1. hie rogl. mun-di, Tatta lacus.

Pet. mar. summ. In dic.

Adiungo his omnibus significatũ Chabul, quod est arenæ profundæ dehiscen ia, in quam pedes immergãtur & detineantur. Ferũt qui Africã plustrarunt, alicubi esse arenosas Syrtes, quas viatores oportet transire, quas si vehementior concitauerit Auster, totos exercitus solent absorbere. Lego a Cambyse rege in Hammonios missa quinquaginta millia pugnatorum, qui vbi medijs arenis prãsuri accubuissent, orta tempestate perierunt. Assimilis est Chabul mundi. quos aquis voluptatijs non potuit absorbere, inuidiæ obruit arena, vel sabulo fatali. 10.

Ad inuidiam vsque Polycratis Samiorum tyranni, abundantissimis bonis conspicuus vitæ fulgor excessit: nec sine causa. Oẽs. n. conatus eius placido excipiebantur itinere; spes certum cupitæ rei fructum apprehen-

Fortunæ lusus in Polcrate Valer. Max. lib. 6. c. 11.

prehendebat, vota nuncupabantur simul & soluebantur: velle ac posse in æquo positum erat. semel duntaxat vultum mutauit per quam breui tristitię salebra succussum, tūc, cum admodum gratum sibi annulum de industria in profundum, ne omnis incommodi expers esset, abiecit: quem tamen continuo recuperauit, capto pisce, qui eum deuorauerat.

Sed hunc cuius felicitas semper, plenis velis prosperum cursum tenuit, Orontes Darij Prefectus, in excellissimo Mycalēis montis vertice cruci affixit: ex qua putres eius artus, & tabido cruore manantia membra, a que illam lęuam, cui Neptunus an nulum piscatoris manu restituerat, situ marcidam Samos amara seruitute aliquandiu præssa, liberis ac lætis oculis aspexit.

Siphace. Sequitur hunc Siphax rex, consimilem fortunæ iniquitatem expertus: quem amicum hinc Roma per Scipionem, illinc Carthago per Hasdrubalem vltro petitum ad penates eius Deos venerat. Cæterum eo claritatis euectus, vt validissimorum populorum non tantum arbiter, sed & victor victoriæ existeret, parui temporis interiecta mora, cathenatus à Lelio legato, ad Scipionem Imperatorem pertractus est: cuiusque dextram regio insolens solio, arroganti manu attigerat, eius genibus supplex procubuit.

Caduca nimirum & fragilia, puerilibusq; cōsentanea crepūdijs sunt, ista quæ vires humanæ vocantur: affluunt subito, repente dilabuntur. Nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt; sed incertissimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, quos in sublime extulerunt, improuiso recursu destitutos, in profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaque neque debent existimari, neque dici bona, quæ inflictorum malorum amaritudinem, desiderio sui conduplant.

Cepione. Q. Cepio preturæ splendore, triūphi claritate, Cōsulatus decore, Maximi Pontificis Sacerdotio, vt Senatus Patronus diceretur assecutus, in publicis vinculis spiritum deposuit: corpusque eius funesti carnificis manibus laceratum, in scalis Gemonijs iacens, magno cum horrore totius fori Romani conspectum est.

Andronico. Dabo etiam vnū ex nostris, in hac malacia mundi iactatū, & absorptū.

Andronicus est Constantinopolitanus Cæsar. Is pulsus in exilium, a patruele fratre Emanuele secundo Imperatore, ortis seditionibus ad Turcas profugerat. Cæterum postea reuocatus ab eodem, prouinciæ Ponticæ præfectus est.

Interim cum Emanuele defuncto, filium impuberem, qui successerat, Alexius patruus regeret, auaritia atque crudelitate insignis: vt eius administrationi, quæ omnibus inuisa erat, remedium daretur, Andronicus a populo vocatus est.

Qui Constātinopolim profectus, & pupillum, & patruum occidit, cū ipsorum stirpe, ita vt vnus Isaacius eam vim vix effugeret. Per hunc modum Andronicus Imperio potitus, dum acerbe Isaaciū insequitur, quia fuga parere sibi salutem desperaret, coegit vt impar præter omnē rationem arma tentaret. Quamobrem, id quod omnino minime Andronicus verebatur, & propterea paratos milites in vrbe nullos habebat, nocte Isaacius Cōstātinopolim ingressus, populū ad arma exciuit: obsessoq; in palatio Blaquerna Andronico, paruo tempore locum expugnauit, atque Andronico manus iniecit. Quem primum effosso oculo, nudum in asino auersum constituit, asini cauda pro imperatorio sceptro data, cum caput illi reste tanquam

quam diademate cinxisset. Deductus autem per totam vrbem Andronicus, tandem furcis suspensus, fœdissime vitam amisit.

Quid vobis videtur? Mundus nō Chabul? non viscus? non copulæ? non compedes? non carceres? non terra clausa? non gurges absorbentis maris? Si Mundus non est vorago absorbens suos dilectos, Scylla & Charybdis non sunt vortices naufragia facientes.

11. *Chabul.* Mundus est Chabul, mare potius quam terra. Vt in mari perpetua anxietas tranantibus: ita & in isto Chabul. Omni vita pendent, *inquit Seneca*, & inhonesta se ac difficilia docent, coguntq; : & vbi sine premio labor est, torquet illos irritum dedecus, & dolent se praua frustra voluisse.

li. de trā quillit. animi c. 2.

Tunc illos & pœnitentia cœpti tenet, & incipiendi timor, surrepitque illa iactatio animi, non inuenientis exitum, quia nec cupiditatibus suis imperare, nec obsequi possunt: & cunctatio vitę parum se explicantis, & inter destituta vota torpentis animi situs. Quæ omnia grauiora sūt, vbi odio infelicitatis operosæ ad otium profugerunt, & ad secreta studia: quæ pati non potest animus, ad ciuilia erectus agendiq; cupidus, & natura inquietus, parum scilicet in se solatiorum habens. Ideoque detractis oblectationibus, quas ipsæ occupationes discurrētibus præbēt, domum, solitudinem, parietes non fert, inuitus aspicit se, sibi relictum.

Hinc illud est tædium, & *displicentia* sui, & nusquam residentis animi volutatio, & otij sui tristis atque ęgra patientia. vtiq; vbi causas fateri pudet, tormenta introrsus egit verecundia, in angusto inclusę cupiditates, sine exitu seipsę strangulant. Inde mętor marcorq; , & mille fluctus mentis incertę, quam inchoata habent suspensam, deplorata tristē. Inde ille affectus otium suum detestantium, querentiumque nihil habere ipsos quod agant, & alienis incrementis inimicissima inuidia. Alit enim liuorem infelix inertia: & omnes destrui cupiunt, quia se non potuerunt prouehere: & ex hac deinde auersatione alienorum processuum, & suorum desperatione, obirascens fortunę animus, & de sæculo quęrens, & in angulos se retrahens, & pęnæ incubans suæ, dum tædet sui pigetque. Quod propriū est ęgri, nihil diu pati, & mutationibus vt remedijs vti, hoc istis.

Hoc se quisque modo semper fugit. semper pręsentibus infesta leuitate, quæ ab mentis angore.

Mare quos absorbuit vel euomit in littora, vel piscium escam facit: Mundus quos sibi immersit, eructat in infernum, draconi veteratori atque igni perpetuo in pabulū. Quęrit Bernardus. Dic mihi vbi sunt amatores mundi, qui ante pauca tēpora nobiscum fuerunt? Nihil ex eis remansit, nisi cineres & vermes. Attende diligenter quid sunt & fuerunt. sicut tu comederunt & biberunt, riserunt, duxerūt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt Hic caro eorum vermibus, illic anima eorum ignibus deputatur, donec rursus infelici collegio colligati sempiternis ignibus inuoluantur. Qui socij fuerunt in vitijs, socij erunt in pęnis. Vna namque pęna illos implicat, quos vnus amor in crimine ligat. O si quis ex vobis Satanæ offerenti Chabul, quando dicit, *Hæc omnia dabo tibi, si procidēs adoraueris me*; reponat. *Hæccine sunt Ciuitates, quas dabis mihi? Chabul?* Non placent. Mergere in abyssum cum tuo termino, qui à Deo disiungit. apagesis cum tuo scopulo, ad quem non nemo allisus. Viscum, 12.

copulas, compedes, gurgites, carceres, mortem, infernum, scio esse hac Galilææ lacunam. Tua tibi sunto. Non vrgebit super me puteus hic altus os suum. Si contempseritis offerentem, si effugieritis ab oblato pelago, si sic mundo vsi fueritis tanquam non vtentes; si Christum in Sanctæ solitudinis penetralia secuti, seculum reliqueritis; in Magno monte religionis vos exaltabit, cibabit, jllustrabit. & tandem sua præsentia dignabitur. In monte secreto Moyses a Deo jllustris. jn monte prærupto Elias vidit Deum. jn monte se saluauit Lothus. jn monte Abraham sacrificium acceptum obtulit Deo. jn monte hodie Iesus reficit turbas. Ascendite qui hoc capitis verbum, & lętitia sempiterna erit super capita vestra. Amen.

FERIA II. POST QVARtam Dominicam Quadragesimæ.

Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Ioan. 2. c.

CONCIO.

Deus vindex Sacrorum.



ASINA Balaami, se effrenem, & solutam cogitabat. Cum enim viso Angelo concidisset, sub pedibus sedentis Vatis, & ille iratus vehemētius, cædebat fuste latera eius, locuta est; *Quid feci tibi? cur percutis me? ecce iam tertio?* Num. 22 Ad eum fere modum hodie Hebræi inuenerat illos Christus reos maiestatis Diuinæ, cum in templo oues, boues, columbas diuenderent; ita vt locus ille fere spelunca latronum videretur, potius quam Deo sacrata Domus. & facto flagello ex funiculis, cædebat Sacrilegos. At illi velut Balaami jumentum, *Quod*, inquit, *signum ostendis nobis, quia hæc facis?* Vnde tanta auctoritas? Quis tibi potestatem, homines liberos, tanquam seruitia, flagellandi permisit? Christus vero tandem fortius pressit, donec scelestos e templo eijceret. vt se ostenderet, vindicem Sacrorum. de qua vindicta nobis sermo.

Et quidem Asina Balaami poterat excipere jure suo, contra Balaamum cædentem; eo quod & Angelum oculis animalibus vidisset, & Angelo linguam eius formante locuta esset, & Vatem cōtra Diuinam voluntatem abire sensisset. Sed Iudęi nullum tale aliquid, vel gannire poterant contra Iesum flagellātem. Ipse Angelus testamenti percutiebat. jpse etenim ius sacra ostēdebat; atque adeo justas vindicias sacrorum exercebat. & merito.

Cum enim & veteris Sacerdotij fuerit conditor, & noui secundum ordinem Melchisedech ipse primus hierarchus; clarum esse jllius jus in sacra vtraque, cuiq; patebat. atque ideo duplici flagello temeratores templo excutiebat; ne videlicet & Synagogæ ritus non sine honore sepeliretur, & ne Diuinorum sacrorum nouæ legis, siue templa, siue homines sacrati, prophana consuetudine violarentur. Non minores siquidem vindictas se sumpturum declarabat, de his qui temerassent sui Pōtificatus templa & homines, quam olim sumebat de his qui veteres Leuitas, & Domum desolatam prophanabāt. Namque si comparentur templa, templis; noua digniora vindicijs. jllic vnum, hic innumerabilia. jllic in vmbris, hic reapse Deus commoratur. jllic sacra, & sacramenta elementaria, & plerumq; puræ ceremoniæ,

Iure Christus flagellabat, templi temeratores.

& etiamnum castigat.

quia Sacratiora noua tēpla.

Hiere. 7.

rimoniæ, fidei in Christum venturum testatrices: hic mysticoDiuina, & tanti effectus, vt vi sua gratiā conferāt, animam depurent, Deum concilient, & Paradisi Ciuitatis jus concedant. Sacerdotes quoque Diuinioris ordinis in noua lege, quam in antiquata. illic successione carnis, hic flaminis electione. illic initiabantur sanguine & vnguine, hic spiritu Diuino. Agnos, capellas, vaccas, columbos, similas, & similes quisquilias tales, offerebant illi? Nos Agnum immaculatum Iesum, nos eum qui pelle nostrę mortalitatis tectus. nos quem rubens animal designabat. nos columbum amoris paterni, nos delicium panis Angelorum, in ara plusquam aurea immolamus. Quanto sacerdotium Melchisedechi præstat sacerdotio Aaronis, tantum & sanctitas templorum, & dignitas sacerdotum, & efficacitas sacramentorum, & magnificentia rituum, pręstat istis omnibus ex antiquata lege, in noua lege. Itaque sicut translatum est templum & sacerdotium a populo Mosayco, cum translata Mosayca lege; sic etiam transtulit Deus zelum ardentem ab illo & illis, ad hoc templum, ad hæc sacra, ad hos sacros. vt quisquis iniurius fuerit alicui, vel templo, vel sacris vel sacratis, velut læsæ maiestatis Diuinæ haberetur, & ab eo acciperetur. Illos veteres reputabat tanquam suum ocellum. vnde & testabatur. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quidni magis pro corde suo esse dignabitur nouos, quos non carne vituli, sed suo proprio corpore saginauit, & reficiendo populo sacerdotij dignitate dignatus est? Illud vetus tēplum, scimus quō vindicabat. Audio apud Hieremiam, increpantem Iudæos. *Numquid ergo spelunca latronum, facta est domus ista, in qua innocatum est nomen meum in oculis vestris? ego, ego sum: ego vidi dicit Dominus.* Quam vero magna cupiebat supplicia, sumere de temeratoribus? subiunxit in exemplum. *Ite inquit, ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum a principio: & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel, & nunc quia fecistis omnia opera hæc, & locutus sum ad vos mane consurgens, & loquens, & non audistis, & vocaui vos, & non respondistis: Faciam domui huic, in qua inuocatum est nomē meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco, quem dedi vobis & Patribus vestris, sicut feci Silo.* Satis declaraui, quāto in pretio habuerit Tēplum Salomonis, quod dum illi essent pij, tuebatur ab iniuria; sicut tuebatur Silo, dū alij quoque nondum impij. Quod si Templum Salomonis dignius quam olim in Silo papiliones, & Templo Salomonis augustiora templa Orthodoxorum, & sacerdotibus Templi Salomonis, digniores mystæ Ecclesię Melchisedechi sacerdotis Iesu Christi, & Templum Salomonis non minus in tutela habebat quam habuerat in Silo Tabernaculum, quousq; illi non improbi: an non acriores spiritus sumet, vt sumere solet ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis temeratoribus Ecclesiarum, Sacrorum, & Sacratorum?

& ordo Sacrator

Hiere. 7.

& Sacra Diuino-ra.

Oza *extendit manum suam ad arcam Dei & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerant eam.* Fuit officium religionis, & in Deum pietatis. verumtamen quia prophana manu tetigit sacrum, *indignatione iratus Dominus contra Ozam, percussit cū super temeritate. qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei.* Ista vindicta, vt vt non videtur intoleranda. Sed illa quam atrox? quando

2. Reg. 6.

quando *de viris Bethsamitibus septuaginta* nobiles, & *quinquaginta millia plebis* percussit, *eo quod vidissent arcam Domini*. Non iam miror Azotios propter eandem arcam castigatos, non Dagona electo ab eadem arca prostratum. Non illum regem doleo, qui extendens manum contra altare, arentem non potuit retrahere. non Heliodorum ab angelis vapulantem. non Balthasarum terno digito propter vasa temerata stratum; non Antiochum neque alios propter Domum illam intolerãdis supplicijs affectos, afflictos, cõfectos. Dignum erat. Qui enim aliquid Deo sacratum violasset, Capital erat. Si tam acer fuit in vindicando Templi, & altaris vmbratilis honore: quam nõ acer in Propugnandis Templis Christianis? Sacris Christianis? Christianorum templorum vasis, suppellectili & alijs bonis? Rapuerat quidam miles pagum Ecclesiæ, tempore Diocletiani imperatoris. & ecce mox infantem Deus excitauit, qui propalam inclamaret. *Ecce morieris*. Daphniticum templum iam in vsum Christianorum destinatum, volebat instaurare Iulianus imperator. & Deus illico incitauit idolum quod iam obmutuerat, vt vociferaretur, *Cadaueribus fetere locum*. hoc est reliquijs sacri pignoris Babylæ martyris. Malluium Ecclesiæ ab Ecclesia Remensi in bello ereptum, nolebat quidam miles restituere; & statim a Rege occisus occubuit. Veremundẽs Ecclesię suppellex a Clothario, altero Balthasaro rege, Deo currum sustiaminante cum curru moueri non potuit. ita vt oportuerit illum cum rubore reponere. In templorum spoliatores & temeratores, quando Episcopi instituerant orandum Psalmum cvij. miris supplicijs illos illos Deus enecabat. Scio quid Chariberto regi, possessionem Ecclesiæ S. Martini eripienti acciderit. Scio quid Arrianis insequente anno. Scio quid alijs militibus non multo post, quod tranantes flumen contis inhæserint. Scio campanam ex Ecclesia Senonẽsi Lutetiam a rege translatam, licet pia intentione transportasset, sonum perdidisse. Scio cuiusdam effringentis portas Ecclesiæ, pedem portæ impactum, in eadem immotum remansisse, nec euelli potuisse, nisi oratione S. Remigij. Scio cuidam oculos insperato erutos, qui pridem in Ecclesia imagines exoculabat. Scio S. Remigiũ iã olim defunctũ, pedo pastorali armatum, apparuisse cuidã vxori raptoris bonorũ Ecclesię. eamq; percussisse. Scio temeratores Ecclesię S. Germani Antisidiorensis, a S. Germano baculo percussos illud inclamasse, *Potentiores in hac Ecclesia viui quam mortui*. atque extemplo subiunxisse; *S. Germanus me baculo petit*. Scio Saracenis violatoribus Templi in phaselo traijcientibus flumen, duos ex Sanctis apparuisse, & scelus exprobrasse. qui cũ euanuissent, Saraceni submersi sunt, quasi plumbum in vehementibus aquis. Scio in insula Paro in Ecclesia Diuæ Deiparæ, laquearia super altare maius affabre facta fuisse, quæ dum Nyziris Arabs detracta efferre voluisset, augebantur per miraculum, ita vt per ostium non potuissent exportari. Scio Hungaros victores Saxonum, cum templa vastarent, tegularum scludis & particulis ex templo quodam decidentibus, partim abactos, partim enectos fuisse. Scio quẽdam Hungarũ, quod, in Ecclesia S. Baloli, in qua altare lapideum demoliri volebat, manum impactam lapidi Deus miraculo affixerit, quam ille nulla ratione retrahere potuerit. Scio quendam paralysi percussum a S. Alexio apparente, eo quod paludamentum ab Imperatore

Castigatus miles quendam. — *Baron. an. 302. & Iulianum.* — *an. 362.* — *& Clotharium.* — *& alios. Baro. an. 489. an. 527.* — *an. 570.* — 1. *an. 572.* — 2. *an. 573.* — 3. *an. 576.* — 4. *an. 615.* — 5. *an. 840.* — 6. *an. 843.* — 7. *an. 844.* — 8. *an. 845.* — 9. *ann. 846.* — 10. *an. 902.* — 10. *an. 916.* — *an. 937.* — *an. 1005*

peratore Ottone eius Ecclesiæ donatum, & pro necessitatibus Templi pro pignore relictum, quidam redemisset, & abusus fuisset. Scio alium militem raptorem bonorum Ecclesiæ, Deo vindicante a muribus comesum. Nimius essem si alios violatores Templorum & horum quæ ad Templa spectant, a Deo in orchæstra vindicatoria castigatos numerarem. Certum est, Deum non tam acriter vindicasse Templi Salomonis & Tabernaculi Aaronis, & Arcæ Testamenti iniurias, quam vindicare soler Christianorum Templorum & sacrorum, quæ sui juris esse assecuerat, his extra ordinem inflictis supplicijs.

Christus etiam est vindex sacrorũ hominũ in epist. ad Smyrnen.

Porro, quemadmodum sacrorum hominum iniurias vindicet, si scire lubet: prius præmitto ea quę de dignitate eorundem S. Ignatius martyr pronunciauit. Nemo, *inquit*, potior est Deo, neque similis ei. Neque Episcopo honorabilior in Ecclesia, sacerdotium Deo gerenti pro mundi salute. Neque regi similis est quis in exercitu, pacem & beneuolentiam omnibus Principibus cogitanti. Qui itaque honorat Episcopum, honorabitur a Deo. & qui inhonorauerit eum, a Deo inhonorabitur. Si enim quis contra regem insurgens, damnatione dignus est: quomodo vltionem euadere poterit, qui contra Episcopum aliquid egerit? Sacerdotium enim est summa omnium bonorum, quæ in hominibus consistunt; quod si quis inhonorauerit, Deum inhonorat, & Dominum Iesum Christum, primogenitum totius creaturæ & solum natura Principem Sacerdotem Dei. Hæc quidem S. Ignatius. Attexo quæ de Sacerdotum quoque dignitate Diuus Chrysostomus, cum Diuo Basilio Magno disseruit.

quorum max. est dignitas. lib. 3. de Sacerdotio. ca. 5.

Si quis, inquit, introspiciat quantum sit homini, carni adhuc & sanguini colligatũ, Beatæ illi & simplici naturæ fieri posse vicinũ; tunc diligenter intelliget, quod Sacerdotes, Spiritus sancti gratia honorare dignum sit. Per hos enim ministeria quæ vel ad rationem salutis nostræ, vel etiam dignitatis ordinata sunt, expediuntur. Hi namque qui terram incolunt, atque in ea conuersantur, cælestia dispensare meruerunt, & potestatem acceperunt, quã neque angelis neque archangelis dedit Deus. Neque enim ad illos dictum est; *Quæcunque solueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis erunt soluta.* Habent quidem & mundi principes vinciendi aliquam potestatem: sed quę in solis corporibus licet. Hoc autem vinculum quod sacerdotibus commissum est, ipsam contingit animam, transitque cælos, vt ea quæ operati fuerint Sacerdotes deorsum, Deus confirmet in cęlis, sententiamque seruorum Dominus ipse corroboret. Quid ergo reliqui est, si eis commissa est omnis potestas cælorum? *Quorumcunque enim dimiseritis peccata dimittentur, & quorumcunque tenueritis tenebuntur.* Quæ potest inueniri maior potestas? *Omne judicium dedit Pater Filio*; At hoc video a filio totum Sacerdotibus esse commissum. ac velut iam translati in cælum, & humanam transcendentes naturam, atque a nostris infirmitatibus liberati, in tantum euecti sunt Principatum. Quod si imperator alicui subditorum honorem impartiatur eiusmodi, vt quos voluerit in vincula contrudat, laxetque quos voluerit, dignus honore & conspicuus ab omnibus æstimatur: hic qui a Deo accepit, tanto maiorem his quę diximus potestatem, quanto est cælum quam terra pretiosius, & quanto pretio-

In ligando.

In indicando.

pretiosior anima quam corpus, ita ne modico affectus honore credetur, vt etiam aliqui suspicentur posse contemni? Procul, procul fiat ta lis insania. Neque enim aliud quam furor vocandus est, contemnere illud ministerium, sine quo nobis nec salus, nec ea bona quæ sunt promissa reddentur. Nemo enim valebit ingredi in regnum cælorum, *nisi ex aqua renatus & spiritu. & qui non manducat carnem Domini, nec bibit eius sanguinem, non habebit vitam æternam,* quę per nullius alterius, quã sanctis efficiuntur manibus sacerdotis. Nec gehennæ itaque vitare ignem, nec promissorum remunerationē potiri, nisi per illorum valemus officium. Isti enim sunt, qui nos spirituali affectione parturiunt, & generatione baptismatis exequuntur. Per ipsos Christum induimus, & per ipsos coniungimur Dei filio. per ipsos membra, beati illius capitis efficimur. Quomodo ergo nobis isti, non solum reuerendi magis quam aut Reges aut iudices, sed etiam magis erunt honorabiles, quam parentes? Illi quippe nos ex sanguinibus & carnis voluptate genuerunt, hi vero nobis demũ sunt regenerationis authores, & Sanctæ illius qua reformamur libertatis veræ adoptionisque filiorum.

In consecran.

in idem. c. 6. Et quidem Sacerdotes, in veteri testamento habebant potestatem curandi lepram corporis, immo non curandi sed ostendendi tantum eos quos constabat esse mundatos. & nostis quãtus illorũ violatoribus imminebat dolor? At hi nõ corporis lepram, sed immunditiam mentiũ, non ex parte probãdi, sed omnifariã mundandi obtinẽt potestatem. Propter hoc, qui hos despiciunt, magis mihi rei quam Datan & Abyron videntur, dignique maiori supplicio. Quoniam & illi, etsi indebitum honorem vsurpare voluerunt, tamen magnam habebant ministerij ipsius æstimationem, cuius se velle fieri participes, vel temeritate docuerũt. Hi vero, quanto huic officio multum honoris accessit, & in gloriam promouit amplissimam istos Sacerdotes, tanto ex aduerso quam Datan & Abyron, atque ausu maiore delinquunt. Neque enim ęquale peccatum est indebitum honorem velle persuadere: & quod tam magnũ est audere despicere, sed tanto grauius est istud illo, quanto distat inter ambitum & despectum. Quis igitur ad eo infelix, vt istos contemnat? Non puto prorsus inueniri talem, nisi qui malitia Diaboli commouetur. Sed reuertamur vnde discessimus. Non solum ergo in condemnationibus, sed in beneficijs maior virtus Sacerdotibus data est, quam carnalibus parentibus nostris. Tantum inter vtrosque differt, quantum inter pręsentem vitã & futuram. Alteri quippe in hanc, alteri vero in illam generãt & illi quidem nec corporalem possunt propulsarē mortem, nec incurrenti obsistere infirmitati: hi vero laborantem animam, & iam iamque perituram saluauerunt frequenter, alios de graui condemnatione liberantes, alios vero nec in leuem sinentes incidere. Nec vero hoc solum monendo & docendo faciunt, sed etiam orationibus adiuuando. Nec solum quando nos regenerauerãt, sed etiam deinceps potestatem habent indulgendi peccata. Infirmatur, *inquit Apostolus* aliquis ex uobis? *Adducat præsbyteros Ecclesiæ, & orabũt pro eo vngentes eum oleo, & oratio fidei infirmum saluabit, & suscitabit eum Dominus, & si in peccatis est, dimittẽtur ei.* Hos itaque per quos inęstimabilia beneficia conferuntur Ecclesiæ par est honorari ab Ecclesia.

in Sanctificando.

in benefaciendo.

Hono-

Ideoque plurimos eorum temeratores puniuit vt. Nantinũ Comit.

Honorauit Deus qui eos Angelos appellat, quique eos pupillæ loco sibi habere, ait, & si quis aliqñ eos violare ausus fuit, sentit a tergo mox vltorem Deum. Dabo exempla aliquorum.

Nantinus comes sub Childeberto rege Francorum, cum ob incertam homicidij suspicionem Heraclium Episcopum acerbè insectaretur, & collegam eius interficeret, bonaque ecclesiæ diriperet excommunicatus ab Episcopo, sed ab alijs Episcopis pecunia corruptis absolutus, mortuo Heraclio grauissima febri correptus, sese ab Heraclio Episcopo exuri, & ad Diuinum iudicium vocari, horrendis clamoribus testatus, expirauit. Cadauer eius nigredinem cõtraxit, ac si vstulatum fuisset.

Gregor. Thuron. lib. 5. ca. 35.

Anonymum Sacerdot.

Huic adnecto suppliciũ, quod sũpsit Deus de quodam Sacerdote, qui fuerat iniurius Sidonio Episcopo Lugdunensi. Offenderat in re quapiam Episcopum.

Cum illo mortuo triumpharet, Diuino iudicio se digniorem Episcopatu, ex morte Sidonij colligeret, cum pro inauguratione ciues magnifico epulo excepisset in Ecclesiæ domo, ipseque inter primos lætus accumberet, accidit, vt dum pincerna poculum bibituro offerret, simul etiam veniam peteret, vt liceret sibi somnium, quod ea nocte vidisset narrare. Annuente Episcopo, *visos sibi, inquit, ante venerandum iudicem, inter multos Sacerdotes Sidonium & quendam presbyterum, ei in viuit inimicum, in iudicio litigantes: sed Sidonium Victorem, præsbyterum in tranquillissimum carcerem coniectum. Quo facto, cæpit te quoque, o Episcope, Sidonius accusare, quod particeps iniuriarum eius fueris. Iudex autem ille sollicite inquisiuit, quem ad te mitteret. Hoc ego intelligens, cæpi me occultare, ne mihi id expediendum demandaretur. Verũ cæteris abeuntibus, cũ ego solus cõtremiscẽs relictus essem, ipse vocauit me iudex, & seriò ac seuerè, vt te accersẽrem præcepit. Id nisi facerem, extremum mihi supplicium interminatus. Quare te moneo & hortor, vt sine vlla mora ante iudicis tribunal te sistas.* Hac naratione ita exanimatus est Episcopus, vt poculo ex manibus lapso, ipse humi caderet, & moreretur. Tam atrocem vindictam, auertat a vobis Iesus Sacerdos, qui regnat in secula Amen.

FERIA III. POST QVARtam Dominicam Quadragesimæ.

Dæmonium habes &c. Ioan. 7. cap.

CONCIO.

In conuiciatores.



APVD quosdam, non homines sed truculentos carnifices, deliciũ est ad homines excruciandos, Murium tortura. Mures viuos famelicos, ventri nudo admouent, ollamq; imponunt ne elabi possint. Clausi mures, & fame rabidi, acutissimis dentibus ventrem miseri, cum summo cruciatu erodunt. Fateor, crudele esse hoc genus tormenti. Sed nescio næ magis crudele sit, illud linguæ Scorpiacæ, quando aliquis Probum virum, diro conuicio tanquam dente Theonino petit, feritq;. Appetierunt hodie Saluatorem Iudæi. & quis est, quem non mordeant viperini dentes? Dicam aliquid, dicis ergo, in Maledicos Conuiciatores.

Murium tortura grauis.

sed grauior a cõuiciatoribus.

Crudelitatem Conuiciatorũ enarrans Dauid aiebat: *Filij hominum,* *expl. loc. ps. 56. vers.*

quorum dêtes, arma, sagitta, gladius. dentes eorum arma & sagita, & lingua eorum gladius acutus. q.d. Quos tu humana facie præstantes, putas esse filios hominum, forte sibi persuades, lædorijs non esse armatos; neque esse nocentes? Dicis: Vnde illis maleuolentia feralis, si hominū humanissimorum nati? Quomodo ab eis nocentia belluina, si non cornibus, non vnguibus, non armis belluarum armati? Ad serram dentatam aspice. Quos dentes habes pro ebore, arma sunt; serræ & sagittæ traijcientes animam. lingua autem ex qua fauos & mella expectas, gladius est biceps, imo magis acuta quā gladius biceps. Ferreus penetrat carnem; lingua mentem. Serra dentata dissecat corpus; dentes vero eorum, Spiritum ipsum. Sagita configit cor, linguea arundo viscera & medullas cordis. Recte Placiades maledicentiam, siue vt ipse scribit maliloquium per *serram* significari obseruauit, siue id ob dentium seriem, quæ mordacitatem innuere videatur, siue ob inuisum stridorē, maximeq; auribus infensum, quem in nodos illapsa reddit, acerbo, *vt inquit Lucretius*, Horrore concitata. Satis apposite. Nam conuiciatoris maledicentia, quem non mordeat? cui vero non sit exosa? quem autem dum offendit, non findat?

Pierius lib. 42. hieroglif. maledicēte. Serra.

& pisces qui enses spata & linguæ. Cætaceorum genera qui viderūt, ferunt interea, *enses*, ac *gladios spatas, serras, & linguas* inueniri, & a similitudine eorum quæ recensui denominari. Xiphiæ pisci, sub naso ex quo respirat, & fluctus ipsi in branchias diffluit, in mucronem rostrum procedit, & rectum porrigitur, sensimq; & leniter in longitudinem & crassitudinem augetur. Et cum ad cætaceam magnitudinem peruenit, illius mucro triremis rostro similis est, quo pisces occidit, & contra nauem vadens, mucronato rostro eam perfodit ac demergit.

et Xiphię Aelian. li. 14. ca. 22.

& Violæ. Ouet. li. 13. hist. c. 4. Violæ quoque pisci superior mandibula est, in ensis formā porrecta, hinc atq; inde pectinis modo dentata; qua quicquid offendit penetrare dicitur. In Hispaniæ autem nouæ littoribus tradunt Spatam piscem, mucronem in capite prælongum gerere, vtrinque denticulatum serræ modo. quo etiam alios immanes cōficit pisces.

& Serra vocātur. Olaus li. 21. c. 10 Et serram piscem maria habent, cui serratum caput. In summo etenim vertice osseo, ac serræ modo dentato, vniuersa vis illius cōtinetur. Subit nauigia, secatq; ex industria: id suo opere expectans, vt naufragio sibi escam consequatur. & acus forātes gerūt maria, & linguas igneas; pisces sic dictos. Subit, *inquit Plinius*, in summa maria piscis ex argumento appellatus lucerna, *Aeliano, lingua*. Nam lingua eius ignea per os exerta, tranquillis noctibus relucet. Attollit mari sesquipedanea fere cornua, quibus primo perforat naues, quas lingua inserta comburit.

explicat. Eccl. 28. Non oportet profunda Oceani scrutari. Quisquis voluerit assimilia monstra inuenire, reuelet tantummodo quos æstimat vniones, hominis maledicētis dentes. Hic in vnius linguæ modico membro diros acinaces, acutas spattas, gladios flammantes, serras dentatas, & igneas linguas reperiet. Bene Sapiens in illam. *Lingua, inquit, tertia multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem. ciuitates muratas diuitum destruxit, & domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit. Lingua tertia mulieres viratas eiecit, & priuauit illas laboribus suis. Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierunt per linguam. Beatus qui te-*

ctus

ctus est a lingua nequam; qui in iracundiam illius non transiuit, & qui non attraxit iugum illius. iugū enim illius, iugum ferreum est, & vinculū illius, vinculum æreum est. Mors illius mors nequissima; et vtilis potius infernus quam illa. Qui relinquunt Deum incident in illam, & exardebit in illis, & non extinguetur, & immittetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos. Diduco & explico aliqua ex verbis Sapientis, in conuiciatores maliloquos dicta. Duabus immanissimis belluis, comparauit Conuiciantem linguam: Leoni & Pardo: duabus vero nequissimis rebus, scilicet morte & inferno nequiorem esse denunciauit, illam quę tertia appellatur.

hierogl. maledicet. leo et pardus.

Linguam tertiam, sunt qui interpretentur susurronis; propter verba immediate posita ab Ecclesiastico: *Susurro,* inquit, *& bilinguis maledictus, multos enim turbauit pacem habentes.* Esto sit susurronis lingua, similis Leoni & Pardo, nequior autē morte atque ipso inferno; eo quod illos quos leo, & pardalis, & mors & infernus non possunt diuidere, bisulca lingua tertij alicuius maliгnantis dissociat, inque inimicem armat. Tamen non adeo inuida est suorum dentium & emblematum illa, vt ea communicare nolit linguę; quæ propter maledicentiam nō amplius est animalis, neque humana; sed tertij illius nequam Aquilonaris, a quo panditur omne malum, vere tertia, idest Diabolica lingua.

Leo.

Leo quem ferijt dente, liuet ex veneno diffuso a vulnere per totum corpus. idem etiam tabo dissoluitur, vel phrenesi corripitur, sicq; in miserandum interit modum. Non absimiliter ille quem percussit maledicens lingua, solet in corpore, magis vero in animo atrari, tabescere, sicque a Theonis dente & in animo & in corpore mori. Saram vtramq; & Abrahami & Thobiæ iunioris, linguæ viperea ancillarum, vix non exanimarunt. Moysen Ducem populi, lingua maledica sororis magis affligebat, quam ex principatu honos oblectabatur. Dauidem mitissimum, lingua serpentina Semei maliloquentis, in eius extremo angore vix non emedullarat. Sed frustra adductarim istos & alios, qui a lingua conuiciante occisi. Vos ipsi abunde testamini, satius velle vulneribus cruentis confici, quam a maledicente lingua lacerari. Sed consolamini ab hoc duplici solatio. dum ex Tyrio serpente, scilicet ex conuiciatore aliquo, si crimina iacit, Theriacam vobis componitis; si tamen componitis correctionis morum: & patientiæ vobis merita ingentia, & laudes perpetuas comparatis, si tamen comparatis.

quam tolerare ual de vtile.

Apposite Pythagoras dicebat, his qui maledictis & irrisionibus se nimium lacessiri, non tolerabant. *Atqui,* inquit, *splenèticis etiam acria & amara prosunt, dulcia nocent.* Chabrias ab improbo quodam maledictis affectus, *Bene* inquit, *fecisti, quod nihil eorum quæ insunt prætermisisti. ego vero dabo operam, ne mihi in posterum insint.* Philippum Alexandri patrem conuitio afficiebat quidam, effreni præditus lingua. cumq; amici hortarentur, vt cōuitiatorem reprimeret: *Non est hoc,* inquit ille, *faciendum: ne amplius affectus & implicatus, plura in nos iaciat maledicta.* Idem dicebat, se suis conuiciatoribus gratiam habere, quod se meliorē redderent. *Ego studeo,* inquit, *illos mendacij conuincere: et si quid improbe fecerim muto consilium, & pęnitentia emendo factum.*

ad emendationem morum. Anton. in Melissan. 2. par. ser mo. 78.

Idem etiam adinuenit commentum, quomodo conuiciatores quis reprimere nullo negotio possit. De-

Plutarc. in apophthegmati bus.

ferebat apud eum Smicythus Nicanorem, quod sine fine illi conuiciaretur, quumq; amici suaderent, vt hominem accersiri iuberet, deq; eo supplicium sumeret, Philippus ita respondit: *Nicanor non est Macedonum pessimus: videndum est igitur, necubi nos cessemus in officio*. Vt igitur cognouit vehementer afflictum inopia, & tamen a Rege neglectum fuisse, iussit donum aliquod ad illũ deferri. Hoc facto, quum rursus Smicythus diceret regi, Nicanorem apud omnes sine fine prædicare laudes ipsius: *Videtis igitur*, inquit, *in nobis esse situm, vt bene aut male audiamus*. Immane quantum absunt ab huius gentilis ingenio, qui nunquam sibi videntur satis laudari, quum nihil faciant laudandum: nec student beneficijs aut officijs sibi conciliare beneuolentiam hominũ, sed vel metui, vel conuicijs aspergi malunt quam amari. cumq; sæpenumero faciant detestanda, idque palam; tamen perijt, quisquis ausus est hiscere.

Socrates etiam exemplo suo docuit ferendos conuiciatores, tales qui nihil veri criminis obijciunt. Cuidam enim admirãti, quod nihil in eum commoueretur, a quo conuicijs incessebatur; *Mihi*, inquit, *non maledicit; quandoquidem ea quæ dicit mihi non adsunt, nec in me hærent*. Atqui ob hanc causam hominum vulgus magis commouetur, si quid dicitur in immerentem. Boni quum male audiunt, sibi gratulantur, quod puri sint ab his malis quæ ipsis impinguntur, nec in se dici interprætantur: nihilomagis, quam si quis oculorum errore Platonem appellet Socratem, & in Socratem congerat maledicta; is non maledicit Platoni, sed ei quem existimat esse Platonem.

Sigismundus Imperator cũ apud eum accusassent purpurati maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ in suum Principem passim cõuicia iactaret, subridens; *An vobis*, inquit, *graue videtur illos male loqui, cum nos male agamus?* Indicauit autem in nobilsmetipsis situm esse, quod bene vel male audiamus. Sed ad ipsos conuiciatores reuerto.

Cõuiciatores sunt non absimiles pardis. Connata est hisce tãta feritas in hominem, vt non tantum viuentẽ, sed & in imagine fictũ vel pictũ dente & vngue petant. nõ tantopere propter carnem, quantopere pp fimum, quo siue delectantur, siue infirmi ægritudinibus suis medent. Qui eos venantur, solent sacculum lineũ fimo humano infarcire, & arbori appendere, ad cuius radices scrobem profundam absconderunt, vt dum appetit sordes, in foueam cadat. Tales maledici conuiciatores. His congeneum est, non facta & dicta tantum, sed & ipsum hominem, & eius insuper imagines carpere & maliloquijs incessere. quin & mortuos dudum incineratos maledicentia proscindere. Maledictum semen, quod nec vmbris defunctorum parcit; & hos quibus terram leuem imprecabantur, etiã ipsi gentiles, lingua stridula inquietat. An pauci ex hac *Canina litera* nomen & linguam circum ferentes? Sit honor sanctissimo Abbati Bernardo, cuius lingua melle dulcior, mellifllui nomen illi Doctori conciliauit. sed ab isto fauorum nomine, nescio quali fato, aliqui Bernardi degenerarunt, non mella Bernardea, sed fella draconea destillantes. Dabo illos. sed tales quib. in exitium eorum proprium, fuit maledica lingua.

3 *pardus.*

Franciscus Capellius eques, vir patricij ordinis insignis, reliquerat liberos mares quatuor; Carolum videlicet natu maximum, qui iuue-

Egnatius lib. 6. c. 2.

nis

nis adhuc immaturo quodam fato subreptus est: & Bernardum ipsi proximum. Qui vbi per ætatem honores aliquot assecutus esset, dum nimia libertate iuuenis adhuc vteretur, modo hunc publicè, modo illum accusans, minabundusque etiam se in reliquos talem futurum; tandem decreto Patrum, cui haudquaquam parendum sibi in animum induxerat, in perpetuum exilium abire coactus est. Nunquam suspicatus fore vt in libera Ciuitate, nimia sibi libertas officere posset.

Albertus Crantzius lib. 7. c. 72. Metropoleos.

Sequitur hunc Bernardus de Rayns, falsiloquus impostor, qui a priuatis domesticisque pestiferæ linguę cōsuetudinibus, etiam Regibus volebat imponere, & regna vsurpare, sed suo damno. Anno ducentesimo ac vigesimo quinto aut circiter post mille a partu virginis iuxta vrbem Andronopolim, Balduinus primus, Constantinopolitanus jmperator, Flandriæ comes in prælio a Græcis interfectus, nusquam repertus fuit: multique ob id eum adhuc viuere dixerunt: inuentusque est, qui se eum diceret. Per Belgicę enim partem, quę Flandria dicitur, in peregrini habitu, vir quidā nomine Bernardus de Rayns totus ex falsimonijs contextus, verbis signisq; permultis, fide apud plerosque facta, vt eū Balduinū esse crederent. Ob eam rem ingens hominum manus eum sequebatur, atque aliquot iam vrbes ad eum defecerant. Sed cum Ludouicus Gallorum rex diligentius rem illam inquirere vellet, is Ludouico ita requirente, Peronam venit. Vbi cum eum inspexisset, obstupuit, cum ex toto eius effigies Balduino simillima esset. Is vero nedum commemoratione quorundam a Balduino factorum, verum etiam conuicijs in quosdam sibi diffidentes aspersione, se omnino Balduinū esse asseuerabat. Ludouicus his nō contētus, alijs quoque modis de ipsa re, certiora eruere voluit. Itaque cum meminisset Philippum regem patrem suum, equestria ornamenta Balduino dedisse: ab hoc Balduini vmbris iniurio simio, qui mendaciloqua lingua, imposturas effutiebat, petiit, vt diē locumque atque modum declararet, quo equestri dignitate donatus fuerat, & vbi vxorem primo desponsasset, quæ regi Philippo arcta affinitate coniuncta fuerat. Quare is qui se Balduinum fingebat, cum se captum videret, tempus ad respondendum sumpsit: tandemque detecta fraude, qui Princeps atque jmperator illuc venerat, Perona in peregrini atque inopis viri forma abijt, a populis Flandrensibus desertus: quod his respondere nesciret, quę Ludouicus rex poposcerat, quę ei, si verus erat Balduinus, exploratissima esse debebant. Nec multo post, cum conuicijs & maledictis regem Ludouicum insectaretur, Herardi Castenaci opera in caupona quadam Burgundię captus, vt dignus erat, suspensus in patibulo: omnibus impostoribus & Conuiciatoribus exemplum reliquit.

Tertius sequitur Bernardus Carpius Alphonsi secundi Legionensis regis qui cognomento Castus dicebatur, ex Vermena sorore, quæ clam fratre Comiti Sanctio Santillanensi nupserat, nepos. Hoc solo commendatus, quod pietate paterna incitatus fecisset. cæterum propter motus & turbas ingentes, quas inquietus exciuerat, perduellionum supplicio dignus. Perturbatus erat Alphonsus vehementer, propter matrimonium sororis. qua propter illam quidem inter virgines monasterio inclusit, Comitem autem cui nupserat, perpetuo carceri damnauit, Bernardum autem Carpium ex eis natum aluit

Fulgos. lib. 5. 6.

aluit amanter. Qui cum in virum euasisset, meritis atque obsequio primum, liberare patrem enixus est. vt autem id non succedere conspexit, ad Mauros Crucis Christi & Alphōsi inimicos confugiens, Auumque maternum multis maledictis & conuicijs onerans, illorum auxilia implorauit. His coniunctus, quid efficere posset tentauit, neque vnquam viuente Alphonso destitit, neque inter missa vnquam per eum ista opera, cum Veremundo primo, Ramyro primo & Ordonio primo, qui omnes eo ordine in Legionensi regno successerunt. Tandem regnante Alphonso tertio, armis patrem recepit, iam non decrepitum modo, sed cęcum quoque. Fateor pietate impulsum. sed tamen video maliloquio, & fors nouandarum rerum cum patre studio, aduersus quinque potentissimos Reges, aduersæ religionis Mauros armantem, dignum gemello RR. sese præstitisse.

Sigebert in chronic. Sed ille quartus accedat Bernardus Italiæ rex, qui contra Patrem, contra eundem Imperatorem, contra Beneficum illum ipsum, se alijs fratribus anteponentē, tandem quasi alter Absalon, cōtumeliosus & maledicus primo, postmodum perduellis & parricida conspirationis reus, & criminis maiestatis adiudicatus, dignas lingua, manu, consilio, atque conatibus suis pœnas dedit. primo oculis & regno, deinde vita quoque priuatus. Ad quem modum sese infandus, parricida cōtaminarit? nolo reuelare alijs. ne horum quibus familiare est, maiorum suorum, a quibus ex stercore eleuati; a quibus ex pannosis tunicis nescio an tunicis? exuti & toga honora induti; a quibus si patres matres essent dicendi, visceribus plusquam maternis enutriti; a quibus ad dignitates sublimati; a quibus in croceis & violis habiti. ne inquam talium quibus non quidem quæ nulla viderunt reuelare, sed Canina littera geminata affingere, gemellæ Caninæ litteræ delicium est, probra reuelem. O tu Diue tutelaris, cur non exurgis? Vipereo & Chamitico semini, cur te ex alto nō opponis? Pegasus tua honora capita nō trasuolat sed calcat, sed tuos Sanctos cineres calcat, sed tuo sanctos Lari insultat, sed Diuorum Lararium Diabolico dente lacerat, sed tuos illos quos reliquisti lancinat; eia Caninam gemellam literam attende. Sed pro illis aliquibus ex stabulo Pegaseo natis, adiungo.......

Mirari me subit, quid est quod Deus iusserit Iosue, in bello asinos reseruare, equos autem aut occidere aut subneruare. ita enim Origenes legit edictum Iosuæ num. xj. cap. cum Iabin regem Asor, expugnare iussus a Deo esset. Prophetia quoq; alia est de Iesu, quia inquit, ***exterminabit currus Efrem, & equos Hierusalem.*** Per equum interpretabatur idem Origenes, corporis passiones, idest libidinem, lasciuiam, superbiā ac leuitatem, quibus infelix anima velut equitans vectatur, & fertur ad præcipitia. Subneruatur tūc iste equus, quando ieiunijs, & vigilijs, & omni abstinentiæ afflictione corpus humiliatur: & currus igni exuruntur, cum in nobis completur sermo Domini, dicens: Ignem veni mittere in terram, & quam volo, vt accendatur? Quo igne iam se illi ardere confessi sunt, qui dicebant, ***Nōne cor nostrum ardens erat in nobis?*** ideo ergo & ***fallax equus*** dicitur esse ***ad salutem***, si corporis nostri motus fieri permittamus infrenes, nec abstinentiæ iugo lasciuiam carnis, & superba colla subdamus. Ex his quæ Origenes docuit, educo, non inepte a quibusdam ficto a Poetis Pegaso alato, petulantiam maledi- *expl. loc. Iosu. 11.*

centis

centis linguæ, quæ a specie prudentiæ præsumptæ (si malitia prudētia est) originatur designari. Diduco.

Iabin, interpretatur *sensus* seu *prudentia*: *Asor* vero ex Hebræo significat, *Aulam*. Equi ergo Regis Asor Iabini, quos interficere aut subiugare iussit Deus, erunt sensus prudentiæ Aulicæ, & ex his maledicentiæ vnguis, & lingua volax p capita virorum. Itaque si quis erit, quem Paulus suo indice monstrat, *inflatus sensu carnis suæ*, & qui ab hoc tumore, tanquam aliquibus alis vento præsumptionis tumentibus inflatus, volabit per supremos apices Magnorum, vngue & dente maligno famam illorum petens, calcans, & lacerans; præsertim si a Borea aliquo Aquilonari, aut a Fauonio occubuo prægnās, Aulæ ex caula importunus ministellus: cui M. Camillus, ne triuio dignus; M. Scipio, arundo: M. Albertus, Nanus; & alij vel integritate vitæ vel doctrinæ splendore, vel rerum gestarum gloria insignes, nihili, probra, & stercora gentica in ore: cui præ se, omnes alij scelesti, ignaui, infames: an non huic recte Pegasi, vt vocabulum, ita etiam significatum adpinges? Nihil tali vngue, magis carpax. Nihil tali lingua, magis mordax. Nihil tali petulantia, magis volax. Pegasus Poeticus montium altos vertices proculcabat: hic illustrium vita & doctrina. Pegasus Heliconis rupes calce feriebat; hic ipsos Ecclesiæ vniones & pretiosas Cælestis Hierosolymæ petras. ille monstra aliqua dente lacerabat, & pede proterebat: hic ne Sanctis iam in pace quiescentibus parcere scius, maledica lingua. Adeo nihil est iniquius ijs, qui ex hara Pegasea, more Scarabæorum volaciū fimo pasti: & vt Comicus ait;

Pegasus hieroglif. impudēt. male dicunt.

Plaut. in Trinūmo.

Nihil est profecto stultius, neque stolidius
Neque mendaciloquius, neque argutum magis
Neque confidenti loquius, neq; periurius
Quam vrbani Assidui Ciues, quos scurras vocant *id est. Assidētes, seu domestici*
Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt
Quod quisque animo habet, aut habiturus est, sciunt
Id quod in aurē rex reginę dixerit,
Sciunt quod Iuno fabulata est cum Ioue,
Quę neq; futura, neque facta sunt, tamen ij sciunt.
Falson, an vera laudent, culpent quem velint,
Non flocifaciunt, dum illud quod lubeat, sciant.
Omnis mortalis hunc aiebat
Indignum ciuitate hac esse, viuere.

Sed sustineo reuelare personatos vultus huius Pegasei Behemothey. *Iob. 41.* *Quis enim*, vt interrogabat Iobus, *reuelabit faciem indumenti eius? & in medium oris eius, quis intrabit? Portas vultus eius quis aperiet?* Nullus. Non mirum. *Per gyrum* enim *& 39.* *dentium eius formido. Gloria narium eius terror. Terram vngula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis. Contemnit pauorem, nec cedit gladio. Fremens & feruens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Vbi audierit buccinam, dicit; Vah. procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.* Sed veniet, veniet tandem tempus quando super calcepotentem & linguapotentem Pegasum *Sonabit pharetra, & vibrabitur hasta & clypeus.* & Deus omnipotens mittet aliquē Iosuanæ militię fortem, qui vel subneruabit, vel eneruabit Pegaseos volaces. Cantabit tunc nonnullus ex afflictis ab Pharaone currifluo, *Hi in curribus & hi in equis, nos autem in no-*

in nomine Domini nostri. Cantemus ergo *Domino, gloriose enim magnificatus est; equum & ascensorem proiecit in mare*, cui lusus erat, ex magnis lusum ludere.

expl. loc. Apoc. 6. Sed non possum prætermittere, quod vidit Ioannes Christi Iesu dilectus. *Cum aperuisset Agnus sigillum secundum, audiui*, inquit, *secundum animal dicens: veni & vide. Et exiuit alius equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra: & vt inuicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus*. Quis ab aurei coloris tolutario, talia, speraslet? Pacirupam? Parricidā? pro oliua pacis, Ciuici mucronis gestatorem? *Quomodo obscuratum est aurum? Quomodo mutatus optimus color?* Nihil mirum. Quod in prouerbio est: *Aper si cornua haberet, nihil eo ferocius futurum esse*. Factum. Apro insidente, Pegasi dorso. Parum erat aliquibus vngue & dente probos lancinasse, Turbalionisque Plautini nomen sibi adsciuisse, nisi & Suem, grunnientem subantemque in suo dorso accubuum, gladio maledicentiæ, falsiloquentiæ, Pacistollentiæ, nescio magis armare, an tolerare. Secreta hęc magna non refero. namque nec ego cum Saule. Aio tantum, ex Maledicentię schola rubro crine tincta, sub hac imagine equi rufi, posse adumbrari maledicos falsidicos Pacirupas, quibus deterius, nihil vnquam tulit mundus. quando erumpunt in illud, quod Dauid

Ps. 73. deplorabat. *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum; transierunt in affectum cordis. Cogitauerunt & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt. Posuerunt in cælum os suū, & lingua eorum transiuit in terra.*

Conuiciatores morte & inferno acerbiores. Conuiciatores morte & inferno acerbiores. Mors vnicuique, semel definita, hi cum sanam linguam effrenauerint semel, numquam quiescunt homines conficere. Mors vt mors, animam tm̄ a corpore; lingua vero malilo qua ab homine, animam, facultates, vxorem, filios patrem, matrem, Diuos, Deum insuper ipsum, propter patientiam, per eos, quibus maledicere promptum, aliquandoque fractam, secernit.

Infernus, non nisi nocentes absorbet? Viperea lingua, etiam Iesu innocentissimo, hodie vsque maledicit. Viperea lingua etiam lucē, tenebras dicit. Viperea lingua, etiam Sāctissimo, maledicit. Semei nequam maledico, adlibuit Pegaseo vngue, Dauidi afflicto, *Vir Belial* adsculpere. Micholi coniugi contumeliosæ adlibuit Pegaseo vngue, Regi Dauidi afflicto, *quam decorus rex tāquam scura vnus de scurris?* affingere. Nō miror iam Nabalum procacem, Pegaseo vngue scalpentem Dauidem: *Quis est Dauid? & quis est filius Isai?* Nam etiam hodie cerno Chamogenitos Pegaseos, Chamo patre nequiores filios, non quidem illud quod Nabal stultus dixit; *increuerunt serui qui fugiunt Dominos suos*, sed peiora tentare; scilicet a suauitatis Parente & Altrice, ad gemellam Caninā, Pegaseo Monstro alato linguam felleam declinare, eamque stridere. *1. Reg. 25*

O tu patientiæ Mysta, quisquis hoc Pegaseo vngue vel lingua læsus? ne patientiam frange. Cito nata, cito intereunt. Pegasus altè volat, altè cadit. Cito volat, cito cadit. Non diu subsistere, locustę. Sustine. Modica tēpestas est, fors tuo superfluo digerendo mixta. Enecabitur in suo, quod amauit, fimo.

Aezonéses αἰξωνεῖς municipij tribus Cecropiæ, fuerant incolæ. Hi male audiebant, vt maledici. Vnde αἰξωνεύεσθαι, est maledicere. Quamobrē Plato quibusdā maledicis; *nihil* *Suidas.*

ad

ad ista inquit *dicam, ne me, quamuis quod dicerem non deesset, Aezonensem putetis.* Forte maiores nostri, qui maiorem partem vocularum a Græcis deriuarunt, ab Aezonis, Camizelatos côuiciatores gemello rr. ditatos cognominarunt, quod ijs plerique Pegaseo dente & vngue armatis, vngue & dente mordere, & calcare prôptum. Tu quisquis ab his pateris obdura. Beta cito crescit, cito marcescit. Audi Magnum Athanasium, de his qui *post Vergilias nati*. Iulianus fuit apostata, qui Magnum Patientiæ Sacerdotem calumnijs & côuicijs onerarat. Meretrix probrû exprobrabat, Arsenius manû tertiâ ostêdebat. neque deerant detractiones, sed conuicia, sed calumniæ. Tandem Athanasius Imperatoris mandato, propter hæc maledicta Pegasea, id est volacia, profugere coactus, ad eos, qui eius abitum merentes ferebant; *Bono,* inquit, *animo este filij. Nubecula est, breui euanescet.* Euanuit. Namq; quod portendebat in Thracia ostentum, quum post vindemiam Vergiliæ occiderent, vites gemmis, & vuis recentibus germinarunt, & ros ex aere, in ipsum comitesque eiusdem Imperatoris ita diffusus est, vt gutta quælibet, in sagis illorum Crucis formam repræsentaret. Cruce signatos indicabât, qui cum Christo patientes. Nam signati Christiani, Mercurio Magno Duce, impium Pegaseum volacem prostrauerunt; vitium germinatione intempestiua, eius intempestiuum neque diuturnum maliloquium portendête. Tu etiam quisq; es ab hoc eodem dente momorsus, Caluum Pegasum contemne, Rufum asturconem sperne, Belluâ gemela canina, ne pauesce. Cito deuolabit, & perênitatis meritû tibi accumulabit, apud Maleloquorû Aezone Chamæzelonensiû iustum Vltorem.

Athanasii consolatio in calumn.

Niceph. lib. 10. c. 2.

FERIA IIII. POST QVARtam Dominicam Quadragesimæ.

Non est hic homo a Deo &c. Ioan. 9. cap.

CONCIO.

In Calumniatores.



NESCIO an hominis, an dæmonis sit illud inuentum, quo, ad miseros torquendos, capre linctus adhibetur. Plantas pedum, muria vel aqua salsa, solent optime perfricare. Admouetur capra, quæ salso sapore allecta, lingua aspera lambens pedes, incredibilem dolorem excitat, & risu Sardonio deliquium hominum inducit. At qui ego magis infandum tormenti genus pronuncio, cum aliquis impius, pio alicui infestus, per calumniam scelus affricâs, asperioribus quam caprarum linguis lacerandum exponit. Hoc genere torměti excruciant hodie; Hebræi Christum innocentem, dum sabbati violatorem, non a Deo sed ab aliquo Beelzebubo natum calûniantur. In istos impudentes & infandos Tortores, mihi hodiernus sermo.

Tortura a linctu capræ.

Multo atrocior a lingua maligna.

Non omnibus, sed magnis, calûnia suum atrum K imponit. Crassus erat ciuis Romanus, non K charactere calumniæ, sed contumelia dignus. Aderat etiam suo tempore Sicinius, leui momento amorem simul & odium permutâs, eorûdemque hominû in vno momento & accusatorê & patronû se præbens, cui non insolens multa maledicta, conuicia, & calumnias in quoscunque iacere. Is aliquando rogatus, *cur soli Crasso non malediceret, cum am-*

quæ non Crasis impudentib.

Aenigma.

pliſſimam maledicendi materiam haberet? non facio, inquit: *Fœnum enim in cornu habet*. Bene. Calumnia illos Caluos, & Craſſos, imo nec Aprum de ſylua, nec ſingularem Ferum, qui depaſcitur vineæ botros tangit. quia fœnum de cornu, vel vt puluinar ſubſternere, vel vt caminum ſiccendere occurſantibus poſſunt: vt illi emolliantur molli ſtramento, hi vero abſtereantur igne accenſo. Ideo facile erat, in Chriſtum innocentem calũniatoribus incurſare. non enim iſtud fœnum in cornu geſtabat, qui nec perſonam cuiuſque accipiebat, neque linum fumigans extinguebat.

Sed probis imponit.

Sed quã abominandi fuerint, & ſint calumniatores? Quã pernitioſi generi humano? Quam denique ſibi ipſis nocentes? Non eſt difficile ab ipſo vocabulo demonſtrare.

recte Diaboli vocabulo ſignata.

Calumnia Latinis, Grçcis Διαβολὴ dicitur. Quo titulo oſtenditur, illã vel Diabolo Serpẽti antiquo nomẽ dediſſe, vel etiam ab eo ſumpſiſſe. Dicam ego vtrumque. Nam & ille calumniator appellatur, in Sacra ſcriptura; & calumnia Diabolicum vitium, a Diabolo deriuatum, nominatur: propter abominationem, propter perniciem, propter nocentiam. Singula expedio.

propter figulmam.

Abominandus eſt dæmon, propter fictionem, ex qua ſolet multa indigna probis affingere. Scit de Iobo apud Deum deponere, *Nunquid Iob fruſtra timet Deum? Numquid non vallaſti eum opibus & filijs?* Sed recitabo vnum eius nobile commẽtum, quo Fortunatum Tudertinę ciuitatis Epiſcopum, infamiæ probro laceſſiuit ipſe calumniæ parens. Per ipſum ab homine expulſus, peregrini formam aſſumpſit, & cum clamore incedens paſſim queri cæpit, quod Fortunatus Epiſcopus (qui ab omnibus hoſpitalis ac pius exiſtimabatur) ſe ab hoſpitio ſuo, cũ iniuria exturbaſſet. Hũc quidam malignis rumoribus nimis credulus, ac ſimul vt ſe munificentiorem Epiſcopo oſtenderet, domi ſuæ accepit. Sed dum vnà cum illo ad ignem ſedens (frigus enim erat) Fortunato licentius detraxiſſet, animaduertit confeſſorem ſuum nuſquam comparere, & filium paruulum iam ab eo poſſeſſum, vertiginoſo volutatu inter prunas deijci, vitaque deſtitui. Vnici tandem orbitate didicit infelix pater, quantum ſcelus ſit, & quale crimen, Sanctorum hominum vitam, vel cauillari, vel cauillantibus facile credere.

cuius exẽplũ oſtenditur in Fortunato.

Præclare imitantur ſuum Parentem omnes ſycophantæ, qui non tãtum vitia ſceleraque grauiſſima ſolent pijs imponere, ſed etiam virtutes in ſcelera demutare. Humilem appellant hypocritam, ſimplicem fatuum, ieiunantem phreneticum, nõ ieiunantem guloſum, delinquentes corripientem durum & aſperum; quieti ſtudẽtem, deſidẽ & ignauum. Vt merito illis imprecetur Dauid, *Erubeſcant impij, & deducantur in infernũ, muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur aduerſus juſtum jniquitatem, in ſuperbia & abuſione.*

quæ etiã virtutes mentitur eſſe vitia.

Quid Diuo Baptiſtę non affinxerint? Quid ipſi Ieſu Saluatori? Ita audio ipſam innocentiam atteſtantem. *Venit* inquit, *Ioannes Baptiſta, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis, Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum*. Eundem vero Saluatorem noſtrum, in Beelzebub eijcere dęmonia dicunt, ne in eo, Dei virtutem confiteri cogantur. Et cum ſe ille à dextris virtutis Dei ſedentem, in nubibus iterum venturum reſpondiſſet; *Blaſphemant*

mant, inquiũt, atque ipsum qui mortuos viuificauerat, *reum esse mortis*, iudicant. Adeoque nihil verè videre potest liuor, vt innocentem & iustum crucifigi homicidam, & seditiosum dimitti exposcant. Barrabas liberatur, Iesus occiditur. O execrandam calumniam. Quam autẽ exe̅cranda talia judicia sint; Salomon aperit dicens: *& qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum*. Solentur se exemplo Iesu, hi quos atra fuligo infamiæ inatrauit. Si Patremfamilias vocare audet improbitas, quod vel his similia, vel alia leuiora imponit jnnocẽtibus. jmponit autem non semel, vel per eos qui Sancti videntur. Narrabo aliquos in exemplum.

etiã Sanctos perijt.

Ephrem eremita columnam ignis ad cælum vsque porrectam viderat, audieratque talem esse magnum Basilium episcopum: & hac visione illectus, Cæsaream venit, vt tantæ existimationis hominem oculis quoque consideraret. Sed cum solenni Epiphaniæ die, Pontificali pompa in magno clericorum cætu fulgentem conspexisset, ipsum elatę superbiæ columnam esse censuit, non ignitæ charitatis. Vocem postea e cælo delapsam audiuit, multo plus ipsum voluptatis capere, fellem, quã in cella sua habebat manu demulcendo, quam Basilium episcopum sacris vestibus sese exornando. Mox a Basilio accitus, cum eiusmodi obtrectationis errorem sibi obijci audiuit, cognouit Deum in eo esse, qui aliorum arcana ei reuelaret. Prostrauit ergo se, & peccatum confitens veniam petijt. atque ita iam deinde, vt erat, de ipso definire cæpit; quanto scilicet exteriori apparatu elatior videretur, tanto interius humiliorem esse.

Basiliũ.

Athanasium.

Notissima est & illa impostura, quam Magno Athanasio affinxerant Ariani in synodo Tyri. Insimulauerunt illum stupri cuidam feminæ illati, tum deinde maleficiorum: propter quæ, manum cuidam Arsenio dicebatur recidisse. Verum Diuina prouidentia res detecta est ad hunc modum. Siquidem, *vt Nicephorus retulit*, ambas calumnias ridiculas esse ostendit. Siquidem quum mulier in medio consilio assistens Athanasium incusaret, presbyter quidam Alexandrinus Timotheus, qui ibi aderat, sicuti ei cum Athanasio clam conuenerat, causam scilicet perinde atque propriam in se recipiens: *Itane tandem*, inquit, *mulier a me tibi oblatum esse vitium dicis*? Atque illa. *An vero non a te*? ipsum digito demonstrãs, dixit. tempore quoque & modo, vt vis ei illata esset, adiecto. Et hoc quidem crimen, vt ridiculum, sic facile est refutatum. Deinde manus Arsenij producta: & accusatio non iam verbis, sed factis instituebatur. Ille vero dextre admodum & prudenter criminationi obuiam iuit. Interrogauit namque, *an ex præsentibus quisque Arsenium nosset*. Atque nonnullis, nosse se eum dicentibus, Arsenium in concilium adduxit, sub veste manum vtramque tegentem. Et tandem: *En vobis*, inquit, *mortuus presto adest*. atque vna illius, mox quoque altera producta manu: *En*, ait, *Arsenium habetis, manus duas habentem: tertiæ autem locum vbi quis inueniat, accusatores mihi ostendant. Deus siquidem conditor, in principio hominem prorsus trimanum non creauit*. Calumnijs his aperte ad eum modum confutatis, doli architecti rerum suarum satagentes, turbæ se immiscuere, & fuga sibi consuluere.

Niceph. lib. 8. ca. 49.

Hilario quoque Magno, vide quomodo imposuerit malignitas. (Conscripserat quendam librum Catho-

Hilariũ. Fulgos. lib. 8. c. 1. ex Ruffino.

lice. heretici librum nacti fraude sua viciarunt, & in cella in eo loco condiderunt, in quo primum habebatur, cum nullum vitium inesset. In Concilio postea, Hilarius, dum per contumelias res ageretur, hæreticus appellatus, vt obiectum crimen reipsa dilueret, librum quem Catholice scripserat, cum proferre vellet, fraudis ignarus, vitiosum protulit. Quæ res & ipsum a recto sensu, præadmiratione doloreque simul abalienatum reliquit, & alienos vehementer in eum commouit. Itaque alieno scelere extra Ecclesiæ gremium factus, a Catholicorum communione, quasi hæreticus fuit depulsus.

Chrisostomum. Addā illud quod Ioanni Chrysostomo Constantinopolitano episcopo euenerat. Conuocata synodo Cōstantinopolim, principis etiam authoritate, Theophilum Alexandrinum antistitem euocarat, quem grauissimorum criminum in Christianam pietatem reum, synodi judicio damnandum exhiberet. Ille vero quum Constantinopolim venisset, magna suorum manu comitatus, tantæ fuit audaciæ, vt & ipse intra vrbem cōcilium celebrarit, ad quod ipsum Ioannem citare non dubitarit. Cæterum quum nihil superesset, vnde Chrysostomo negotium facessferet, vt inuidiam illi apud Principem conflaret, quasi Augustam eius vxorem Iezabelem in publica concione nuncupasset, iussu Principis in exilium actus est. Sed quum grauis terræ motus vrbem ipsam statim concussisset, vniuersæ Ciuitatis studio vir innocentissimus, suæ sedi restituitur. Colligant sibi hi qui a calumnijs impiorum obruuntur, antidotum salutare, vt quicquid a Diuina permissione illis contigerit, ferant patienter, in Deo spe collocata. Qui n. Iobū a stercore depurgauit, potens est & quemlibet criminibus impositis castigatū emaculare.

Abominandus dæmon, perniciosus est mortalibus. Velut enim draco, rictu diducto, quærit quem vel deuoret, vel aliquo malo aspergat. sic & Diaboli æmuli calumniatores, non nisi perniciem humanam quærunt, tanto perniciosiores, quanto rem prætiosiorem famam eripiunt. Bene Diuus Gregorius in eiusmodi, explicans illud Iobi, ***propter multitudinem calumniatorum clamabūt, & eiulabunt propter vim brachij tyrannorum***: Calumniatores, ***inquit***, rectè dicere possumus omnes iniquos: non solum qui exteriora bona rapiunt, sed etiam interna nostra dissipare magis contendūt. Illi namq; ea quæ nobis extra sūt, inuadere ambiunt, isti vero nos prædari interius quærunt. Illi amore rerum, isti non cessant odijs sæuire virtutum. Illi inuident quod habemus, isti quod viuimus. Illi student rapere bona exteriora, quia placent: isti satagunt interiora bona dissipare, quia displicēt. Quanto igitur morum vita, a rerum distat substantia, tanto grauior calumniator est, qui male viuendo vim nostris infert moribus, quam qui violenter opprimendo damna ingerit rebus. Nihil iste de nostra sustentatione subtraxit, sed exempla nobis perditionis apposuit. Eo ergo grauiorem calumniam intulit, quo quietum cor in tentatione commouit. Qui & si nequaquam nobis actionis suæ opera persuasit, pugnam tamen tentationis ingessit. 2. *propter perniciē*

Qui ex physiologia mores docuerunt, calumniatores Bonaso, noctuæ, scorpio, coturnici, purpuræ, Basilisco, vespis, gladio assimilauerunt, atque has pro notis calumniæ hieroglyphicis esse voluerunt. *hierogl. calūniatorum.*

Bonasus animal, quoniā cornibus inutiliter implexis non potest læde- 1. *Bonasus.*

re, fugiens fimum reddit, cuius con-
tactus insequentes vt ignis aliquis
comburit. ita calumniatores, quo-
niam veritate non audent congre-
di, a tergo sparsis imposturis conta-
2. *noctua.* minant hominem. *Noctuae* aues inau
spicatae, noctu gementes (nam haec il-
lis vox est) mortalium turbant quie-
tem. ita virulenta calumniatorum
lingua, semper aliquod spargit, vt iis
dem peius atque noctuae incommo-
3. *Scorpius.* det. *Scorpius* venenum in cauda ge-
rit, & obliquè ferit: ita impostores
quidam in fine virus effundunt suu,
4. *Coturnix* & dissimulanter laedunt. *Coturnici*
veratri semen gratissimus est cibus,
eoque saginantur: ita calumniato-
res maledicentia & virulentis dictis
impendio delectantur, atque iisdem
5. *Purpura.* aluntur. Calumniatorem maledi-
cum, probos improbosque aeque car
pentem significare qui volebant,
Purpuram exerta pingebant lingua;
quae quidem illi tam acuta & valida
est, vt ea & conchulas, & quascun-
que sui generis testas perforare pos-
sit. Namque talis est Calumnia, cui
nec Aiacis scutum, nec clypeus Mi-
neruae, neque Adamantinus murus
6. *Basilisc.* sufficiens ad resistendum. Porro si
hominem a calumniatoribus male
acceptum & mortiferis delationibus
afflictatum significare vellent, *Basi-
liscum* apponebant. Non enim alia
ròne calumniatores hoies eficiunt,
quam faciat *Basiliscus*. Eius vis est si-
ne morsu perniciosa ita & istorum.
clam siquidem illi Principum auri-
bus insusurrant, nullo palam morsu
infixo: quo diluendi ansa praeripia
tur, atque ita plerique falso delati,
7. *Vespa.* extrema quaeque pertulere. Porro
per *vespas* etiam significabant ca-
lumniatores, quod non secus quam
illae, sint mordacissimi. Quamobrem
scripsit quidam, non inlepidum
emblema in Archilochum calum-
niatorem.

Archilochi tumulo insculptas de
marmore vespas
Esse ferunt, lingua certa sigilla
mala.

Sed nescio an aliquis magis apposite 8. *gladius.*
quam Pythagoras, qui *gladij* plagam
quam linguę leuiorem esse dicebat.
ille enim corpus, hęc animum, vulne
rat; & pręstantiora bona quam ille
pręcidit. Thearidas, cum gladium
cote acueret, rogatus a quopiam,
Num esset acutus; *Acutior*, inquit,
calumnia. grauiter innuens, rerum
omnium nocentissimam esse ca-
lumniam. Demostenes *viperino* mor 9. *Vipera.*
sui similem, imo peiorem illo dice-
bat calumniam. Neminem vnquam
vestrum, *inquit* fortasse vipera mo-
mordit, neque phalangium, & absit
vt mordeat vnquam. Sed magis ab-
sit, ne vos mordeat calumniator, qui
peior est viperina natura.

An vnquam vidistis imaginem *imago calumniae.*
calumnię? Talis a Luciano depingi-
tur. Ad dextram considet quispiam
auribus pręlongis insignis, quales
fere illę *Midae* feruntur. manum por-
rigit procul accedenti calumnię.
Circumstant eum mulierculę duę,
Ignorantia, ni fallor, ac *Suspicio*. Adit
aliunde propera *Calumnia* eximiè
compta, vultu ipso & gestu corporis
efferam rabiem, & iram ęstuanti
conceptam pectore praeferens, si-
nistra facem tenens flammiuomam,
dextra secum *adolescentem* capillis
prehensum, manus ad superos ten-
dentem, obtestantemque immorta-
liũ Deorum fidem rapit. Anteit vir-
pallidus in speciem impurus, acie
oculorum minime haberi; caeterum
plane iis similis, qui fontico aliquo
morbo contabuerunt. hinc facile
conijcias *Liuorem* esse. quin & mu-
lierculae aliquot Calumniam sequun
tur Comites, quarum est munus Do
minam hortari, instruere, comere:
interpres, aiebat, *insidias* ac *fallaciam*
esse.

esse. a tergo lugubri habitu pallere, laceraque *Pænitentia* subsequi, quæ capite in tergum deflexo cum lachrymis ac pudore procul venientem *Veritatem* excipit. Hac Apelles fabula lusit casus. Istud namque totum est schæma Calumniæ. Apud nullũ enim illa apricatur, nisi apud istos Magnos Auritos, qui vel auro raptando, vel famæ alienæ carpendę nati. Nihil hi agunt, quam quod exporrecta aure, in meridiano expectant, singulas venientes. Quid noui Affrica? Quid monstri Tingis? Huic ad aures inflat, *Suspicio* præcox, quę cito credit. Alteram obturat *ignorantia* hebes, quæ facit ne delata, exactè, & in suo vultu sciar. Facile deinde ad eum arrepit *Kalumnia*, mentiri scia. Nam probè compta est ab ancillante *Insidia* atque *Fallacia*. quæ, ali quo non penetrant? cuius non petunt latus? Satius esset cum habitantibus Cædar latronibus demorari, quam inter vel FALSOS FRATRES, vel filios hominum, qui scorpionum instar. Procedit enim aliquis, vultu amicus, animo hostis: & tu putas aliquem, vel ab eremo Antonium aut Paulum, vel a seculo aliquẽ Iobum simplicem esse, cui te credis. Falleris. *Inter scorpiones habitas*. quorum alter blando sermone, alter abscondito aculeo, te ad Midam auritum trahit. præsertim si feruida Regina Kalumnia, fronte decalua & verrucosa, manu vero flammiuomæ inuidiæ tædis armata, excandescens incedit. Tunc enim demum, accedente etiam pallido, sed oculato *Liuore*, etiamsi tu Ioseph pallium in manu salacis reliqueris; adulter esto. etiam si tu aliquis Hieronymus eremicola innocẽtissimus, de Paulæ stupro suspectus esto. etiã si tu ali qua Susanna, mortem voluptati anteponens; pudicitiæ violatę causam dicito. etiamsi tu aliquis Isidorus Sanctus, cuius vmbram ipsi ethnici adorent; tamen tibi quispiam exoletus, quindecim aureis a Theophilo (& audi, & te quisquis pateris consolare; quam impudens? quam atrox calumnię lingua?) Patriarcha Alexandrino emptus, stuprum imputabit. O Deus exurge, & judica nocentes, nocentes. Hoc deerat viris sanctitatem professis, vt KALVMNIAE confirmandę, atros calculos adijcerent. ò Deus scis quibus? Narrarem quid Theophilus Alexandrinus, S. Isidoro instruxerit. Sed Sanctis auribus parco. Inuidia, inuidia. Tu quę olim Magnum in Ecclesia Tertullianum, quę Magnum etiamnum Hieronymum, quæ Magnos etiamnum Athanasios, Chrysostomos, Eustathios, Narcissos, quin & Maximos Pontifices Romanos, Christo proximos, quin & ipsum Iesum meum, ad iniquum Tribunal adduxisti, & cui parces? cui parcis? quem ad prælongis auriculis Midam non raptabis?

explicat.

Equidem aliqui Imperatorum, in calumniatores supplicia non extrema statuerunt. Scio Quadruplatores: Scio & alios ab hoc foro indigetatos. Sed cui bono? Nec linguas solutas prohibuerunt, & materiam Maximam, Magnę & excelsę virtutis detraxerũt, Kalumniam. An omnis quisquis est ab hac furia ferali oppressus, non in aperto videt *Pænitentiam*, lugubrem, subsequacem esse Kalumnię abstergentem, quod impudica illa Liuentia affinxit? Sero molunt Deorum molę: attamen & Hieronymus, & Athanasius, & Eustatius, & Narcissus, & illi alij Magni, velo malignitatis reuelato, sua lumina innocentię mundo exeruerunt. Rumpere inuidia. Tu tamen Hieronyme, à

Pœna calumniat.

Paulę

Paulę consuetudine Innocens. Tu Athanasi, per Timotheum innocēs. Tu Eustati quanquam iniusto iudicio prędamnatus, tamen decora tuę innocentię a illuc resplendent. sero, plorabunda, & pudore suffusa capite demisso, *veritatem* aperiente *Pœnitentia*.

Magnam deinde virtutis materiam subtraxerunt Magnis. Nemo sciret silicis duritiam, nisi chalybe percuteretur. Nemo quoque sciret Illustrium constantiam, nisi Kalumnia probaretur. Paulus habuit laudi, famę pericula subire. *Siue per infamiam*, inquit, *siue per bonam famam*. Briccius Thuronensis habuit laudi, in exilium deiectus, ab episcopatu abire, propter stuprum ancillę, quasi intulisset, a Kalumniatoribus falso impositum. Nam patientię eius exercendę, magnam Deus materiam obtulit. quam & Episcopio post septennium restituto, & multo amplius gloria & honore in cœlis, & in terris sempiterno repensauit. Non est quod pius doleat ab hac Erynni, à liuido trahone ad Midam adductus. Sed tertium expedio.

3. *propter dāna pro pria calumniatoribus.* Diabolus, perniciosus sibi propter figulinam; & Kalumniator. Quid enim sibi ex maledica lingua lucrantur? Pijs famam perennantē, sibi vero & infamiā, & gehennam cruciantem. Nam si susurro & bilinguis maledictus in populo; quid impostor? Si detractores odiosi apud Deum, quid calumniatores? Nę sint etiam inter nos tales?

Moschorum consueta malitia. Alexan. Guagnin in Moscouia. Scio Moschos ad contumelias, & calumnias mutuas etiam charissimorum propēsos. qui sępe etiam in domos alienas, res quasuis clam inferunt, quas postea tanquam furto ereptas repetūt. Qui semel apud Principem delatus est, morte, vel falsam luit Kalumniam. An & inter nos tales? Scio Paphnutium Sanctissimum, librum quem in suo antro non posuerat, ab impostore illatum accepisse. Scio, ali scio illos quibus fęnum in cornu, quid non fecisse in alios?

Sed vel inuito me, gestit subire theatrum hoc, B. Stephanus ex Auxentiano Bithyniæ monte, si quis, certe is calumnijs oneratus. quem pro consolatione illorū, qui à Depudentię Dea oppressi, suo in schemate produco. *Baro. an. 761.*

Copronymi in Stephanum Abbatē impostura quæsita. Constantinus Copronymus Iconomachus Imperator immenso odio flagrabat, in monachos, quos, præ cæteris, sibi, in propaganda hæresi, aduersarios sæpe expertus fuit. Inter hos cum audisset degere magni nominis Stephanum, gratia miraculorum illustrem, potentemque sermone ad cohortandū alios, non armis & tormentis, quem martyrij maxime cupidum cognorat, sed calūnijs expugnare destinauit. Dū enim aduersus Scythas bellum pararet, Callistus patricius calumniā aduersus eum struit, qua omnē illius sanctitatis famam obscuraret ac tolleret. Sergium enim quendam eius discipulum, ad prodendum patrem & magistrum, induxit, libello calumniosissimo conscripto, quasi Imperatorem execraretur, & hæreticum appellaret, & contra eū multa moliretur; quasi denique nobilem quandam viduam fraude circumuentam, monacham fecisset, atque cum ea, ex inferiori monasterio ad se ascendente, rem haberet. Hæc autem nomine Anna vidua, non multo ante relicta, absque liberis, adito Sācto homine, & eius consilium secuta, omnes suas facultates & opes, in pauperes effuderat, seque in mulierum monasterium incluserat. *per suggestores.*

Libello calumniarū accepto Impera-

perator, cum esset in castris, bellum gerens cum Bulgaris & Scythis, adduci sibi statim Annam iubet. quæ interrogata, delatores falsi arguens, & suam ac B. Stephani innocentiam, & sanctitatem prædicans, custodiri iubetur. nec multo post, confecto bello Constantinopolim cum rediisset Imperator, in teterrimum reclusæ carcerem, per cubicularium suadet, vt palam probra sua, & Stephani fateatur: veniã acceptura, & in Palatio apud Imperatricem, honestissimo loco futura. alioquin, inficians, per ancillam (quam ipsi corruperant) conuincenda. Postridie ante Palatij carcerem magna coacta multitudine nudam eam statui Imperator, & virgarum fasces expediri, ad terrorem incutiendũ, iubet: & immotam manentem, meretricem, castissimam fœminam appellans, virga cędi mandat: ancilla procaciter & impudenter insultante, & falsa exprobrante. Quã corpore laceram, sed integro & constanti animo, in uens Tyrannus, in Palatium pudefactus se abdit, & eam omni cura destitutam, in vno quodam vrbis monasterio includi mãdat, vbi diem clausisse extremũ, martyre dignum, putandum est. De ancilla illud fertur, cum nupsisset, & Gemellos peperisset, eos arreptos, parentis mamillas horrendum in modum excidisse, & illi ita mortẽ attulisse, & vna cum ea viperinos illos fœtus extinctos esse.

Frustratus hac via Imperator, vt occasione delicti cum Anna, in Stephanum agere posset, ad alias se fraudes conuertit. Quod enim grauissimis pęnis edixerat, ne quis, quẽ in monachum reciperet, Imperator Aulicum sibi charissimum instruit, vt magna simulatione, monte adito Auxentiano, apud Stephanum infimis precibus & obsecrationibus impetret, se vt in Monachum recipiat. Recusauit primum vir Sanctus, Edictum Imperatoris obtendens. At stimulator: *Rationem*, inquit, *Deo pro anima mea reddes, nisi me quamprimum attonsum in monachum recipias, alioqui periturum*. Quibus verbis permotus vir Sanctus, sciens, vel vnius animæ salutẽ omnibus pręferendam, in monachum eum recipit. At veterator inde post tertium diem redit ad Aulã, pseudomonachus effectus, exultante imperatore, quod occasionem videretur nactus perdendi Stephanum. Concione aduocata rem exponit. sua Edicta contemni queritur. turba nefariorum hominum ab eo incitata ad montem proruit: sancti viri discipulos proturbat; monasterium, vna cum templo igne absumit: sanctum virum abripit, trahit, cædit, irridet, & ad Philippici Monasterium adductum, non longe a Constantinopoli Imperatori significat. Sistitur, inquiritur, imposturis, a subordinato pseudomonacho onetatur, Sed non obruitur. Deo, sancti viri innocentiam, miraculis illustrante. Nam in Proconessum detrusus, roganti cæco sibi lumen, vt daret. *Si fidem*, inquit, *in Deum habes; sique imaginis eius cultor es; respice*. & statim lucem recepit. Oblatum sibi puerulum a dęmone obsessum, cum per omnes partes corporis signo Crucis consignari iussisset, ipseque orationi intentius se dedisset, adorata Christi imagine, matri incolumem reddidit. Mulierem ad se adductam, a fluxu sanguinis liberauit. alios de maris tempestate, eripuit. Militem, denique, a morbo incurabili, cum eum iussisset, Christi & Deiparę Mariæ imaginem, vt adoraret, sanauit: Qui miles ad suos commilitones reuersus, cum ab eo quæreretur, quomodo

B. Stephani innocentia miraculis illustrata.

modo conualuiſſet; rem, vt erat geſta enarrauit. At illi quaſi idololatrã ad Præfectum deferunt, qui eum ad imperatorem mittit. a quo interrogatus, An in cultu ſimulachrorum perſtaret? ea miſer, ſe execrari dixit. pro cuius impietatis mercede, tyrannus eum Centurionem creat. Sed vltio Diuina, eum eſt veſtigio conſequitur. Siquidem equum conſcendens, ab eo in terram decuſſus, & calcibus contritus, extinctus eſt. Sic Deus innocentiam Beati Stephani voluit propalare, & Kalumniatorum ora obſtruere, vt meminerint pij, quia *Omnis iniquitas*, quandoque, *oppidabit os ſuum*.

Kalũniatorum extrema.

Ne inuideritis itaq;. *Omnibus diebus vitæ ſuæ ſuperbit* inuidet, calumniatur impius. & quid tandem? Audio Dauidem atteſtantem, *Vidi impium exaltatum ſicut Cedros Libani, tranſiui & non erat*. Et qui alios quaſi myrtos atra vmbra inumbrabat, ex altitudine Libani deiectus, gemit æternum luctum, poſt ſero ex pęnitentia, veritatem viſam. O ſæuum monſtrum, cum tuo Patre, ſepeliare in perpetuum, in capulo ſempiternę rupis. Amen, Amen.

FERIA V. POST TERtiam Dominicam Quadrageſimæ.

Et ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris ſuæ. Luc. 7. c.

CONCIO.

An mors falcata?

Tarquino ſuperbo capita.



ARQVINIO Superbo conſuetudo fuerat, Magnos quoſq; demetere. Quamobrem cum Gabios lõgo tempore oppugnatos capere non poſſet, minimum natu filium Sextium, plagis affectum transfugæ ſpecie miſit. Qui corpus, acerbis verberibus caſtigatum videntes, eum receperunt. Ille contra patrem multa magnaq; pollicitus, cum pleraq; factis exequeretur, fidelis habebatur. Cum vrbem in poteſtatem redegiſſet, atq; in Imperatorem ab eis aſcitus fuiſſet, clã nuncio ad patrem miſſo, eum interrogauit, quid fieri vellet? Tarquinius (nam in horto colloquebantur) ſumma papauerum capita decutiẽs, inquit ad Nuncium: *Refer filio, me hoc facere quod vides*. Sextus Gabiorum potentiſſimos de medio ſuſtulit, atque ita ad ſolitudinem & imbecillitatem Gabios redigens, ciuitatem eorum prodidit. Poſſunt hoc facere tyranni, vt magna nonniſi capita tollant. Mors non aſpicit, ſiue enim magnus, ſiue paruus, ſiue iuuenis, ſiue ſenior ſit, quem falce ſua ſucciderit, tollit. Hodie vnum vnicum filium matris ſuæ tulit, qui efferebatur ad funus. Sed an falcatam iubeat appellare mortem? in id ſerio inquiremus.

Polyan. lib. 8.

morti autem omnes demetere placet.

Falcatam pingunt, quicunque pingunt. Forte ab illo Angelo, quem Ioannes in ſua Apocalypſi vidit. *Et vidi*, inquit, *nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam. Et alius Angelus exiuit de templo, clamans voce magna, ad ſedentem ſuper nubem. Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit meſſis terræ. Et miſit qui ſedebat ſuper nubem, falcem ſuam in terram, & demeſſa eſt terra. Et alius Angelus exiuit de templo, quod eſt in cęlo, habens & ipſe falcem acutam. Et alius Angelus exiuit de Altari, qui habebat poteſtatem ſuper ignem, & clamauit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, di-*

Falce cũ qua viſa expl. vi-ſio.

Apoc. 14.

cens: Mitte falcem tuam acutam in terram, et vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt vuæ eius. Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum, & calcatus est lacus extra Ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu, vsque ad frenos equorum, per stadia mille sexcenta. Hæc in visione vidit Ioannes.

& inde picta. Exinde fortassis pictoribus ducta est, falcata mortis imago; quia & ille qui candida humanitatis nube tectus est, falcata fata regit, addens Ezechiæ quindecim, & cuidam Imperatori detrahens quatuordecim annos vitæ, vitamque omnium trino digito texens & retexens. & illi alij a templo, & ab altari messores fatales, falcati quoq; perhibentur esse. Habent enim a Deo potestatem texere, attexere, detexere & subtexere humanum stamen. Et exinde mortis imago, falce messoria insignis. quod ipsa quoq; Diuini effati ministra, trium sororum comitatu cincta, pergit lusum ludere in capitibus omniũ, quicunque nascuntur. Clamabat vnus Regum in hoc ferrum succisorium. *Dum*, inquit, *adhuc ordirer succidit me, de mane v. q; ad vesperam finies me.* Optabat alter, hoc ferrum decisorium, *Soluat*, inquit, *manum suam, & succidat me.* De alijs idem testabatur, quod *succisa* sit *erectio eorum*, quasi *tela succisa a texente.*

Iob. 6. & 22.

Dan. 4. In aliam etiam quandam magnã arborem, aduocatur ferrũ detruncatorium, *Succidite arborem & dissipate illam.* Paterfamilias etiam quispiam ad suum colonũ clamat, *Succide illam. vt quid occupat terrã?* Siue itaq; a præfinitione Diuina, qui omnia in numero pondere & mensura dispoluit, siue à necessitate æterna, quæ in momento suas deiectat formas; siue ab aliquo ex Altari vel de crepidine altaris succidente Angelo, aliquis iacet morte vel naturali, vel violenta decisus, ab hoc archetypo lineas recte duxerunt pingentes, mortem falcatam fingentes.

cum inscriptione. Et quidem aliquis eorum appinxerat falci messoriæ, hoc Triumphale, *Nemini Parco*, nemini Triumphatori adscriptum. Nam Romanorum aliqui vsurpauerant illud triuni, *Parcere prostratis, debellare Superbos.* Hæc & prostratos & elatos, & maximos, & pusillos, & gigantes & Pygmeos raptat & secat. ita vt merito sibi vsurpet, *Nemini parco.*

à Orphica Saturni pictura ducet. Saturnus licet aurei fuerit seculi Princeps, tamen in suo labaro falcẽ messoriam circumgestabat. Orphici insinuant, ẽt si quis ab aureo æuo, ab hac tñ succisoria, vt succũbat, opus. Sit Magnus Adam, sit ferox Nembroth, sit totus Sanson, sit Salomon prudens, sit diues Cræsus, sit mollis Epicurus, sit denique is qui sit, a mortis falcatæ mucrone non immunis. Reperiet lapillus de monte, aliquid argillæ in hac permixta mole, quod percutiat, & Magnæ Matri, non generanti, sed deuoranti percutiendum tradat.

& statuæ Nabuchi. expl. & sio. Dan. 2. Nota est, statuæ a Nabucho visæ anathomia. In illa aurum, argẽtum. æs, ferrum, & tandem quoque figulina. Nam sic lego. *Tu rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis. Huius statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia ex argento, porro venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ. Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & cominuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, te*

sta,

sta, æs, argentum & aurum, & redacta quasi in fauillã æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento: nullusque locus inuentus est eis.

Nihil potuit magis accõmodum appingi, in mortalium cõditionem. Fulge tu Põtifex aut rex auro obryzo? moriere. Cãdore argẽteo tu alter Doctor præfulge? moriere. Aereum robur tu miles, vel Ciuis prępande? moriere. In summa, & si fuerit aliquis ferrea, ærea, vel etiam chalybęa duritie, moriatur necesse est, succisus ab hac falce.

Quidam apud Romanos *secuerat nouacula Cotem*. Non dispungo, nec disquiro. Hoc video, quia mors & adamantina fortitudine duratos, ferro suo dissecuit, præsecat, & præsecabit.

expl. loc. Iob. 40. Præclarè D. Gregorius, illa verba Dei ad Iobum. *Numquid pones circulum in naribus eius.* Explicat dicens. Quod hoc loco circulum, id *& circuli hieroglyphic. designant.* scriprura Sacra per Ioannẽ in Apocalypsi falcem vocat. Potestas enim Diuini judicij, quia vndique stringit, circulus dicitur; & quia intra se omnia incidendo amplectitur, falcis appellatione lignatur. In falce enim quicquid inciditur, quaqua versum flectitur, intus cadit. Et quia potestas superni iudicij nullatenus euitatur, (intra ipsam quippe sumus, quomodolibet effugere conemur) recte cũ venturus judex ostenditur, falcem tenere perhibetur. quia cum potentior ad omnia obuiat, incidendo circumdat.

Intra judicij falcem Propheta vidit, cum diceret Psalmo 138. *Si ascẽdero in cælum tu illic es; Si descendero in infernum ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Intra falcem quandam se vidit, cum ex nullo sibi loco patere fugæ aditum posse cognouit dicens Psalmo 74. *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus* (subaudi patet via fugiendi) & mox ipsam supremæ potentiæ omnimodam comprehẽsionem subdens ait. *Quoniam Deus judex est.* Ac si diceret. Fugiendi via vndique deest, quia ille judicat, qui vbique est. Diuina itaque judicia, sicut lignantur falce, quia circumuallantia incidunt, ita exprimuntur circulo, quia vndique stringunt. Vnde & messoriam, & vindemiatoriam falcem habere dicitur, quia omnes tam eos qui instar frumenti, vel lolij, quam eos qui racemorum symbolo censentur, sine delectu desalcat. Sicut enim colonus cum segetes metit omnes spicas æque colligit, licet vna præ alia creuisset, & vnius culmus sensim adolescentis alterius culmum præcessisset. Sicut etiam vineæ cultor, quando vindemiæ tempus aduenit, licet alter botrus turgidus, alter non ęque imbutus sit, sine discrimine decerpit: sic & judicantis, Dei falcati mors falcata ministra, omnes in hoc agello homines desecat. Neque considerat, An quis imperet, an obediat, an liber, an vero seruus, an masculus vel fæmina, an Diues vel mendicus fiat, omnes promiscue rapit.

Altera ratio est, cur mors falcata pingatur. Sicut falx non tantum spicas, sed etiam simul aristas, arundinemque cui innititur dissecat. Ita mors non tantum hominem, sed & omnia simul cum eo naturæ, fortunæque bona corripit. Vt fluctus maris licet terribiles & furibundi rupibus illisi, illuc insiunt, & eorum inflatio disparet, ac tandem in littore deficiunt: ita propemodum & reges, & principes, cum omnia absorbere & obruere potentia sua videãtur, ad lapidem tamen sepulchri im- *2. nam omnia cum homine incidit.*

pingentes deficiunt, nec apparent vnquam. Diues enim cum dormierit, nihil secum auferet ex eis quæ possedit. Nec erit, qui illi calicem aquę frigidæ, immo ne guttam ex digito ausit propinare.

3. *Diuini decreti baiula est.* Sed tādem 3. addo rationem, cur falcata depingatur. quia nimirū Diuinæ siue in bonum, siue in malum sententię baiula est. In eius enim ferro, stilo ferreo exsculptum est, quo quis iturus est. Lignum enim per eam excisum, quocunque ceciderit iacebit, siue ad Austrū felicitatis, siue ad Aquilonem damnationis, siue ad tēpus ad intermedios fines Austri & Aquilonis, scilicet vel ad cælum, vel ad Infernum, vel ad Sacras purgatorij thermas, & ex his ad regnum beatitudinis æternæ.

expl. visio. Zacharię 5. c. hom. 19 & 27. ad popul. Zacharias vidit, quoddam *volumen volans*. Pro volumine vertetūt septuaginta *falcem*. quam etiam interpretationem sequitur D. Chrysostomus. In hoc volumine falcato, cuius lōgitudo erat 20. cubitorū, latitudo vero decem cubitorum, *erat scripta maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ. ex qua omnis fur, & omnis iurans iudicabitur. Educam*, inquit, *illud* volumen seu falcem, *& veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius.*

Falcem volantem dicamus mortem: quia volentes, nolentes morimur. Bene Seneca id quod notum est expressit dicens: *Noli torqueri*, inquit. Cogita quandiu idem facias. Cibus, somnus, libido, per hunc circulum curritur. Sed pręstat Diuum Chrysostomum audire, de hac falce differentem. Falx *inquit* volans erat longitudine cubitorum viginti. Volans, velocissimum vltionis incursum significat. Multorum vero cubitorum longitudo & latitudo vehementiam indicat, & magnitudinem malorū. At ex cælo volare, est ex superno tribunali sententiam ferri. Falcata vero forma, ineuitabilem supplicij Sortem. Sicut enim quocunque falx incurrerit, non solum secum atripit, verum & caput amputat: itidem & peccantibus pęna ingruens est difficillima, nec prius absistit, quam quod suum est obit. Quod si peccantes euadimus, ad nostrum hoc malum efficitur. Nam quid censetis? Quot post Ananiam & Sapphiram, eadem quæ illi sunt ausi? Quomodo igitur eadem nō sunt passi? Non quoniam ipsis ignoscitum sit, sed quoniam maiori differuntur malo. Multa namque perpetrantes, nec dantes pęnas, terreri magis ac timere debent. Augebuntur eis supplicia, propter impunitatem & Dei longanimitatem. *quæ dilata non sublata.* Ne hoc itaque videamus, quod non punimur, sed ne peccauerimus. Si vero peccantes, non pœnas damus, potius pauere debemus. Multi perpetrant, qualia Sodomorum Ciues; sed ignis pluuia non descendit. ignens enim paratus est fluuius. Multi Pharaonis scelera commiserunt; sed Pharaonis pænas non dederunt, nec in mari rubro submersi sunt. Quoniam pelagus eos expectat abyssi, vbi non cum insensibilitate supplicitū. Nec sufficit suffocari, sed amplius necesse est torqueri, assari, strangulari, consumi. Multi Israelitica sunt aggressi; sed eos serpentes non momorderunt. Manet autem eos vermis qui non moritur. Multi Giezi peccata perpetrarunt; neque tamen lepra respersi sunt. Manet enim eos pro lepra in binas partes secari, & poni cum hypocritis. Multi quoque iurauerunt & peierauerunt. Si vero fugerunt quoque, ne confidamus, imminet enim dentium stridor.

in ea enim scripta sunt supplicia vel præmia.

dor. Et hic quidam multa patientur incommoda, licet non cōfeſtim. ſed poſt alia peccata; vt & grauior ſit vltio. Quoniam & nos frequenter a minimis occaſionem capientes, & pro magnis luimus totū. Hæc omnia ma a baiulat malis mors falcata. quæ prout quemque inuenerit, ſuccidit, ſiue ad Auſtrum felicitatis, ſiue ad Boream damnationis æternæ.

quæ ſecūdum præſentē iuſtitiā vel culpā decernūtur collat. 17. c. 26.

Fruſtra tunc prætendet alius orationes, alius eleemoſynas, alius aliquid aliud operis boni prius acti; ſi in momento illo, ex quo pendet æternitas, conſcius alicuius delicti mortalis, inuenietur a morte falcata. hęc enim iuxta lituras præſentes, quas in lamina indeletibiles aſpexerit, decernet vel in dextram, vel in læuam.

Ioſeph Abbas apud Caſſianum, doctè deffiniebat. Illud etiam, *inquit*, præ omnibus inæſtimabilis illa cenſura nos inſtruit, quod cum ſit ei ante ortum vniuſcuiuſque præcognitus finis, ita ordinatè ac ratione communi, & humanis quodammodo omnia diſpenſat affectib. vt non potentialiter, nec ſecundū pręſcientiæ ſuæ ineffabilem notitiam, ſed ſecundum præſentes hominum actus vniuerſa dijudicans, vel reſpuat vnumquemq; vel attrahat, & vel infundat ſuam gratiam vel auertat; *addo ego.* & vel ad vitam, vel ad mortem judicet. Quod ita eſſe etiam illa Saulis manifeſtat electio, cuius vtiq; cum vituperabilem finem præſcientia Dei ignorare non poſſet, de tot millibus Iſraelis elegit eum & vnxit in regem: pręſentis in illo meritum vitæ remunerans, non peccatum futurę præuaricationis intendens. Ita vt poſtquam reprobus factus eſt, velut pęnitudinem gerens electionis ſuæ Deus, humanis quodammodo, de eodem vocibus atque affectibus conqueratur damnans: *Pænitet me, quòd conſtituerim Saul Regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit.* Et iterum. *Verumtamen lugebat Samuel Saulē, quoniam Dominum pęnitebat, quòd conſtituiſſet regem Saul ſuper Iſrael.*

ut decreta ſunt.

Saul.

Denique hoc quoniam opere fuerat executus, poſtea etiam per Ezechielem Prophetam Dominus proteſtatur, cū omnibus ſe hominibus quotidiano geſturum eſſe iudicio. *Etiāſi dixero,* inquiens, *juſto, quod vita viuat, & confiſus in iuſtitia ſua fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius obliuioni tradētur, & in iniquitate, quam operatus eſt, in ipſa morietur. Sin autem dixero impio, morte morieris, & egerit pænitentiam a peccato ſuo, feceritque iudicium & iuſtitiam, pignus reſtituerit, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniuſtum, vita viuet & non morietur. omnia peccata eius quæ peccauit, non imputabuntur ei.*

Hebræis.

Deniq; cum ab illo populo, quem ex omnibus gētibus Dominus adoptauit, propter ſubitam vituli præuaricationē, miſericordiæ ſuæ auertiſſet aſpectum, interueniens pro eo legislator, exclamat: *Obſecro Domine, peccauit populus iſte peccatum magnum; fecerunt ſibi Deos aureos. & nunc, ſi remittis peccatum eorum, remitte. Sin alias, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* Cui reſpondit Dominus: *Si quis,* inquit, *peccauerit coram me, delebo eum de libro meo.*

Iudæ.

Dauid quoque dum de Iuda, & perſecutoribus Chriſti Prophetico ſpiritu quæreretur: *Deleantur* inquit, *de libro viuentium.* Et quia nō mærebantur ad pęnitentiam ſalutarem, pro reatu tanti criminis peruenire, ſubiungit: *Et cum iuſtis non ſcribantur.* Denique in ipſo Iuda vis Propheticæ maledictionis euidenter impleta eſt. Nam expleto proditionis crimine, ſuſpendio ſe necauit. ne ſi poſt illam deletionem

noui-

nominis sui conuersus ad pœnitentiam esset, iterum scribi mereretur cum iustis in cœlo. Non ergo est ambigendum, etiam Iudæ nomen illo tempore, quo electus a Christo, Apostolatus gradū sortitus est, in libro viuentium fuisse conscriptum, ac pariter eum audiuisse cum cæteris. *Nolite gaudere, quia Dæmonia vobis subijciuntur: gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Sed quia Philargyriæ peste corruptus de ascriptione cęlesti ad terrena deiectus est, competenter de eo ac similibus eius per Prophetam dicitur: *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes a te, in terra scribentur. quia dereliquerūt venam aquarum viuentium Dominū.* Et alibi. *In consilio populi mei non erunt, & in scriptura domus Israel nō scribentur, & in terram Israel non ingredientur.*

Redeo ad falcem messoriam, in qua quæ cuiuscunq; opera, eelte & adamante exsculpta tūc erunt, quando ad iugulum excindendum stringetur, secundum illa vel ad Sanctorum cætum apponetur, vel de censu eorum expungetur atq; delebitur.

Deletus est Saul reprobus. deletus Iudas maledictus. deletus non nemo qui iustitiarum oblitus, *apposuit adhuc peccare ei, qui atramentum scriptorium* gestat in manu, signans vel atrum thau ad damnationem, vel candidum calculum ad saluationem. Non omnino improbatæ vitę erat quidam Pappulus, quem successorem acceperat B. Tetricus Episcopus Lingonensis. cæterum cum degeneraret a maioribus suis, & anteacta viuendi forma, deletus extinctusque est de libro vitæ, neque sine prodigio Anno enim octauo Episcopatus sui, dum Diœceses & villas Ecclesię circumiret, quadam nocte dormienti illi apparuit B. Tetricus vultu minaci. Cui ita: *Quid tu*, inquit, *hic Pappule? Vt quid sedem meam polluis? vt quid Ecclesiam peruadis? vt quid oues mihi creditas dispergis? Cede loco, relinque sedem, abscede longius a regione* Et hęc dicens, virgam quam habebat in manu, pectori eius, cum ictu valido, impulit. In quo ille euigilans, dum cogitat, quid hoc esset, fixè in loco illo defigitur, ac dolore maximo cruciatur, abhorret cibum potumque, & mortem iam sibi proximam præstolatur. Quid plura? Tertia die cum sanguinem ore proijceret, expirauit, talemque, qualem repererat mors falcata absumpsit.

Pappulo.

Gregor. Thuron. hist. Frāc. lib. 5. c. 5.

Deletus est sub id temporis & alius Cōstantinopolitanus diues, qui cum ęgrotaret, mortemque timeret triginta libras argenti erogauerat in pauperes. Oratione istorum restitutus, pręter spem suam, bonę valetudini, tādem fraude Diaboli eo inductus est, vt facti ipsum pęniteret, hocq; fideli cuidam amico suo aperiret. Monet ille hominem ne huic malę assentiatur cogitationi, Deumque irritet, qui propter istam largitatem misertus, sanitatem donarit. alioqui fore, vt subita morte, non dum mutato facto, pereat. Cum nō moueretur ille, sed magis magisque irritaretur, amicus, *Quando*, inquit, *salutare consilium non admittis, aliud tibi subijciam posceti: verè misericors ille. Agedū, ait ad templum vade, & non te, sed me in pauperes elargitum pecuniam istam dicito: ipse statim triginta libras reddam.* Consentiens infelix ille, ad templum abijt; ita vt alter præceperat, locutus est, & aurum recepit. Vnde egrediens, ad ipsam templi portam concidens, mortuus est. Clericis de rei nouitate stupentibus, omnibusque alijs, qui forte aderant, iubentibus alterum pecuniam recipere suam: ille non obtem-

Baro. an. 553. Anonymo.

obtemperauit; sed inter egenos omnem diuisit; quod diceret; *Deum non pati sannas & nomina eorum delere de libro viuentium, falce vindicatoria*, quæ sternit vnumquemque iuxta opera sua, quibus tunc diues.

Hęc omnia, quę plerumque à morte, deflectētib. à via iustitię contingūt, vtinam nobis semper prę oculis essent: Non abs re sapiens monebat, *Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis.* Tres quidam Hierosolymis bis morte defuncti, qui ad destruendam hæresim quandam precibus Cyrilli, Eusebij, Hieronymique, iam cum Christo regnantis meritis, qua die mortui fuerant, resuscitati sunt; palam tęstari cœperunt, se Hyeronymo duce loca paradisi, inferni, purgatorijque pelustrasse; & cum damnandi essent, eiusdem apud Deum gratia antequam iudicarentur, ad vitam redire iussos. Enarratis igitur omnibus quę vidissent, sola infernalium pœnarum consideratione, a lachrymis temperare nullo modo poterant. quod dicerent, tales ac tantas esse pęnas illas, vt nullæ penitus excogitari possent, cum ipsis comparandæ. Itaque, sine intermissione flebant, donec peracta 20. dierum pœnitentia, rursum vt prædixerant suis exuti corporibus decessere, non vt prius ad mortem, sed ad vitam.

quæ vide runt tres mortui Hierosolymis.

Iosaphat quoque Auenir Indorum regis filius, Barlaam eremitę industria & disciplinis ad Christianitatem conuersus, meretriculæ cuiusdam forma blanditijsque & procacitate captus fuisset; nisi Diuina miseratione contigisset, vt parumper obdormiscens, & sanctorum gloriam, & damnatorum pœnas videret. Tyrunculus adhuc in fide erat: & puto turpis voluptatis, tam violentæ sollicitationi succubuisset, nisi per huiuscemodi visum, & paradisi delicias omnibus mundi oblectamentis magis expetisset, & omnibus formidabilibus ipsa inferni tormenta magis expauisset. Si ergo ista per speculum & in ænigmate & per quandam soporis vmbram visa tantam vim habuere. quid virium quantumque efficaciæ haberent, vt obijciuntur in morte?

& Iosaphat.

Narrat Magnus Gregorius, quendam in finibus Valeriæ prouinciæ ægrotantem, priusquam Seuerus prçsbyter ad ipsum a peccatis absoluendū, adueniret, diē suum obijsse, moxq; die eodē, Seueri lacrymis ac precib. annuēte Dño reuixisse. Is interrogatus, qd sibi cū è corpore migrasset contigerit: respondit, se a quibusdam hominibus nigrioribus, quam Aethiopes sunt, & qui ore naribusq. ignē afflabant, repente correptum fuisse, & per opaca loca atque aspera raptim deductum. Sed dum adhuc duceretur, a candidissimis iuuenibus, multaque luce corruscantibus obuiam factis dimitti, ac vitæ pristinæ restitui iussum; quod dicerent, Seuero præsbytero hoc poscenti, Deum concedere. Igitur cum reuixisset, atque septem dierum spatio superuixisset, tanto dolore ex recordatione visorum concutiebatur, vt prę lamentis vix non rumperetur. Cum deinde peccata sua eidem confessus pænitentiam peregisset, die septimo iterum, sed felicius obdormiuit. Terribiles illi nondum confesso, cum per tenebras traheretur, dæmones fuere, haud dubio terribiliores futuri, si ad gehenam vsque pertraxissent. Ex istorum aspectus memoria, audistis quantam pænitentiam egerit. O si nos eorundē meminissemus, quæ post mortem vētura, certò certius aliam rationē vitæ institueremus. Qui enim considerat, *inquit Gregorius*, qualis erit in morte, semper erit pauidus in operatione,

& Anonymus.

hæc autē digne sūt memorāda.

atque

atque inde in oculis sui Conditoris viuet. Nihil quod transeat appetet, cunctis vitę desiderijs contradicet, & pene mortuum se considerabit, qui se moriturum minime ignorat. Perfecta enim vita, est mortis meditatio, quam dum iusti sollicite peragunt, culparum laqueos euadunt. Pulchre canebat quidam,

An cupis aduersus scelerum fœdissima quæque
Vulnera perfacilem dem tibi promptus opem?
Cum te turpe aliquid tentat, fac illico mentis
Sese mors oculis offerat atra tuę
Quisquis enim horrendum Christi cum morte tribunal
Cogitat, hic omnis criminis hostis erit.
Flante velut valido nubes Aquilone fugantur;
Sic meditata scelus mors procul omne fugat.

nam exin de multa vtilitas. In veteri lege, post immolationem hostię, cineres colligebantur & in certo loco collocabantur; non alio credo fine, nisi vt essent monitorium mortis, quam semper ante oculos pij deberent habere, ne peccarēt. Si herbido prato, vel maturæ segeti esset sensus, vt doleret ex sectura messoriæ falcis, crediderim ictum præcaueret. nobis in momenta insidiatur mors falcata, quę recisos vel ad vitam cęlestem, vel ad mortem secundam recidat, & nihil pensi habebimus?

cogitabat Messodamus. Messodamus Philosophus iam senex, cum ab amico in crastinum vocaretur conuiuium, *Cur me vocas in crastinum, inquit, qui a multis annis crastinum non habui, sed mortis aduentum in singulos dies expectaui, quæ nobis nunquam nō insidiatur, donec nos incautos etiam interdum opprimat?* & *Anonymus.* hæc quidem ille. Lego alium eiusdem professionis Philosophum ex caluaria humana sibi poculū præparasse, ex quo sitim potu extingueret, eo fine, vt in horas cogitaret se esse mortalē, neque scire quid sibi superuentura pareret dies. Felices, qui se hac sapientia, & a multis peccatis cohibuerunt, & familiarem sibi bonam mortem reddiderunt, ne in ea timores illos horrendos timerent. *& Musonius. Stob. Ser. de virtute.* Musonius scitis dictis, mortē meditandam sibi & alijs proponebat. inter quæ & hæc occurrunt. *Virtute prediti homines,* inquit, *sicut histriones faciunt. Vt enim bonus histrio bene prologum, bene medium fabulæ, nec non bene etiam catastrophen agit: ita bonus vir ex aspectu mortis, primordia vitæ rectè, & media probè, finemque congruentem his administrat.* Cogitemus & nos, mortem falce nobis minitantem, sicque non peccabimus in æternum.

sed ante omnes Caleph. imitandus. expls. loc. Iosue 15. Concluderem, nisi mihi in mentem venisset, Caleph cum hæreditate sua. Hic non sortitione, sed Diuino præcepto, accepit sortem, in medio filiorum Israel, eo quod solus iste superstes esset, ex his qui egressi fuerāt ex Aegypto. in hac sorte data est ei metropolis Enach, *ex qua deleuit Caleb, tres filios Enach, Susai, Achiman, & Tholmai,* Origeni, *Enach,* interpretatur, *humiliatio inanis.* & recte designabit mortem, quę vera est humiliatio excelsorum verticum, æquo pede pulsans, pauperum regumque tabernas sua vmbra inani. Felix ille Caleb, cui hæc metropolis Enach, id est, meditatio mortis in hæreditatem obtigerit Namque facile obruere potest, tres potentissimos & atrocissimos animæ suæ hostes, Susai, Achinam & Tholmai. Ille interpretatur. *extra sanctum*; secundus, *extra consilium,* seu *sine consilio*; tertius vero, *præcipitium*, aut *suspēsio.* Scitis quos scāt? Illos, qui mē tem sanctam animæ dissuadent; qu

ad

ad profundum limosum trahunt, qui consilia sana præuertunt, qui fatalem ignauiam ingerunt, qui in præceps impellunt, qui vel illud solenne *mitte te deorsum* inculcant, vel Iudæ laqueum collo innectunt; hos tam perniciosos duellarores, potis est quisq; delere, si modo possessionem hercifcatur Enachi sortem, seu potius mortem. Moneo, dicite: *Hæreditate possideamus, hoc sanctuariũ Dei*, si ab hac cassa caluaria, & exsucco olim animæ tabernaculo, cupimus transferri, ad tabernaculum non manu factum in cœlis. Amen.

FERIA VI. POST QVARtam Dominicam Quadragesimæ.

Egredimini Filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate. Cantic. 3. cap.

CONCIO.

De tertio mysterio SS. Rosarij, Coronatione Iesu Christi.



ABRAHAM Patriarcha Isaacum immolaturus, habuit arietem cornibus in vepreto hærentem, quem pro illo supponeret. Ita lego in Genesi. *Gen. 22.* *Leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Iesus autem noster seipsum in Cruce oblaturus, non habuit quem pro generis humani redemptione obtruderet. *Aries in vepreto, typus Christi coronati.* Ipse in horto, sanguineo madet sudore: ipse coram impio iudicio depalmatus, purpureo rubet cruore: ipse ad columnam ligatus, & flagris acutissimis laceratus, præbet dorsum flagellanti: ipse denique in vepreto confixus, coronaque spinea totum caput cōvulneratus, proprij sanguinis coloratur rubore. Egredimini Filiæ Sion, & videte, non suppositum arietem, sed ipsum Regem Salomonē in diademate, quo coronauit eum, non mater sed nouerca Synagoga. De hac coronatione Iesu, mihi hodiernus sermo.

A veste, corona, sceptro arundineo, folio, & adoratione, cerno & cognosco Iesum Regem. Singula discutio. *circa coronationē consideranda.*

Postquam flagris cecidissent, a columna solutum, veste purpurea detrita induerunt eum. *1. Vestis purpurea.* Implendis imprimis figuris. Mensam in qua panes propositionis olim deponebant, desuper extenso pallio coccineo operiebāt. *Sed & altare* inquit *Num. 4.* Deus, *mundabunt cinere & inuoluẽt illud purpureo vestimento.* Hæc vtraque Iesum meum adumbrabant. Nam ipse est orbita panis viui, qui de cœlo descendit. ipse etiam altare propitiationis Diuinæ, a quo Salus nostra dependet. Quamobrem antequam in locum sacrificij deduceretur, oportuit illum purpureo paludamento circumdari. Decebat. Namq; & Sacerdotali & Regia dignitate fulgebat. *Exod. 39.* De hyacintho & *purpura, vermiculo ac bysso paratæ erant vestes, quibus indueretur Aaron, quando ministrabat in Sanctis. Simul & superhumerale de auro, hyacintho, purpura coccoque bis tincto, & rationale quoque opere polymito iuxta opus superhumeralis, ex auro, hyacintho, purpura, cocoque bis tincto.* Vt itaque Sacerdotem se ostenderet, qui in Ara Crucis pro nostrorum expiatione delictorum Sacrum celebraturus esset, voluit, non tantum alba veste ab Herode, verumetiam purpureo amictu ex vestiario Pilati effulgere. Sane potiori iure quam Aaron. Nã ille tantum

sacerdos. Iesus autem & Pontifex & Rex Regum, quibus solenne est paludamento purpureo resplendere. Quæsijsti, ò cœlites, *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Agnosco & video Principem de Tribu Iuda, Regnantem in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. qui habet in fęmore vestimenti sui scriptum, Rex Regum & Dominus Dominantium. Sed *quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimẽta tua sicut calcantium in torculari?* Lauit *in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Torcular,* inquit, *ego calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea. & aspersus est sanguis eorũ super vestimenta mea, & omnia indumenta mea coinquinaui.* Sed quando? In horto dum sudauit; & ad columnam dum pro nobis vapulauit, atque in profluuio sanguinis sui inambulans, illos atros principes tenebrarum conculcauit.

expl. loc. Iosu. 7. Lego Achani confessionem, qui tulerat aliqua de anathemate Hiericho. *Vidi* inquit, *inter spolia palliũ coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli, & abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui.* Non proprium solius Achani fuit hoc peccatum, sed secundum tropologiã totius generis humani. Pallium Diuinitatis, & nummum Diuino charactere percussum, simul & regulam directricem auream Deitatis clepseramus, dum similes esse Deo exambieramus in Adamo. ideoque a Deo vindice, multis supplicijs addicti necabamur. Misertus nostri Assertor Iesus, voluit hoc syrmate opprobrioso circumdari, proque regula aurea sceptrum arundinem assumere, vt sic indutus, nostrum scelus fateretur, proque debito quod nimis magnum contraxeramus, ex vndique forato corpore pretium redemptionis proferret.

Venite nunc o filiæ Syon, & videte nouum Ionatham, donum vel pignus columbæ, de spiritu Sancto conceptum, quẽ, in figura Ionathę summi Sacerdotis rex iussit spoliari vestib. suis, & indui eum purpura. *1. Mach. 10. Figura.* Videte etiã nouum Prophetam per Danielem pręsignatum, atque in typo eiusdem Danielis purpura a Principe indutum. *Dan. 5.* Videte quoque insuper hunc plusquam Salomonẽ, cui in circumcisione, in sudore sanguineo, in depalmatione, & in flagellatione, & demum in coronatione placuit pro amore nostro rubricari. En habetis ferculi, quod ascensurus erat in Golgotha, ascensum purpureum, media charitate constratum. *Cant. 3.* En videtis Tabernaculum fœderis verum & viuum, pellibus arietum rubricatis opertum. *Exod. 36* En procedit ille qui tanquam colonus venerat in terram, rubenti flagrantissimi ex vino amoris patagio conspicuus. En rex melior & excellior Saule, qui vestire consueuit suos *coccino in delicijs,* & qui prębet *ornamenta aurea cultui* animarum. *2. Reg. 1. 1. Mach. 11.* En potentiorem Monarcham Antiocho, cui est lubentia dare *potestatem bibendi in auro, & esse in purpura, & habere fibulam auream.* Iam ab hoc eius amictu tot vicibus sanguinea tinctura imbuta, spes nobis est, implendę illius pollicitationis, *Si fuerint peccata vestra rubra sicut vermiculus* aut coccinum, *quasi lana alba erunt;* ex hoc lauacro depurante.

Iam vero & a corona, Regem meum Iesum cognosco. Super caput Sacerdotis Iehosua, posuerant iubente Deo, *cidarim mundam, & induerunt* *Zach. 3. 2. Corona Spinea.*

duerunt eum vestibus. Super caput mei Iesu, Sacerdotio regali elatum, plexam de spinis coronam imposuerunt, adactis cerebrotenus acutis sentibus.

Exod. 3. Viderat Moyses Deum in rubo ardenti residentem, & vehementer mirabatur, quia rubus arderet, & nō combureretur. Quid diceret, si cerneret eundem dumeto toto coronatum, & ex impactis spinis in caput, tam inexhausto sanguinis eluuio madidatum?

Exod. 25. Arca testamēti & Altare thymiamatis corona aurea cingebantur; ille vero, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, & qui est exsecrandi peccatorum nostrorum pędoris, ex admiranda suæ obediētiæ fragrantia correctio, non auro, sed rhamno coronatur. In

1. Mach. 4. dedicatione restaurati templi, faciem eius Iudæi ornauerāt coronis aureis; Templi autem non manufacti, mox per ipsos ad nostram reparationem destruendi, non aureo sed spineo serto verticem conuulnerauerunt. Alcimus sūmus Sacerdos De-

2. Mach. 4. metrium regem conuenerat, *offerens ei coronam auream, & palmam, quæ templi esse videbantur*; at eius successores tradentes Iesum Pilato, per manus militum, impegerunt tanquā regi coronam ex vepribus contextam. Nec enim ex suo senticeto aliam habebant. Namque terræ nostræ maledictum est illatum, *spinas & tribulos germinare*. Et spinis itaque & tribulis, contribulare voluerunt caput innocentis. & florem florum, atque vineę electissimę Botrū, rubeto pungenti circumdare. vt esset *lilium inter spinas*, spinis caput coronatum.

Sacerdotes Aegyptij papyro Deos coronabant, vt Honchala Antonius obseruauit. Quapropter vt maioribus adhuc opprobrijs Iesum saturarent delusores, pro corona papyracea, junceam impresserunt. quasi Deitatem exprobrantes, quam Saluator sibi inesse rebus & lignis asserebat.

Triumphatoribus quoque Romanis, variæ coronę donabantur. *Vallaris* siue *castrensis*, ex auro, in valli speciem efformata, illi qui primus hostilia castra pugnando inuaserat. *Muralis* frondea, illi qui primus murum subierat, inde velut pinnis muralibus intercisa. *Ciuica*, qua ciuis ciuem donabat, ob salutem vitamq; ab eo perceptam, eratque iligna vel quernea. *Naualis* siue *rostrata*, quibusdam quasi nauium rostris insignita, quam accipiebat qui prælio maritimo primus hostilem nauem insiluerat. *Obsidionalis*, quam obsessi liberatori suo, ex gramine loci obsessi plexam offerebant. *Oualis* myrtea, qua vtebatur Imperator, qui incruenta victoria hostem profligarat. *Triumphalis* aurea, quæ Imperatori ad honorem triumphi mittebatur. *Florea* quoque, sed iam sponso pangebatur. *Philyrea* insuper, quæ conuiuiorum moderatoribus texebatur. Corona Roman.

Nullam harum Iesu Regi, sed ad maximum ludibrium, spineam, velut homini scelerato confinxerunt, eiusque tempora confixerunt. Merebatur solus omnes illas. Ille enim primus Principis tenebrarum castra, non inuasit tātum sed diripuit. Ille primus muros inferorum transcendens, captiuam inde captiuitatem eduxit. Ille Ciues domesticos Dei, ab impura seruitute in libertatem asseruit. Ille mare seculare ab crudelibus principibus expurgauit, & capita Draconum teterrimorum in aquis sanguineis contribulauit. Ille sedentes in tenebris & in vmbra mortis obsessos, ad vitæ & lucis vsuram reuocauit. Ille Principatus &

perator, cum esset in castris, bellum gerens cum Bulgaris & Scythis, adduci sibi statim Annam iubet. quæ interrogata, delatores falsi arguens, & suam ac B. Stephani innocentiam, & sanctitatem prædicans, custodiri iubetur. nec multo post, confecto bello Constantinopolim cum rediisset Imperator, in teterrimum reclusæ carcerem, per cubicularium suadet, vt palam probra sua, & Stephani fateatur: veniā acceptura, & in Palatio apud Imperatricem, honestissimo loco futura. alioquin, inficians, per ancillam (quam ipsi corruperant) conuincenda. Postridie ante Palatij carcerem magna coacta multitudine nudam eam statui Imperator, & virgarum fasces expediri, ad terrorem incutiendū, iubet: & immotam manentem, meretricem, castissimam fœminam appellans, virga cędi mandat: ancilla procaciter & impudenter insultante, & falsa exprobrante. Quā corpore laceram, sed integro & constanti animo, in uens Tyrannus, in Palatium pudefactus se abdit, & eam omni cura destitutam, in vno quodam vrbis monasterio includi mādat, vbi diem clausisse extremū, martyre dignum, putandum est. De ancilla illud fertur, cum nupsisset, & Gemellos peperisset, eos arreptos, parentis mamillas horrendum in modum exedisse, & illi ita mortē attulisse, & vna cum ea viperinos illos fœtus extinctos esse.

Frustratus hac via Imperator, vt occasione delicti cum Anna, in Stephanum agere posset, ad alias se fraudes conuertit. Quod enim grauissimis pęnis edixerat, ne quis, quē in monachum reciperet, Imperator Aulicum sibi charissimum instruit, vt magna simulatione, monte adito Auxentiano, apud Stephanum infimis precibus & obsecrationibus impetret, se vt in Monachum recipiat. Recusauit primum vir Sanctus, Edictum Imperatoris obtendens. At simulator: *Rationem*, inquit, *Deo pro anima mea reddes, nisi me quamprimum attonsum in monachum recipias, alioqui periturum*. Quibus verbis permotus vir Sanctus, sciens, vel vnius animæ salutē omnibus pręferendam, in monachum eum recipit. At veterator inde post tertium diem redit ad Aulā, pseudomonachus effectus, exultante jmperatore, quod occasionem videretur nactus perdendi Stephanum. Concione aduocata rem exponit. sua Edicta contemni queritur. turba nefariorum hominum ab eo incitata ad montem proruit: sancti viri discipulos proturbat; monasterium, vna cum templo igne absumit: sanctum virum abripit, trahit, cædit, irridet, & ad Philippici Monasterium adductum, non longe a Constantinopoli Imperatori significat. Sistitur, inquiritur, imposturis, a subordinato pseudomonacho oneratur, Sed non obruitur. Deo, sancti viri jnnocentiam, miraculis jllustrante. Nam in Proconessum detrusus, roganti cæco sibi lumen, vt daret. *Si fidem*, inquit, *in Deum habes; sique jmaginis eius cultor es; respice*. & statim lucem recepit. Oblatum sibi puerulum a dęmone obsessum, cum per omnes partes corporis signo Crucis consignari iussisset, ipseque orationi intentius se dedisset, adorata Christi jmagine, matri incolumem reddidit. Mulierem ad se adductam, a fluxu sanguinis liberauit. alios de maris tempestate, eripuit. Militem, denique, a morbo incurabili, cum eum iussisset, Christi & Deiparę Mariæ jmaginem, vt adoraret, sanauit: Qui miles ad suos commilitones reuersus, cum ab eo quæreretur, quomodo

B. Stephani innocētia miraculis illustrata.

modo conualuisset; rem, vt erat gesta enarrauit. At illi quasi idololatrã ad Præfectum deferunt, qui eum ad imperatorem mittit. a quo interrogatus, An in cultu simulachrorum perstaret? ea miser, se execrari dixit. pro cuius impietatis mercede, tyrannus eum Centurionem creat. Sed vltio Diuina, eum est vestigio consequitur. Siquidem equum conscendens, ab eo in terram decussus, & calcibus contritus, extinctus est. Sic Deus innocentiam Beati Stephani voluit propalare, & Kalumniatorum ora obstruere, vt meminerint pij, quia *Omnis iniquitas*, quandoque, *oppidabit os suum*.

Kalũniatorum extrema.

Ne inuideritis itaq;. *Omnibus diebus vitæ suæ superbit* inuidet, calumniatur impius. & quid tandem? Audio Dauidem attestantem, *Vidi impium exaltatum sicut Cedros Libani, transiui & non erat*. Et qui alios quasi myrtos atra vmbra inumbrabat, ex altitudine Libani deiectus, gemit æternum luctum, post sero ex pœnitentia, veritatem visam. O sæuum monstrum, eum tuo Patre, sepeliate in perpetuum, in capulo sempiternę rupis. Amen, Amen.

FERIA V. POST TERtiam Dominicam Quadragesimæ.

Et ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ. Luc. 7. c.

CONCIO.

An mors falcata?

Tarquinio superbo capita.



TARQVINIO Superbo consuetudo fuerat, Magnos quosq; demetere. Quamobrem cum Gabios lõgo tempore oppugnatos capere non posset, minimum natu filium Sextium, plagis affectum transfugæ specie misit. Qui corpus, acerbis verberibus castigatum videntes, eum receperunt. Ille contra patrem multa magnaq; pollicitus, cum pleraq; factis exequeretur, fidelis habebatur. Cum vrbem in potestatem redegisset, atq; in Imperatorem ab eis ascitus fuisset, clã nuncio ad patrem misso, eum interrogauit, quid fieri vellet? Tarquinius (nam in horto colloquebantur) summa papauerum capita decutiẽs, inquit ad Nuncium: *Refer filio, me hoc facere quod vides*. Sextus Gabiorum potentissimos de medio sustulit, atque ita ad solitudinem & imbecillitatem Gabios redigens, ciuitatem eorum prodidit. Possunt hoc facere tyranni, vt magna nonnisi capita tollant. Mors non aspicit, siue enim magnus, siue paruus, siue iuuenis, siue senior sit, quem falce sua succiderit, tollit. Hodie vnum vnicum filium matris suæ tulit, qui efferebatur ad funus. Sed an falcatam iubeat appellare mortem? in id serio inquiremus.

Polyan. Lib. 8.

morti autem omnes demetere placet.

Falcatam pingunt, quicunque pingunt. Forte ab illo Angelo, quem Ioannes in sua Apocalypsi vidit. *Et vidi*, inquit, *nubem candidam, & supersuper nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Et alius Angelus exiuit de templo, clamans voce magna, ad sedentem super nubem. Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit messis terræ. Et misit qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, & demessa est terra. Et alius Angelus exiuit de templo, quod est in cęlo, habens & ipse falcem acutam. Et alius Angelus exiuit de Altari, qui habebat potestatem super ignem, & clamauit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens*

Falce cũ qua visa expl. vi.

Apoc. 14.

Bb

cens: Mitte falcem tuam acutam in terram, et vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt uvæ eius. Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum, & calcatus est lacus extra Ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu, vsque ad frenos equorum, per stadia mille sexcenta. Hæc in visione vidit Ioannes.

& inde picta. Exinde fortassis pictoribus ducta est, falcata mortis imago; quia & ille qui candida humanitatis nube tectus est, falcata fata regit, addens Ezechiæ quindecim, & cuidam Imperatori detrahens quatuordecim annos vitæ, vitamque omnium trino digito texens & retexens. & illi alij a templo, & ab altari messores fatales, falcati quoq; perhibentur esse. Habent enim a Deo potestatem texere, attexere, detexere & subtexere humanum stamen. Et exinde mortis imago, falce messoria insignis. quod ipsa quoq; Diuini effati ministra, trium sororum comitatu cincta, pergit lusum ludere in capitibus omniũ, quicunque nascuntur. Clamabat vnus Regum in hoc ferrum succisorium. *Dum* inquit, *adhuc ordirer succidit me, de mane v. q; ad vesperam finies me.* Optabat alter, hoc ferrum decisorium, *Soluat,* inquit, *manum suam, & succidat me.* De alijs idem testabatur, quod *succisa sit erectio eorum*, quasi *tela succisa a texente.*

Iob. 6. & 22.

Dan. 4. In aliam etiam quandam magnã arborem, aduocatur ferrũ detruncatorium, *Succidite arborem & dissipate illam.* Paterfamilias etiam quispiam ad suum colonũ clamat, *Succide illam. vt quid occupat terrã?* Siue itaq; a præfinitione Diuina, qui omnia in numero pondere & mensura disposuit, siue a necessitate materiæ, quæ in momento suas deiectat formas; siue ab aliquo ex Altari vel decrepidine altaris succidente Angelo, aliquis iacet morte vel naturali, vel violenta decisus, ab hoc archetypo lineas recte duxerunt pingentes, mortem falcatam fingentes.

Et quidem aliquis eorum appinxerat falci messoriæ, hoc Triumphale, *Nemini Parco*, nemini Triumphatori adscriptum. Nam Romanorum aliqui vsurpauerant illud tritum, *Parcere prostratis, debellare Superbos.* Hæc & prostratos & elatos, & maximos, & pusillos, & gigantes & Pygmeos raptat & secat. ita vt merito sibi vsurpet, *Nemini parco.* *cum inscriptione.*

Saturnus licet aurei fuerit seculi Princeps, tamen in suo labaro falcẽ messoriam circumgestabat. Orphici insinuant, et si quis ab aureo æuo, ab hac tñ succisoria, vt succũbat, opus. Sit Magnus Adam, sit ferox Nembroth, sit fortis Sanson, sit Salomon prudens, sit diues Cræsus, sit mollis Epicurus, sit denique is qui sit, a mortis falcatæ mucrone non immunis. Reperiet lapillus de monte, aliquid argillæ in hac permixta mole, quod percutiat, & Magnæ Matri, non generanti, sed deuoranti percutiendum tradat. *q̃ Orphica Saturni pictura docet.*

Nota est, statuæ a Nabucho visæ anathomia. In illa aurum, argẽtum. æs, ferrum, & tandem quoque figulina. Nam sic lego. *Tu rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis. Huius statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia ex argento, porro venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ. Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum te-* *& statuæ Nabuchi. expl. visio. Dan. 2.*

sta,

stra, æs, argentum & aurum, & redacta quasi in fauillã æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento: nullusque locus inuentus est eis.

Nihil potuit magis accõmodum appingi, in mortalium cõditionem. Fulge tu Põtifex aut rex auro obryzo? moriere. Cãdore argẽteo tu alter Doctor præfulge? moriere. Aereum robur tu miles, vel Ciuis præpande? moriere. In summa, & si fuerit aliquis ferrea, ærea, vel etiam chalybea duritie, moriatur necesse est, succisus ab hac falce.

Quidam apud Romanos *secuerat nouacula Cotem*. Non dispungo, nec disquiro. Hoc video, quia mors & adamantina fortitudine duratos, ferro suo dissecuit, præsecat, & præsecabit.

expl. loc. Iob. 40. Præclarè D. Gregorius, illa verba Dei ad Iobum. *Numquid pones circulum in naribus eius.* Explicat dicens. Quod hoc loco circulum, id *& circuli hierogliphic. designant.* scriptura Sacra per Ioannẽ in Apocalypsi falcem vocat. Potestas enim Diuini iudicij, quia vndique stringit, circulus dicitur; & quia intra se omnia incidendo amplectitur, falcis appellatione signatur. In falce enim quicquid inciditur, quaqua versum flectitur, intus cadit. Et quia potestas superni iudicij nullatenus euitatur, (intra ipsam quippe sumus, quomodolibet effugere conemur) rectè cũ vectus iudex ostenditur, falcem tenere perhibetur. quia cum potentior ad omnia obuiat, incidendo circumdat.

Intra iudicij falcem Propheta vidit, cum diceret Psalmo 138. *Si ascẽdero in cælum tu illic es; Si descendero in infernum ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Intra falcem quandam se vidit, cum ex nullo sibi loco patere fugæ aditum posse cognouit dicens Psalmo 74. *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus* (subaudi patet via fugiendi) & mox ipsam supremæ potentiæ omnimodam comprehẽsionem subdens ait. *Quoniam Deus iudex est.* Ac si diceret. Fugiendi via vndique deest, quia ille iudicat, qui vbique est. Diuina itaque iudicia, sicut signantur falce, quia circumuallantia incidunt, ita exprimuntur circulo, quia vndique stringunt. Vnde & messoriam, & vindemiatoriam falcem habere dicitur, quia omnes tam eos qui instar frumenti, vel lolij, quam eos qui racemorum symbolo censentur, sine delectu defalcat. Sicut enim colonus cum segetes metit omnes spicas æque colligit, licet vna præ alia creuisset, & vnius culmus sensim adolescentis alterius culmum præcessisset. Sicut etiam vineæ cultor, quando vindemiæ tempus aduenit, licet alter botrus turgidus, alter non ęque imbutus sit, sine discrimine decerpit: sic & iudicantis, Dei falcati mors falcata ministra, omnes in hoc agello homines desecat. Neque considerat, An quis imperet, an obediat, an liber, an vero seruus, an masculus vel fœmina, an Diues vel mendicus fiat: omnes promiscue rapit.

Altera ratio est, cur mors falcata pingatur. Sicut falx non tantum spicas, sed etiam simul aristas, arundinemque cui innititur dissecat. Ita mors non tantum hominem, sed & omnia simul cum eo naturæ, fortunæque bona corripit. Vt fluctus maris licet terribiles & furibundi tupibus illinc, illuc insistunt, & eorum inflatio disparet, ac tandem in littere deficiunt: ita propemodum & reges, & principes, cum omnia absorbere & obruere potentia sua videãtur, ad lapidem tamen sepulchri im- 2. *namomnia cum homine incidit.*

pingentes deficiunt, nec apparent vnquam. Diues enim cum dormierit, nihil secum auferet ex eis quæ possedit. Nec erit, qui illi calicem aquę frigidæ, immo ne guttam ex digito ausit propinare.

3. *Diuini decreti baiula est.*

Sed tãdem 3. addo rationem, cur falcata depingatur. quia nimirũ Diuinæ siue in bonum, siue in malum sententię baiula est. In eius enim ferro, stilo ferreo exsculptum est, quo quis iturus est. Lignum enim per eam excisum, quocunque cecideri iacebit, siue ad Austrũ felicitatis, siue ad Aquilonem damnationis, siue ad tempus ad intermedios fines Austri & Aquilonis, scilicet vel ad cælum, vel ad Infernum, vel ad Sacras purgatorij thermas, & ex his ad regnum beatitudinis æternæ.

expl. visio. Zacharię 5. c. hom. 19 & 27. ad popul.

Zacharias vidit, quoddam *volumen volans*. Pro volumine vertẽrũt septuaginta *falcem*. quam etiam interpretationem sequitur D. Chrysostomus. In hoc volumine falcato, cuius lõgitudo erat 20. cubitorũ, latitudo vero decem cubitorum, *erat scripta maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ. ex qua omnis fur, & omnis jurans judicabitur. Educam*, inquit, *illud* volumen seu falcem, *& veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius.*

Falcem volantem dicamus mortem: quia volentes, nolentes morimur. Bene Seneca id quod notum est expressit dicens: *Noli torqueri*, inquit. Cogita quandiu idem facias. Cibus, somnus, libido, per hunc circulum curritur. Sed prestat Diuum Chrysostomum audire, de hac falce disserentem. Falx *inquit* volans erat longitudine cubitorum viginti. Volans, velocissimum vltionis incursum significat. Multorum vero cubitorum longitudo & latitudo vehementiam indicat, & magnitudinem malorũ. At ex cælo volare, est ex superno tribunali sententiam ferri. Falcata vero forma, ineuitabilem supplicij sortem. Sicut enim quocunque falx incurrerit, non solum secum arripit, verum & caput amputat: iti dem & peccantibus pęna ingruens est difficillima, nec prius absistit, quam quod suum est obit. Quod si peccantes euadimus, ad nostrum hoc malum efficitur. Nam quid censetis? Quot post Ananiam & Sapphiram, eadem quæ illi sunt ausi? Quomodo igitur eadem nõ sunt passi? Non quoniam ipsis ignoscitum sit, sed quoniam maiori differuntur malo. Multa namque perpetrantes, nec dantes pęnas, terreri magis ac timere debent. Augebuntur eis supplicia, propter impunitatem & Dei longanimitatem. Ne hoc itaque videamus, quod non punimur, sed ne peccauerimus. Si vero peccantes, non pœnas damus, potius pauere debemus. Multi perpetrant, qualia Sodomorum Ciues; sed ignis pluuia non descendit. jgneus enim paratus est fluuius. Multi Pharaonis scelera commiserunt; sed Pharaonis pœnas non dederunt, nec in mari rubro submersi sunt. Quoniam pelagus eos expectat abyssi, vbi non cum insensibilitate supliciũ. Nec sufficit suffocari, sed amplius necesse est torqueri, assari, strangulari, consumi. Multi Israelitica sunt aggressi; sed eos serpentes non momorderunt. Manet autem eos vermis qui non moritur. Multi Giezi peccata perpetrarunt; neque tamen lepra respersi sunt. Manet enim eos pro lepra in binas partes secari, & poni cum hypocritis. Multi quoque iurauerunt & peierauerunt. Si vero fugerunt quoque, ne confidamus, imminet enim dentium stridor.

in ea enim scripta sunt supplicia vel præmia.

quæ dilata non sublata.

dor. Et hic quidam multa patientur incommoda, licet non cōfestim. sed post alia peccata; vt & grauior sit vltio. Quoniam & nos frequenter a minimis occasionem capientes, & pro magnis luimus totū. Hæc omnia ma a baiulat malis mors falcata. quæ prout quemque inuenerit, succidit, siue ad Austrum felicitatis, siue ad Boream damnationis æternæ.

quæ secūdum præsentē iustitiā vel culpā decernūtur tollat. 17. c. 26.

Frustra tunc prætendet alius orationes, alius eleemosynas, alius aliquid aliud operis boni prius acti; si in momento illo, ex quo pendet æternitas, conscius alicuius delicti mortalis, inuenietur a morte falcata. hęc enim iuxta lituras præsentes, quas in lamina indeletibiles aspexerit, decernet vel in dextram, vel in læuam.

Ioseph Abbas apud Cassianum, doctè desiniebat. Illud etiam, *inquit*, præ omnibus inæstimabilis illa censura nos instruit, quod cum sit ei ante ortum vniuscuiusque præcognitus finis, ita ordinatè ac ratione communi, & humanis quodammodo omnia dispensat affectib. vt non potentialiter, nec secundū pręscientiæ suæ ineffabilem notitiam, sed secundum præsentes hominum actus vniuersa dijudicans, vel respuat vnumquemq; vel attrahat, & vel infundat suam gratiam vel auertat; *addo ego*. & vel ad vitam, vel ad mortem judicet. Quod ita esse etiam illa Saulis manifestat electio, cuius vtiq; cum vituperabilem finem præscientia Dei ignorare non posset, de tot millibus Israelis elegit eum & vnxit in regem: pręsentis in illo meritum vitæ remunerans, non peccatum futurę præuaricationis intendens. Ita vt postquam reprobus factus est, velut pęnitudinem gerens electionis suæ Deus, humanis quodammodo, de eodem vocibus atque affectibus conqueratur damnans:

vt decreta sunt.

Pænitet me, quòd constituerim Saul Regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit. Et iterum. *Verumtamen lugebat Samuel Saulē, quoniam Dominum pęnitebat, quòd constituisset regem Saul super Israel.* Denique hoc quoniam opere fuerat executus, postea etiam per Ezechielem Prophetam Dominus protestatur, cū omnibus se hominibus quotidiano gesturum esse iudicio. *Etiāsi dixero*, inquiens, *justo, quod vita viuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradētur, & in iniquitate, quam operatus est, in ipsa morietur. Sin autem dixero impio, morte morieris, & egerit pænitentiam a peccato suo, feceritque iudicium & iustitiam, pignus restituerit, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniustum, vita viuet & non morietur. omnia peccata eius quæ peccauit, non imputabuntur ei.*

Sauli.

Hebræis.

Deniq; cum ab illo populo, quem ex omnibus gētibus Dominus adoptauit, propter subitam vituli præuaricationē, misericordiæ suæ auertisset aspectum, interueniens pro eo legislator, exclamat: *Obsecro Domine, peccauit populus iste peccatum magnum; fecerunt sibi Deos aureos. & nunc, si remittis peccatum eorum, remitte. Sin aliâs, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Cui respondit Dominus: *Si quis, inquit, peccauerit coram me, delebo eum de libro meo.*

Iudæ.

Dauid quoque dum de Iuda, & persecutoribus Christi Prophetico spiritu quæreretur: *Deleantur* inquit, *de libro viuentium.* Et quia nō mærebantur ad pęnitentiam salutarem, pro reatu tanti criminis peruenire, subiungit: *Et cum iustis non scribantur.* Denique in ipso Iuda vis Propheticæ maledictionis euidenter impleta est. Nam expleto proditionis crimine, suspendio se necauit. ne si post illam deletionem

nomi-

nominis sui conuersus ad pœnitentiam esset, iterum scribi mereretur cum iustis in cœlo. Non ergo est ambigendum, etiam Iudæ nomen illo tempore, quo electus a Christo, Apostolatus gradū sortitus est, in libro viuentium fuisse conscriptum, ac pariter eum audiuisse cum cæteris. *Nolite gaudere, quia Dæmonia vobis subijciuntur. gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Sed quia Philargyriæ peste corruptus de ascriptione cęlesti ad terrena deiectus est, competenter de eo ac similibus eius per Prophetam dicitur: *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes a te, in terra scribentur. quia dereliquerūt venam aquarum viuentium Dominū.* Et alibi. *In consilio populi mei non erunt, & in scriptura domus Israel nō scribentur, & in terram Israel non ingredientur.*

Redeo ad falcem messoriam, in qua quæ cuiuscunq; opera, caelte & adamante exsculpta tūc erunt, quando ad iugulum excindendum stringetur, secundum illa vel ad Sanctorum cætum apponetur, vel de censu eorum expungetur atq; delebitur.

Deletus est Saul reprobus. deletus Iudas maledictus. deletus non nemo qui iustitiarum oblitus, *apposuit adhuc peccare ei,* qui *atramentum scriptorium* gestat in manu, signans vel atrum stilum ad damnationem, vel candidum calculum ad saluationem. Non omnino improbatæ vitę erat quidam Pappulus, quem successorem acceperat B. Tetricus Episcopus Lingonensis. cæterum cum degeneraret a maioribus suis, & anteacta viuendi forma, deletus extinctusque est de libro vitæ, neque sine prodigio. Anno enim octauo Episcopatus sui, dum Diœceses & villas Ecclesię circumiret, quadam nocte dormienti illi apparuit B. Tetricus vultu minaci. Cui ita: *Quid tu,* inquit, *hic Pappule? Vt quid sedem meam polluis? vt quid Ecclesiam peruadis? vt quid oues mihi creditas dispergis? Cede loco, relinque sedem, abscede longius a regione.* Et hęc dicens, virgam quam habebat in manu, pectori eius, cum ictu valido, impulit. In quo ille euigilans, dum cogitat, quid hoc esset, fixè in loco illo defigitur, ac dolore maximo cruciatur, abhorret cibum potumque, & mortem iam sibi proximam pręstolatur. Quid plura? Tertia die cum sanguinem ore proijceret, expirauit, talemque, qualem repererat, mors falcata absumpsit.

Papulo. Gregor. Thuron. hist. Frāc. lib. 5. c. 5.

Deletus est sub id temporis & alius Cōstantinopolitanus diues, qui cum ęgrotaret, mortemque timeret triginta libras argenti erogauerat in pauperes. Oratione istorum restitutus, pręter spem suam, bonę valetudini, tādem fraude Diaboli eo inductus est, vt facti ipsum pęniteret, hocq; fideli cuidam amico suo aperiret. Monet ille hominem ne huic malę assentiatur cogitationi, Deumque irritet, qui propter istam largitatem misertus, sanitatem donarit. alioqui fore, vt subita morte, non dum mutato facto, pereat. Cum nō moueretur ille, sed magis magisque irritaretur, amicus; *Quando,* inquit, *salutare consilium non admittis aliud tibi subijciam pos cēti: verè misericors ille. Agedū,* ait *ad templum vade, & non te, sed me in pauperes elargitum pecuniam istam dicito: ipse statim triginta libras reddam.* Consentiens infelix ille, ad templum abijt; ita vt alter præceperat, locutus est, & aurum recepit. Vnde egrediens, ad ipsam templi portam concidens, mortuus est. Clericis de rei nouitate stupentibus, omnibusque alijs, qui forte aderant, iubentibus alterum pecuniam recipere suam: ille non obtem-

Baro. an. 553. Anonymo.

obtemperauit; sed inter egenos omnem diuisit; quod diceret; *Deum non pati Iannas & nomina eorum delere de libro viuentium, falce vindicatoria*, qua sternit vnumquemque iuxta opera sua, quibus tunc diues.

Hęc omnia, quę plerumque à morte, deflectentib. à via iustitię contingũt, vtinam nobis semper prę oculis essent: Non abs re sapiens monebat, *Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis*. Tres quidam Hierosolymis bis morte defuncti, qui ad destruendam hæresim quandam precibus Cyrilli, Eusebij, Hieronymique, iam cum Christo regnantis meritis, qua die mortui fuerant, resuscitati sunt; palam tęstari cœperunt, se Hyeronymo duce loca paradisi, inferni, purgatorijque perlustrasse; & cum damnandi essent, eiusdem apud Deum gratia antequam iudicarentur, ad vitam redire iussos. Enarratis igitur omnibus quę vidissent, sola infernalium pænarum consideratione, a lachrymis temperare nullo modo poterant. quod dicerent, tales ac tantas esse pęnas illas, vt nullæ peni nitus excogitari possent, cum ipsis comparandæ. Itaque, sine intermissione flebant, donec peracta 20. dierum pœnitentia, rursum vt prædixerant suis exuti corporibus decessere, non vt prius ad mortem, sed ad vitam.

quæ Viderunt tres mortui Hierosolymit.

Iosaphat quoque Auenir Indorum regis filius, Barlaam eremitę industria & disciplinis ad Christianitatem conuersus, meretriculæ cuiusdam forma blanditijsque & procacitate captus fuisset; nisi Diuina miseratione contigisset, vt parumper obdormiscens, & sanctorum gloriam, & damnatorum pœnas videret. Tyrunculus adhuc in fide erat: & puto turpis voluptatis, tam violentæ sollicitationi succubuisset, nisi per huiuscemodi visum, & paradisi delicias omnibus mundi oblectamentis magis expetisset, & omnibus formidabilibus ipsa inferni tormenta magis expauisset. Si ergo ista per speculum & in ænigmate & per quandam soporis vmbram visa tantam vim habuere. quid virium quantumque efficaciæ haberent, vt obijciuntur in morte?

& Iosaphat.

Narrat Magnus Gregorius, quendam in finibus Valeriæ prouinciæ ægrotantem, priusquam Seuerus presbyter ad ipsum a peccatis absoluendũ, adueniret, diẽ suum obijsse, moxq; die eodẽ, Seueri lacrymis ac precib. annuẽte Dño reuixisse. Is interrogatus, qd sibi cũ ẽ corpore migrasset contigerit: respondit, se a quibusdam hominibus nigrioribus, quam Aethiopes sunt, & qui ore naribusq. ignẽ afflabant, repente correptum fuisse, & per opaca loca atque aspera raptum deductum. Sed dum adhuc duceretur, a candidissimis iuuenibus, multaque luce coruscantibus obuiam factis dimitti, ac vitæ pristinæ restitui iussum; quod dicerent, Seuero præsbytero hoc poscenti, Deum concedere. Igitur cum reuixisset, atque septem dierum spatio superuixisset, tanto dolore ex recordatione visorum concutiebatur, vt prę lamentis vix non rumperetur. Cum deinde peccata sua eidem confessus pænitentiam peregisset, die septimo mortuum, sed felicius obdormiuit. Terribiles illi nondum confesso, cum per tenebras traheretur, dæmones fuere, haud dubio terribiliores futuri, si ad gehenam vsque pertraxissent. Ex istorum aspectus memoria, audistis quantam pænitentiam egerit. O si nos eorundẽ meminissemus, quæ post mortem ventura, certò certius aliam rationẽ vitæ instituerremus. Qui enim considerat, *inquit Gregorius*, qualis erit in morte, semper erit pauidus in operatione,

& Anonymus.

hac autẽ digne sũt memorãda.

atque

atque inde in oculis sui Conditoris viuet. Nihil quod transeat appetet, cunctis vitę desiderijs contradicet, & pene mortuum se considerabit, qui se moriturum minime ignorat. Perfecta enim vita, est mortis meditatio, quam dum iusti sollicite peragunt, culparum laqueos euadunt. Pulchre canebat quidam,

An cupis aduersus scelerum fœdissima quæque
Vulnera perfacilem dem tibi promptus opem?
Cum te turpe aliquid tentat, fac illico mentis
Sese mors oculis offerat atra tuę
Quisquis enim horrendum Christi cum morte tribunal
Cogitat, hic omnis criminis hostis erit.
Flante velut valido nubes Aquilone fugantur;
Sic meditata scelus mors procul omne fugat.

nam exinde multa vtilitas. In veteri lege, post immolationem hostię, cineres colligebantur & in certo loco collocabantur; non alio credo fine, nisi vt essent monitorium mortis, quam semper ante oculos pij deberent habere, ne peccarēt. Si herbido prato, vel maturæ segeti esset sensus, vt doleret ex sectura messoriæ falcis, crediderim ictum præcaueret. nobis in momenta insidiatur mors falcata, quę recisos vel ad vitam cęlestem, vel ad mortem secundam recidat, & nihil pensi habebimus?

cogitabat Messodamus. Messodamus Philosophus iam senex, cum ab amico in crastinum vocaretur ad conuiuium, *Cur me vocas in crastinum,* inquit, *qui a multis annis crastinum non habui, sed mortis aduentum in singulos dies expectaui, quæ nobis nunquam nō insidiatur, donec nos incautos etiam interdum opprimat?* & hæc quidem ille. Lego alium eiusdem professionis Philosophum ex *Anonymus.* caluaria humana sibi poculū preparasse, ex quo sitim potu extingueret, eo fine, vt in horas cogitaret se esse mortalē, neque scire quid sibi superuentura pareret dies. Felices, qui se hac sapientia, & a multis peccatis cohibuerunt, & familiarem sibi bonam mortem reddiderunt, ne in ea timores illos horrendos timerent. *& Musonius. Stob. Ser. de virtute.* Musonius scitis dictis, mortē meditandam sibi & alijs proponebat. inter quæ & hæc occurrunt. *Virtute prediti homines,* inquit, *sicut histriones faciunt. Vt enim bonus histrio bene prologum, bene medium fabulæ, nec non bene etiam catastrophen agit: ita bonus vir ex aspectu mortis, primordia vitæ rectè, & media probè, finemque congruentem his administrat.* Cogitemus & nos, mortem falce nobis minitantem, sicque non peccabimus in æternum.

sed ante omnes Caleph imitandus. expli. loc. Iosue 15. Concluderem, nisi mihi in mentem venisset, Caleph cum hæreditate sua. Hic non sortitione, sed Diuino præcepto, accepit sortem, in medio filiorum Israel, eo quod solus iste superstes esset, ex his qui egressi fuerāt ex Aegypto. in hac sorte data est ei metropolis Enach, *ex qua deleuit Caleb, tres filios Enach, Susai, Achiman, & Tholmai,* Origeni, *Enach,* interpretatur, *humiliatio inanis.* & recte designabit mortem, quę vera est humiliatio excelsorum verticum, æquo pede pulsans, pauperum regumque tabernas sua vmbra inani. Felix ille Caleb, cui hæc metropolis Enach, id est, meditatio mortis in hæreditatem obtigerit. Namque facile obruere potest, tres potentissimos & atrocissimos animæ suæ hostes, Susai, Achinam & Tholmai. Ille interpretatur. *extra sanctum*; secundus, *extra consilium,* seu *sine consilio*; tertius vero, *præcipitium*, aut *suspēsio.* Scitis quos scāt? Illos, qui mē tem sanctam animæ dissuadent, qui ad

ad profundum limosum trahunt, qui consilia sana præuertunt, qui fatalem ignauiam ingerunt, qui in pręceps impellunt, qui vel illud solenne *mitte te deorsum* inculcant, vel Iudæ laqueum collo innectunt; hos tam perniciosos duellatores, potis est quisq; delere, si modo possessionem herciscatur Enachi sortem, seu potius mortem. Moneo, dicite: *Hæreditate possideamus, hoc sanctuariū Dei*, si ab hac cassa caluaria, & exsucco olim animæ tabernaculo, cupimus transferri, ad tabernaculum non manu factum in cœlis. Amen.

FERIA VI. POST QVARtam Dominicam Quadragesimæ.

Egredimini Filię Sion, & videte Regem Salomonem in diademate. Cantic. 3. cap.

CONCIO.

De tertio mysterio SS. Rosarij, Coronatione Iesu Christi.



BRAHAM Patriarcha Isaacum immolaturus, habuit arietem cornibus in vepreto hęrentem, quem pro illo Gen. 22. supponeret. Ita lego in Genesi. *Leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Iesus autem noster seipsum in Cruce oblaturus, non habuit quem pro generis humani redemptione obtruderet. Ipse in horto, sanguineo madet sudore; ipse coram impio iudicio depalmatus, purpureo rubet cruore: ipse ad columnam ligatus, & flagris acutissimis laceratus, præbet dorsum flagellanti: ipse denique in vepreto confixus, coronaque spinea totum caput cōvulneratus, proprij sanguinis coloratur rubore. Egredimini Filiæ Sion, & videte, non suppositum arietem, sed ipsum Regem Salomonē in diademate, quo coronauit eum, non mater sed nouerca Synagoga. De hac coronatione Iesu, mihi hodiernus sermo.

Aries in vepreto, typus Christi coronati.

A veste, corona, sceptro arundineo, solio, & adoratione, cerno & cognosco Iesum Regem. Singula discutio. *circa coronationē consideranda.*

I. *Vestis purpurea.*

Postquam flagris cęcidissent, a columna solutum, veste purpurea detrita induerunt eum, implendis imprimis figuris. Mensam in qua panes propositionis olim deponebant, desuper extenso pallio coccineo operiebāt. *Sed & altare* inquit Deus, *mundabunt cinere & inuoluēt illud purpureo vestimento.* Num. 4. Hęc vtraque Iesum meum adumbrabant. Nam ipse est orbita panis viui, qui de cœlo descendit. ipse etiam altare propitiationis Diuinæ, a quo Salus nostra dependet. Quamobrem antequam in locum sacrificij deduceretur, oportuit illum purpureo paludamento circumdari. Decebat. Namq; & Sacerdotali & Regia dignitate fulgebat. Exod. 39. *De hyacintho & purpura, vermiculo ac bysso paratæ erant vestes, quibus indueretur Aaron, quando ministrabat in Sanctis.* Simul & *superhumerale de auro, hyacintho, purpura coccoque bis tincto, & rationale quoque opere polymito iuxta opus superhumeralis, ex auro, hyacintho, purpura, cocoque bis tincto.* Vt itaque Sacerdotem se ostenderet, qui in Ara Crucis pro nostrorum expiatione delictorum Sacrum celebraturus esset, voluit, non tantum alba veste ab Herode, verumetiam purpureo amictu ex vestiario Pilati effulgere. Sane potiori iure quam Aaron. Nā ille tantum

sacerdos. Iesus autem & Pontifex & Rex Regum, quibus solenne est paludamento purpureo resplendere. Quæsijsti, ò cœlites, *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra*? Agnosco & video Principem de Tribu Iuda, Regnantem in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. qui habet in femore vestimenti sui scriptum, Rex Regum & Dominus Dominantium. Sed *quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimẽta tua sicut calcantium in torculari*? Lauit *in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Torcular,* inquit, *ego calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea. & aspersus est sanguis eorũ super vestimenta mea, & omnia indumenta mea coinquinaui.* Sed quando? In horto dum sudauit; & ad columnam dum pro nobis vapulauit, atque in profluuio sanguinis sui inambulans, illos atros principes tenebrarum conculcauit.

expl. loc. Iosu. 7. Lego Achani confessionem, qui tulerat aliquid de anathemate Hiericho. *Vidi* inquit, *inter spolia palliũ coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli, & abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui.* Non proprium solius Achani fuit hoc peccatum, sed secundum tropologiã totius generis humani. Pallium Diuinitatis, & nummum Diuino charactere percussum, simul & regulam directricem auream Deitatis clepseramus, dum similes esse Deo exambieramus in Adamo. ideoque a Deo vindice, multis supplicijs addicti necabamur. Misertus nostri Assertor Iesus, voluit hoc syrmate opprobrioso circumdari, proque regula aurea sceptrum arundinem assumere, vt sic indutus, nostrum scelus fateretur, proque debito quod nimis magnum contraxeramus, ex vndique forato corpore pretium redemptionis proferret.

Venite nunc o filiæ Syon, & videte nouum Ionatham, donum vel pignus columbæ, de spiritu Sancto conceptum, quẽ, in figura Ionathę summi Sacerdotis rex iussit spoliari vestib. suis, & indui eum purpura. *1. Mach. 10. Figura.* Videte etiã nouum Prophetam, per Danielem prędignatum, atque in typo eiusdem Danielis purpura a Principe indutum. *Dan. 5.* Videte quoque insuper hunc plusquam Salomonẽ, cui in circumcisione, in sudore sanguineo, in depalmatione, & in flagellatione, & demum in coronatione placuit pro amore nostro rubricari. En habetis ferculi, quod ascensurus erat in Golgotha, ascensum purpureum, media charitate constratum. *Cant. 3.* En videtis Tabernaculum fœderis verum & viuum, pellibus arietum rubricatis opertum. *Exod. 36* En procedit ille qui tanquam colonus venerat in terram, rubenti flagrantissimi ex vino amoris patagio conspicuus. En rex melior & excellior Saule, qui vestire consueuit suos *coccino in delicijs,* & qui prębet *ornamenta aurea cultui* animarum. *2. Reg. 1.* En potentiorem Monarcham Antiocho, cui est lubentia dare *potestatem bibendi in auro, & esse in purpura, & habere fibulam auream.* *1. Mach. 11.* Iam ab hoc eius amictu tot vicibus sanguinea tinctura imbuta, spes nobis est, implendę illius pollicitationis, *Si fuerint peccata vestra rubra sicut vermiculus* aut coccinum, *quasi lana alba erunt;* ex hoc lauacro depurante.

Iam vero & a corona, Regem meum Iesum cognosco. Super caput Sacerdotis Iehosua, posuerant iubente Deo, *cidarim mundam, & induerunt* *Zach. 3. 2. Corona Spinea.*

duerunt eum vestibus. Super caput mei Iesu, Sacerdotio regali elatum, plexam de spinis coronam imposuerunt, adactis cerebrotenus acutis sentibus.

Exod. 3. Viderat Moyses Deum in rubo ardenti residentem, & vehementer mirabatur, quia rubus arderet, & nō combureretur. Quid diceret, si cerneret eundem dumeto toto coronatum, & ex impactis spinis in caput, tam inexhausto sanguinis eluuio madidatum?

Exod. 25. Arca testamēti & Altare thymiamatis corona aurea cingebantur: ille vero, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dej absconditi, & qui est exsecrandi peccatorum nostrorum pędoris, ex admiranda suæ obediētiæ fragrantia correctio, non auro, sed rhamno coronatur. In
1. Mach. 4. dedicatione restaurati templi, faciem eius Iudæi ornauerāt coronis aureis; Templi autem non manufacti, mox per ipsos ad nostram reparationem destruendi, non aureo sed spineo serto verticem conuulnerauerunt. Alcimus sūmus Sacerdos De-
2. Mach. 4. metrium regem conuenerat, *offerens ei coronam auream, & palmam, quæ templi esse videbantur*; at eius successores tradentes Iesum Pilato, per manus militum, impegerunt tanquā regi coronam ex vepribus contextam. Nec enim ex suo senticeto aliam habebant. Namque terræ nostræ maledictum est illatum, *spinas & tribulos germinare*. Et spinis itaque & tribulis, contribulare voluerunt caput innocentis. & florem florum, atque vineę electissimę Botrū, rubeto pungenti circumdare. vt esset *lilium inter spinas*, spinis caput coronatum.

Sacerdotes Aegyptij papyro Deos coronabant, vt Honchala Antonius obseruauit. Quapropter vt maioribus adhuc opprobrijs Iesum saturarent delusores, pro corona papyracea, munceam impresserunt. quasi Deitatem exprobrantes, quam Saluator sibi inesse rebus & signis asserebat.

Triumphatoribus quoque Romanis, variæ coronę donabantur. *Vallaris* siue *castrensis*, ex auro, in valli speciem efformata, illi qui primus hostilia castra pugnando inuasecat. *Muralis* frondea, illi qui primus murum subierat, inde velut pinnis muralibus intercisa. *Ciuica*, quā ciuis ciuem donabat, ob salutem vitamq; ab eo perceptam, eratque iligna vel querna. *Naualis* siue *rostrata*, quibusdam quasi nauium rostris insignita, quam accipiebat qui prelio maritimo primus hostilem nauem insiluerat. *Obsidionalis*, quam obsessi liberatori suo, ex gramine loci obsessi plexam offerebant. *Oualis* myrtea, qua vtebatur Imperator, qui incruenta victoria hostem profligarat. *Triumphalis* aurea, quæ Imperatori ad honorem triumphi mittebatur. *Florea* quoque, sed iam sponso pangebatur. *Pinlyrea* insuper, quæ conuiuiorum moderatoribus texebatur. Corona Roman.

Nullam harum Iesu Regi, sed ad maximum ludibrium, spineam, velut homini scelerato confinxerunt, eiusque tempora confixerunt. Merebatur solus omnes illas. Ille enim primus Principis tenebrarum castra, non inuasit tātum sed diripuit. Ille primus muros inferorum transcendens, captiuam inde captiuitatem eduxit. Ille Ciues domesticos Dei, ab impura seruitute in libertatem asseruit. Ille mare seculare ab crudelibus principibus expurgauit, & capita Draconum teterrimorum in aquis sanguineis contribulauit. Ille sedentes in tenebris & in vmbra mortis obsessos, ad vitæ & lucis vsuram reuocauit. Ille Principatus & po-

potestates traducens in ligno Crucis solus triumphauit, & chyrographum decreti deleuit affigens illud ligno. Ille insuper tanquam sponsus procedens de thalamo suo, & tanquam Modimperator Conuiuij cęlestis, florem & philyream merebatur. Nullam tñ earum sibi passus est imponi, ne quid deesset ad humiliationem, & ad cruciationem. *Væ* Isai. 28. iam *corona superbiæ, ebrijs Ephraim, & flori decidenti. Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim; & erit flos decidens gloriæ exultationis*, si homo vermis aspiciens regem regum mansuetum atque humillimum, humilitatis corona confossum, deinceps ipse audebit extento collo ambulare. Pudeat, *inquit* serm. 5. in fest. Omn. Sã ctor. *Bernardus* sectari gloriam membra, quibus caput suum tam inglorium exhibetur, non habens speciem aut decorem, vel aliquid eiusmodi. Nimirum Salomon est, quod interpretatum est pacificus; sane quod in pręsenti est, non vtique beatificus aut glorificus, vt in omnibus angelicum illud elogium commendatur, quo terris pacem, cęlis gloriam tradiderunt. Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum, quod omnis ei interim purpura, non tam honoris sit quam irrisionis.

3. Sceptrũ arundineum. Sed iam sceptrum regis nostri contemplemur, quod ex arundineto euulsum, in manus ei dederunt. Congruebat, & Sathanæ confringendo, & homini roborando. Ille etenim Behemoth elegit in secreto calami dormire, & in carrecto scyrpeo quiescere in locis humentibus. In suo itaque cubili traditus est Iesu in manum; vt exturbaretur, & conculcatur. Hominum etiam nonnemo est, qui non, instar arundinis a vento motę agitetur, nutet, & inclinando ab ęquo declinet ad iniquitatem. Firmando itaque illi, data est arundo Saluatori pro sceptro, vt postea dicamus cum Psalte, Dominus fortitudo mea, Dominus firmamentum meum.

Tali paludamento, sceptro & corona inauguratum Iesum, producit Pilatus in scamma, productumque sanguinarijs illis ostendit, dicẽs: *Ecce homo*. & quasi tunc mente a Deo 4. Scãma. mota, videtur mihi respexisse ad propheticum indicem, qui est in Psalmo. expl. loc. Ps. 51. *Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, & præualuit in vanitate sua*. Futurum enim Dauid prędixit, vt Christus monstraretur a Pilato, fere ad hunc sensum. Ecce homo, qui derelictus infirmitati naturæ assumptę, & feralium Iudæorum expositus crudelitati, præ sputis, liuore, vibicibus, vulneribus, vix hominis habitũ gerens, immo vero iam *vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis*, qui videtur abiectus fuisse a Deo, quem quasi non posuit adiutorem suum: tamen præualuit contra mortem, infernum & sathanam, in hac vanitate & ludibrio suo. Veniet siquidem tempus quando scisso Templi velo, mundique istius cortina immutata, apparebit in nubibus cæli, cum virtute, & maiestate magna, decem millibus millium Angelorum, & decies centenis millibus Cælicolarum stipatus. Nunc a planta pedis vsque ad verticem capitis nulla est in eo sanitas, adeo vt non sit ei species neque decor, tunc autem amicietur lumine sicut vestimento. Præuidit Ioannes maiestatem eius & enarrauit. *Vidi*, inquit, *cælum apertum, & ecce equus* Apoc. 19 *albus, & qui sedebat super eum vocabatur Fidelis & verax, & cum iustitia iudicat & pugnat. Oculi autẽ eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse. & vestitus erat veste aspersa sanguine, & voca-*

& vocatur nomen eius verbum Dei. & exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo. & de ore eius procedit gladius vtraque parte acutus, vt in ipso percutiat Gentes. & ipse reget eas in virga ferrea, & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis & habet in vestimento, & in fæmore suo scriptum, Rex Regum & Dominus Dominantium. Ecce itaque homo, qui dicebatur non posuisse Deum adiutorem suum præualuit atque prgualebit in vanitate sua. dum pro purpura detrita sanguine respersa, gloria & decore induetur; pro spineo vulnifico serto, multis diadematibus coronabitur; pro fragili arundine, gladio succinctus & virga ferrea armatus; p sannionum alba, ipso Sole circumfusus apparebit in hoc velocissimo tolutario orbis. Videbit eum omnis caro. & prĕsertim isti qui pupugerunt. Licebat tanquam phreneticis vociferari; *Tolle tolle, crucifige eum.* Sed tunc etiam necessum erit inclamare, *montibus cadite super nos, & collibus, operite nos.* Iubebat imperium eius aspernari, cum dicerent. *Non habemus regem, nisi Cęsarem;* sed tunc etiam oportebit capita conquassanti supponere. *Iudicabit enim in nationibus, conquaßabit capita in terra multorum.* Placuerat speciem eius irridere; sed tūc etiam Dominus subsannabit eos, dicens quod vere in impios dictū; Ecce homo qui non posuit Deū adiutorem suum, sed præualuit in vanitate sua. ecce qui parturiuit iustitiam, conceperat dolorem, & pepererat iniquitatem, incidit in foueam quā fecit. ecce *gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis, & nullum est operimentum perditioni* eorum. Iob. 26.

Ad extremum cupido incesserat Iudęos, Iesum ficti specie deludere regni dum accedentes cominus, genu inflectebant, dicentes, *Aue rex Iudæorum.* Non ita pridem dum solenni pompa ingrederetur Ierosolymam, sternebant quaquà incedenti vestimenta in via; alij vero cædentes ramos de arboribus, tanquam triumphatori stratas adornabant; plurima vero turba virorum, & præcipue puerorum clamabant exultantes: *Hosanna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini Rex israel. Benedictum quod venit Regnum Patris nostri David. Hosanna in excelsis.* Dum vero placuit Deo permittenti, statim mutauerunt gloriam Regis, in similitudinem alicuius scurræ, immo plusquā scurræ. Non omnino dissimile prĕcessit in typo Dauidis. Reuertebatur ille a cæde Goliæ, ouantis in modum. Tunc mænibus effusi Ciues, per choros distincti, lætū pæana accinebant. *Percussit Saul mille, & David decem millia in millibus suis.* Sed non diuturna fuit tam lætitia, quam ex lætitia honor, Saule Rege innocentem persequente. ita vt dicerent postea: Nonne iste est Dauid, de quo canebant in choro dicentes: *Percussit Saul mille & David decem millia in millibus suis?* Tam subitaneam versuram? Sic & nostro Regi de domo Dauidis nato, accidit. Faustis acclamationibus prætonorauerant ingredientem, quem in Coronatione derident vix pedibus consistentem. *Aue*, inquit, *rex Iudæorum.* Suffecisset atrocitati, irrisisse; huic mantissam placuit adijcere, dum Regis Regum caput arundine quatiebant, & coronam spineam quæ iam neruos penetrarat, magis ac magis imprimebat. O mi Iesu, quomodo sustines maledicos canes in te conglomeratos, & insultantes, & laniantes?

[Margin: 5. Illust. — 1. Reg. 19.]

Pro me, cerno, hęc sustines. Me enim

nim

nūm in te video ad viuum expressum, meæ totius vanissimæ vitæ fabulam repræsentantem. In liuoribus & vibicibus tuis aspicio, luxuriantis carnis meæ depetiginem. jn diademate spineo, elati mei capitis superbiam. jn sceptro arundineo, meam inconstantiam & fragilitatem. jn puputeo paludamento, meū fastum, ambitionem & contumacis animæ præsumptionem. jn scammate excelso, appetentiam Aquilonarium nubium, ex quarum conuexo subpedaneo tuo, mihi solia erigere cogitabam. jn ridiculosa salutatione & adoratione, congeneum amoris proprij, laudis, honoris & gloriæ studium; quæ omnia mei causa tu benignus mansuetus & humilis præferre dignatus es, vt me per te persanares. Adoro te regum ter maxime & Benedico tibi. Aue rex Iudæorum. Aue Orbis redemptor & Monarche Monarchorum. Tu rex gloriæ, Christe; tu Patris sempiternus es Filius. Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti virginis vterum. neque dubitasti manibus tradi nocentium, & amarissimæ Passionis subire tormentum. Tu Imperator excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram. Tibi ergo regi seculorum immortali, visibili, atque inuisibili Deo, honor & gloria in secula.

Dilecti. Sācti illi celestes seniores, cum beneficia ab hac indignitate Regis nostri recolunt, procidere solent in facies suas, & mittere coronas suas ante thronum eius, adorantes Iesum viuentem in secula. Orone & nos minus grati inueniamur, sed ex veste, arundine, corona, scammate, irrisioneque eiusdem memori animo beneficia recensentes, si qua est adhuc corona superbiæ in nostro vertice, eam deponamus. & aspicientes regem Pacarium in diademate, quo coronauit eum mater sua, procidamus in facies nostras in conspectu eius, salutantes, Aue rex Iudęorum, qui regnas in æternum Amen.

SABBATHO POST QVARtam Dominicam Quadragesimæ.

Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Ioan. 8. c.

CONCIO.

De Christi sequela.



OLEM quem videmus, non temporum modo terrarumq;, sed siderum etiam ipsorū cęliq; rectorem, veteres appellabant. Merito. Nam non tantum lumen suum sideribus cæteris fænerat, sed eadem etiam attemperat, dirigit, & ad suum flectit aspectum. Neq; illa reluctantur, sed naturali conuersione aspiciunt, excipiunt, & sequuntur. Talis volebat esse inter Fideles Sol iustitiæ Christus, totius splendoris sanctimoniæ Conditor & auctor: vt omnes illum aspicerēt, lumen ab eo detenebrans exciperent, & anteambulonem non cespitantem, neq; aberrantem, indefesso vestigio sequerentur. *Qui enim*, inquit ipse, *sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* De hac Christi sequela, mea hodierna dissertatio. *Plin. lib. 1. cap. 6. hieroglyf. Christi Sol.*

Sol pro varietate altitudinis & sequelæ, colores temperans in astris, no vno, sed difformi, appropinquantes Stellas tingit fulgore. Vnde suus cuique color est, Saturno candidus, Ioui clarus, Marti igneus, Lucifero candens, Vesperi refulgens, Mercurio radians, Lunæ blandus, ipsi vero *Plin. lib. 1. ca. 18. nam & ipse Sanctos vario tingit fulgore.*

Soli

Soli cum oritur, ardens, postea radians. Sic etiam Iesus Sol iustitiæ non æqualiter suo inficit lumine credentes, sed pro varietate sequelæ. alium candore iustitiæ, alium claritate sanctitatis, alium igneo zeli feruore, hunc candente & refulgente virginitatis radio, illum radiante prudentia, alium blandæ hyladræ misericordia & comitate. Sed antequam hæc explico, adduco quę Origenes ad populum dixit, duo luminaria magna & stellas a Deo creatas dispungens. Sicut Sol, *inquit*, & Luna, magna luminaria dicta sunt esse in firmamento cœli: ita & in nobis Christus & Ecclesia. Sed quoniam etiam stellas in firmamento posuit Deus, videamus quę sunt etiã in nobis stellę, idest in cordis nostri cęlo. Moyses stella est in nobis, quæ lucet & illuminat nos actibus suis. Et Abraham, Isaac & Iacob, & Esaias, & Hieremias, & Ezechiel, & Dauid, & Daniel, & omnes quibus scriptura Sancta testimonium dedit, quia placuerint Deo. Sicut enim stella a stella differt in claritate; ita etiam Sanctorum vnusquisq; secundum magnitudinem suam lumen suum diffundit in nos. Sicut enim Sol & Luna illuminant corpora nostra: ita & a Christo atq; Ecclesia illuminantur mentes nostræ. Ita tamen illuminamur, si non simus mentibus cæci. Nam sicut Sol & Luna corporalibus oculis cæcos quamuis illustrant, illi tamen recipere lumen non possunt: ita & Christus lucem suam pręstat mentibus nostris: sed ita demum nos illuminabit, si nequaquam cęcitas mentis impediat. Quod etiam si accidat primo, oportet eos qui cæci sunt sequi Christum, vt visum ab eo recipiẽtes, possint deinceps & lucis eius splendore radiati. Verum non æqualiter omnes qui vident illuminantur a Christo, sed singuli secundum eam mensuram illuminantur, qua vim luminis recipere valent. Et sicut non æqualiter oculi corporis nostri illuminantur a Sole, sed quanto quis in loca altiora conscenderit, & ortus eius editioris speculæ intuitione fuerit contemplatus, tanto amplius & splendoris eius vim percipit, & caloris: ita etiam mens nostra quanto altius & excellius appropinquauerit Christo, ac se viciniorem splendori lucis eius obiecerit, tanto Magnificentius & clarius eius lumine radiabitur, sicut & ipse ait per Prophetam: *Appropinquate mihi, & appropinquabo vobis, dicit Dominus*. Et iterum dicit; *Deus appropinquans ego sum, & non Deus de longe*. Pro gradu itaque propinquitatis & sequelę, fiunt illuminationes a Christo. Sed ad superius insinuata reuertamur.

hom. 1. in Genesim · *ex quib.*

1. *Saturni sydus candido resplendet lumine*, ex tali aspectu Solis, quem subsequitur. Significat mihi Saturnia regna, & hos qui illis præsunt, quibus necessaria est Christi Solis sequela, in candore iustitiæ. Sol iustitiæ Iesus non alius est diuiti, alius pauperi sed idem. neq; aliter calfacit Regem aliter colonum. scilicet, quod illi dixerunt ipsi hostes, non respicit personas, sed merita vel deme rita. neq; in hanc vel illam partem statera inclinat, sed media agina cõsistit. Si vero inclinat, magis ad dexteram clementiæ declinat. quod vidistis fecit in adulterę negotio. Volebat sui sequaces Iudices, in hoc se indidem imitari, ne personam accipiant, neque auro vel amore prægrauati in sinistram, sed si adlubuerit a rigore declinare, in dexteram magis propendeant Clementię. ne forte audiant ab eo illud durum. *Vsquequo iudicatis iniquitatem, & faciem peccatorum sumitis? Iudicatę egeno*

Rex, Senator, iudex.

egeno & pupillo, humilem & pauperem justificate. Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate. Sed proh dolor? Multi Principum & Iudicum, *nescierunt, neque intellexerunt. in tenebris ambulant.* vt est in eodem Psalmo. ita vt & inter nos illud Tragicum sonet, (Ps. 81.)

Neglecta terras fugit, & mores feros (Senec. in Octau.)
Hominum cruenta cæde pollutas manus
Astrea virgo, siderum magnum decus.
Cupido belli creuit, atque auri fames,
Totum per orbem maximum exortum est malum;
Luxuria, pestis blanda: cui vires dedit,
Roburq; longum tempus, atq; error grauis.

Taceo commemorare cupiditatem vindictę, rapacitatem munerũ. quin quam video etiam libidinantẽ mentem, per capita ire virorum, quę est in Iudicibus plerisque. Hoc tantummodo doceo, non minimo in odio esse omnes, quicunque sunt tales, apud ęquitatis Solem; qui justitias iudicabit, quiq; candorem jmmaculatum justitię exigit, in sequace Saturnio Astro.

Proclus Platonicus *Justitiam Virginem* esse scribit. quoniam judicem decet esse purum incorruptumq;. cuius sit virginitas symbolum. Dici porro & Iouis filiam, declarat Hesiodus hoc versu, (Cælius li. 23. c. 16.)

Virgo Iustitia est, prognata Ioue, quasi ab ipso Imperatore vniuersorum, ęquitatem docta. Traditum quoque est memorię, Magistratuum statuas a Romanis ita solere formari, vt *sine manibus* essent; Principum vero *clausis oculis*. nimirum eam *Justitiæ* naturam esse ostendentes, vt incorrupta sit, nec precio, precibusve, aut alienę vlli voluptati aut cupiditati cedat. Adscribebant eidem *libram*, significantes omni diligentia & summo studio expendenda, nec huc nec illud declinare judicem. Tradunt veterum monumenta, Aegyptijs regibus ex præscripto legis antiquissimę moris fuisse, Iudices mox futuros iureiurando adigere, ne si rex quidem jniusti quippiã iniunxisset, a virtutis medio declinaturos, nec lineam omnino (quod dicitur) moturos. Idem veteres *ternarium* quoque numerum dedicarunt *Iustitiæ*, vt de Pythagoricis disciplinis Plutarchus ait. Iniuria siquidẽ afficere, neq; non affici, cum extrema sint, & idcirco vitiosa, iustum æqualiter vtrinq; reductum, in medio residet. Herodotus *vulturem* ab Hercule pro *justitiæ* symbolo habitam tradit, quod ea justissima omnium auium, quæ volatilibus vescantur, judicetur; eaq; de causa semper apud eum magnæ ęstimationis fuisse, lætariq; solitum, cum inter res agendas *vulturem* aspexisset. *Vultur* enim nihil quod viuit attingit, nec animatum quicquam interficit. (Tabulæ hieroglif. Principũ.) (Pier. Valer. li. 34.) (iustitia simbolũ. Vultur.) (& lib. 17)

Docentur judices exemplo Christi, qui *calamum quassatum non contriuit, neque linum fumigans extinxit*, ne hos qui nõ omnino cõuicti sunt, sed habent quo famam, fortunas & vitam tueantur, attingant aut damnent. Præstat enim nocentem non conuictum potius absoluere, quam damnare innocentem. Satis iniquus fuit judex ille mulieri Septies ictæ, propter suspicionem adulterij.

Sed narrabo hoc quod S. Hieronymus retulit, & addam alterum atque tertium, in candẽ acerbam quorundam iniquitatem judicij. (iniqui Iudicij exẽp.)

1. D. Hieronymus testatur, Vercellis maritum fuisse, qui jnnocentem vxorem adulterij reã fecerat. Quæ constantissimè huiusmodi crimen nun- (de mulie re septies icta.)

nunquam confessa in carcere tamen sic asseruata est, vt non facile illi crederetur. Et præcipuè quum tortus iuuenis, criminis huiusce reus tormentorum vim non sustinens, sese criminis obnoxium fateretur. Quare damnato a judicibus iuuene, fæminaque, vt capite plecterentur, ductus in publicum iuuenis, statim primo illato vulnere interfectus est. Quum vero ad fæminam ventum esset, cuius colum spiculator peteret, omnes illius conatus irriti fuere. Tãdem septimo icta & vulnere affecta, quum mortua crederetur, cadauerque eius efferretur, viua domum deducta est. curatoque breui vulnere, pudicitiæ innocentiæque suæ superstes, quoad vixit testis fuit, cui crederent vniuersi.

2. Non minus impia ac sceleris plena fuit illa iniuria, q̃ cuidã innocenti puellæ illata. Iuuenis quidam Arassensis clericus, cuius in deterius mores ibant, cum domi suæ hominem occidisset, vna cum sorore eum sepeliuit. Re detecta, ad supplicium deducebantur damnati, vt ambo viui cremarentur, qui in eo consternati, Christiano more fateri crimina sua, & a Deo veniam petere noluerant. Soror, quę innocens eius criminis erat, cum fratre collachrymabatur, quod innocens comburi deberet. itaque cum iam supplicium instaret, & Diuinitus monita lustrare animam confessione decreuisset, fratri vt idem faceret suadebat: sed frater prorsus rem abnuebat. ipsa igitur sola confessa est. Cum autem intra pyram vna ducti essent vt comburerentur, quia iustiora Dei judicia sunt quam hominum, Deo ita agente, succensa pyra clericum solum, incolumi atque omni ex parte illęsa Sorore combussit. Ita Deus iudicans in medio Deorum, innocentem declarauit.

Par est huic quod subiungam. Macarius Aegyptius Monachus, abbatis Antonij discipulus, cum ad eius antrum quidam profugisset, opis petendæ gratia, quia magistratus tanquam reum patratę tunc cędis insectabatur; is autem se insontem affirmabat: Nominis sui reuerentia magistratuum vim repressit. Et quia suspicio tantum, non testes hominem vrgebant, vt veritas palam fieret, egit: vt qui occisus fuerat, ex tumulo, omnibus qui aderant audientibus loqueretur. Qui quoniam affirmauit, nihil cędem suam ad eũ pertinere, cui tunc crimini res dabatur, Macario autore absoluit. Attendant itaque judices quod Hesiodus insinuat.

Ipsa autem iustitia est virgo ex Ioue nata.
Castaque veneranda que Deis, qui Olympum habitant.
Et quando quis ipsam læserit oblique damnans.
Statim apud Iouem patrem sedens Saturnum.
Dicit hominum iniustam mentem donec soluat,
Populus iniustitias Regum, qui mala sentientes.
Alij inclinant iustitias oblique loquentes.

Proximum Saturnio sideri emicat Iouis astrum, radio *claro*. Decet Iehouæ Magni, Magnos symmistas claritudo sanctitatis. *Sancti*, inquit, *estote qui fertis va'a Domini*. Non sine mysterio, veteris legis Sacerdotes lino campestri albissimo cingebantur, & ignem succendebãt. Docebantur, vt lumbos præcingerent Zona puritatis, & lucernas gestarent in manibus clarę vitæ. Ne in eos illud ex triuio iaciatur. sordidas contemptasque partes agit, contemptibilemque se pręstat. *Mithagyrtes, nõ Daduchus*. Sed hęc sibi illi ipsi. 2. *Sacerdos.* *Leui. 16.*

3. *Miles.* *Marti igneus* color est. Decet militiæ auctoratos, zelus feruens publicę salutis, atque inprimis honoris Diuini. Habent quem imitentur suum Solem, qui zelo domus Dei succensus columbarios ex ea eiecit; & cupidus salutis humanæ, pro nobis mori non dubitauit. Vtinam vero etiam nostri tales. Sed cogor illud *epist. 94.* dicere de eis, quod Petrus Blesensis deplorabat. Hodie, *inquit*, militaris disciplina, quam Vegetius, Renatus & plerique alij docuerunt, prorsus euanuit, & se in quandam delinquendi libertatem, & scurrilitatis speciem deformauit. Olim enim se iuramenti vinculo milites obligabāt, quod starent pro reipub. statu, quod in acie non fugerent, & quod vitę propriæ vtilitatem publicam præ haberent: sed & hodie tyrones, enses suos recipiunt de altari, vt profiteantur se filios Ecclesiæ, vtque ad honorem sacerdotij, ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum, & patriæ liberationem se gladium accepisse: porro in cōtrarium versa est. Nam ex quo hodie militari cingulo decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, & deseuiunt in patrimonium Crucifixi: spoliant & prædantur Christi pauperes, & miserabiliter affligunt miseros. Addo ex *Aemilio Lampridio.* Emunt duces militem, non legunt. Pecuniola proponitur, tympanum strepit: & ecce coeunt aliquot ignoti inter se, ignorantesque, purgamenta vrbium suarū, quibus ob egestatē & maxima flagitia peccandi necessitudo est, assueti latrocinijs, bellorū insolentes; quorum lingua vana, manus rapacissimæ, gula immensa, pedes fugaces; quæ honeste nominari non possunt, inhonestissima: nullam disciplinæ formam, nec extrema quidem eius lineamenta seruantes, lasciuientes certatim; inter quos omnia indisposita, temulenta, peruigilijs Veneris ac Bacchanalibus quam disciplinæ & castris propria. Hi nec in ꝓcinctu, nec in castris habentur: sed per municipia desides, hospitibus tantum metuendi, effunduntse in luxum, epulas & nocturnos cætus. Ibi circumferri merum largius iubent, debellaturi super mensam Alexandrum; suas vires extollere docti; hostium paucitatem contemnere: cæterum galeati lepores, & quibus vt ad populandos finitimorum agros, tectaque vrenda, & capienda pecora aliqua vis sit, ita in acie & signis collatis nulla vis est, nec in victoria eis decus, nec in fuga flagitiū. Vt omnia paucis: Exercitus lingua quam manu promptior, prædator est socijs, & ipse hostium præda. O quis istam cohibeat licentiam?

Scio Aurelianum & Alexandrum Seuerum solitos refrenare. Aurelianus Imperator, cum a vicario suo literas accepisset: quibus efflagitabat vt rescriberet, quomodo res gerenda esset, statim rescripsit in hunc modum: *Si vis tribunus esse, imo si vis viuere, manus militum contine. nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat: Segetem nemo detrahat: oleum, sal, lignum nemo exigat. annona sua contentus sit. De præda hostium, non de lachrimis prouincialium habeat. arma tersa sint: ferramenta samiata, calciamenta fortia; stipendium in baltheo, non in popina habeat; captum animal non vendat; mulum centuriatum comiter curet: alter alteri quasi seruus obsequatur: a medicis gratis curentur, haruspicibus nihil dent: in hospitijs caste se agant; qui litem fecerit, vapulet.* *edicta in milites. Vopiscus in Aurel.*

Bellissarius, sui tempori facile omnium Ducum militarium princeps, ex ea formula militem continuit. Cum enim ad recuperandam

ex Gotthorum manibus Italiam mitteretur, adeo ab omni intemperantia milites cohibuit, vt cum iter facerent per amœnissimos hortos quanquam defessi, ad decerpendos fructus qui ab arboribus pendebāt, nunquam manus extenderint.

Aelius Lampridius. Disciplina militaris.

Alexander vero Seuerus ea ratione militem continebat. jn expeditionibus, si quis de via jn alicuius possessionem deflexisset, pro qualitate loci fustibus, aut virgis cædebatur, aut alioqui condemnabatur. Si dignitas personę tales pęnas non recipiebat, grauissimis contumelijs afficiebatur, quum diceret: Vellesne hoc in agro tuo fieri, quod facis in alieno? Clamabat sæpius quod a Christianis audierat, idque per pręconem, quoties aliquem emendabat, dici iubebat. *Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris*. Quid nunc dicemus de militibus Christianis, qui siue quo eant, siue redeant, furantur, rapiunt, constuprant, pulsant, abigunt pecora, perfusis vasis sinunt effluere vinum, & quæ non rapuerunt exurunt, vel corrumpūt? Quid multis? Crudelius tractant suos, quā hostes. Et hoc hodie, si Superis placet, appellatur ius militare. ad hęc conniuent Principes. Forte an timentes? Non pertimuit idem Alexander Seuerus. Cum enim Antiochiam venisset, ac milites aliquos noxios, in vincula duci iussisset, orta seditione ab ea legione, cuius socij erāt in vinculis, tribunal ascendit, ac vinctis, oībus ad tribunal adductis, circunstantibus militibus, & quidem armatis, grauiter illos admonuit, vt meminissent Romanæ disciplinæ. Quum loquentem milites tumultu interpellarent, nihil conterritus, iussit vt tales voces ederent aduersus hostes, non aduersus Imperatorem. minatus exautorationem, nisi quiescerent. Ad hęc quum vehementius etiam fremerent, ac ferro quoque minatētur: *Deponite*, inquit, *dextras contra hostem erigendas, si fortes estis. me ista non terrent*. Quum non desinerent fremere, exclamauit. *Quirites discedite, atque arma deponite*. Mox omnes nō armis tantum, sed & sagulis militarib. depositis recesserūt, nō in castra, sed in varia diuersoria. *Disciplina maiorum*, inquit, *rempub. tenet. quæ si dilabatur, & nomen Romanum, & jmperium amittemus*. Eius legionis militibus sic repressis, postea fidelissimis vsus est. O si quis apud nos huius disciplinæ militaris judex. Sed surdo, non fabulam cano.

Digressio ad militiam spiritualem

Cum tamen video, nos omnes, nobiliori militiæ authoratos, non possum non docere, vt id simus quod vocamur; ad exemplar Regis nostri, qui in hac arena sudauit militādo. Sol noster interdum felicia & infausta sidera pererrās, vbiq. victor euasit: præstat idipsum nos præstare, vt monebat Paulus: *Per arma iustitiæ quæ a dextris sunt, & a sinistris* id est, *per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam: vt seductores, & veraces: vt tristes, semper autem gaudentes: vt egentes, multos autem locupletantes*.

in qua oportet esse ambidextros.

expl. loc. Iudic. 3.

Aioth quispiam ambidexter, in Sacra historia prędicatur. Par est, vnumquemque Sacrę militiæ ascriptum, itinere plano ac via regia semper incedere, & ab illo tranquillitatis statu, nec lętis superuenientibus, quasi in dexterā moueri, nec ingruētib aduersis, velut ad lęuam prosterni. Sed lubet etiam Theodorum Abbatem audire, ita apud Cassianum nos pręclare instruentem.

collat. 6. c. 10.

Isti sunt, qui figuraliter in scripturis Sāctis ambidextri nuncupantur, vt ille Aoth in libro Iudicū fuisse describitur, qui vtraque manu vtebatur pro dextera. Quam virtu-

tem, ita poterimus nos quoque intellectualiter possidere, si ea quę prospera sunt dexteraque censentur, & ea quę aduersa sunt, ac sinistra dicuntur, bono rectoq; vsu fecerimus ad partem dexteram pertinere. Vt quęcunque fuerint illata, fiant nobis secũdum Apostolum arma justitiæ.

a dextra. Habet enim vir Sanctus dexteram, successus videlicet spirituales. In qua tunc consistit, quando feruens spiritu, desiderijs & concupiscentijs omnibus dominatur. quando ab omni diabolica impugnatione securus absque vllo labore ac difficultate, vitia carnis vel respicit, vel abscindit. quando sublimatus a terris, vniuersa pręsentia atque terrena, velut inanem fumum vmbramque vacuam contemplatur, & mox transitura contemnit. quando futura, per excessum mentis, non solum ardentissime concupiscit, verum et clarius intuetur. quando efficacius spiritalibus pascitur theorijs. quando lucidius sibi reserata conspicit cęlestia sacramenta. cum orationes purius atque alacrius emittit ad Dominum. cum ita spiritus ardore succensus, ad ea quæ inuisibilia sunt & ęterna, tota animi alacritate transmigrat, vt nequaquam se iam credat in carne consistere.

& a sinistra. Habet etiam & sinistram, cum tentationum turbinibus implicatur, cum ad desideria carnis, incentiuorum æstibus inflammatur. cum ad jracundiæ feruorem perturbationũ igne succenditur. cum superbiæ seu cenodoxiæ elatione pulsatur. cum tristitia mortem operante deprimitur. cum machinis acediæ & impugnatione concutitur. cumque omni spiritali feruore subtracto, quodam tepore atque irrationabili mærore torpescit, vt non solum cogitationibus rectis ac feruentibus deseratur, sed etiam Psalmus, oratio, lectio, similiter horreat, & intolerabili quodam terroque fastidio vniuersa sordeant instrumenta virtutum. quibus cum homo pulsatur, sinistris partibus se cognoscat vrgeri. Quisquis igitur in illis, quæ dextræ partis esse prædiximus, minime fuerit subintrante gloria vanitatis elatus; & in istis quæ sinistræ partis sunt viriliter dimicans, nulla desperatione conciderit, ac potius de contrarijs arma quædam patientię ad exercitium virtutis assumpserit, vtraq; manu vtetur pro dextra, & in vtroque actu triumphator effectus, tam de sinistro statu, quam de dextro palmam victoriæ consequetur. *triũphantes.*

Talem Beatum Iob legimus fuisse, qui vtiq; per dexteram coronabatur, quando septem filiorum pater opulentus ac diues incedens, quotidiana pro eorum purificatione sacrificia Domino offerebat. non tam sibi eos, quam Deo susceptos ac familiares exhibere cupiens. quando janua eius omni aduenięti patebat. quando erat pes claudorum & oculus cæcorum. quando de velleribus ouium eius, humeri calefiebant infirmorum. quando erat orphanorũ pater & vir viduarum. quando nec corde quidem suo super inimici sui ruina gauisus est. Idemque rursus per sinistram partem sublimiore virtute de aduersitatibus triumphabat, cum septem filijs vno orbatus momento, non vt pater acerbo luctu conficiebatur, sed vt verus Dei famulus super creatoris sui voluntate gaudebat. Cum ex locuplete pauperrimus, nudus ex diuite, ex valido tepidus, ex inclyto & glorioso ignobilis atque despectus, incorruptam animi fortitudinem retentabat. Cum deniq; omni substantia, atque oppidis destitutus, sterquilinij erat factus habitator: & velut quidam corporis sui sæuerissimus carnifex, *vt Iob.*

testa

testa radebat saniem profluentem, atque ex omni parte membrorum, glebas vermium mersis in profunda vulnerum digitis detrahebat. In quibus cunctis, in nullam desperando prolapsus est blasphemiam, nec aduersus creatorem suum in aliquo murmurauit. quinimo nequaquam tanta tentationum mole atque acerbitate cõterritus, ipsum quoq; quod ex omni pristina facultate suo corpori superfuerat indumentũ, quodque solum quia ipso vestiebatur, a Diaboli potuerat vastatione saluari, rescindens atque abijciens adiecit super illam, quam durissimus prædo intulerat spontaneam nuditatem. Comam quoque capitis, quę sola de prioris gloriæ reliquijs intacta remanserat, vexatori suo proiecit abscisam. & amputans etiam id quod sæuiens reliquerat inimicus, illa cælesti aduersus eum voce tripudiat & insultat: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala cur non sustinebimus? Nudus egressus sum de vtero matris meæ; nudus reuertar illuc. Dominus dedit; Dominus abstulit. quomodo Domino placuit, sic factum est. Sit nomen Domini benedictum.*

& Ioseph Ambidextrum meritò dixerim & Ioseph, qui in prosperis gratior patri, religiosior fratribus, acceptior Deo; in aduersis causis Domino fidelis, carceris mitissimus vinctis, iniuriarum immemor, beneficus inimicis inuidis, & quantum in ipsis fuit interfectoribus fratribus, non solum pius, sed etiam munificus inuenitur.

Hi ergo, eorumq; consimiles, rectè ambidextri nuncupãtur. Vtraq; enim manu, vtuntur pro dextra; & inter hæc quæ Apostolus enumerat transeuntes pariter dicunt: *Per arma iustitiæ quæ a dextris sunt, & a sinistris, per gloriam & ignobilitatẽ, per infamiam & bonam famam &c.* De qua dextra vel sinistra, ita Salomon ex persona sponsæ loquitur, in Cantico Canticorum. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quas licet vtrasque vtiles esse significet, tamen illam sub capite suo ponit; quia subiacere debent aduersæ partes, principalitati cordis. Ad hoc siquidem tantum vtiles sunt, vt pro tẽpore nos exerceant, & erudiant ad salutem, ac perfectos ad patientiam reddant. dexteram vero ad consouendam se, ac perpetuò conseruandam, salutari amplexu sponsi sibimet cohærere, atque insolubiliter ei optat innecti. *& sponsa expl. loc. Cant. 2.*

& Paulus. Erimus ergo ambidextri, quando nos quoq; rerum præsentium copia vel inopia, non mutarit. & nec illa nos ad voluptates noxię remissionis impulerit, nec ista ad desperationẽ attraxerit & querelam. Sed similiter Deo grates in vtroq; referentes, parem fructum de secundis aduersisq; capiamus, qualem se ille verus ambidexter Doctor gentium fuisse consecutum testatur, dicens: *Ego enim didici in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare. vbique & in omnibus institutus sum, & saturari, & esurire, & penuriã pati. oia possum in eo qui me confortat.*

& Christus triũphans. Præiuit etiam exemplo suo Christus palestrites noster, qui sicut Sol cœlestes Leones, Scorpiones, Tauros, Capricornos, atque alia feralia monstra, necnon blandas Virgines, Lunas, Gemellos, Veneres, inoffenso tramite percurrit; ita ille inter aduersa & prospera firmo pede exultauit: cadentibus a latere ipsius mille, & decem millibus a dextris eiusdem, dum super aspidem & basiliscum ambularet, & leonem atq; Draconem conculcaret. Tales voluit esse omnes suos sequaces. quorum vita, vt ait Iob, militia est super terram. Sed alias Stellas aspicio.

Lu-

4. *Luciferi* candens, vesperi refulgens color. Decet castimoniæ candidofulgens radius omnes electos Ciues Ecclesiæ Dei. Monebat Paulus. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet. Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos a fornicatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij.* Talis enim Sol castissimus Iesus, qui ex virgine matre, sine patre natus, virgo permanet in exemplum.

Ciuit. Eph. 5.

1. Thess. 4.

5. *Mercurio* radians color. Per Mercurij imaginem, quæ marsupium manu teneret, gallum ad eius basim ponentes, lucrum, mercaturam, Mercatoremve veteres significarunt, quod is mercium & lucri Deus haberetur. Documentum ex Mercurio radiante colligo pro his hominibus, vt sint sicut Christus. qui similis negotiatori quærenti bonas margaritas, cum inuenisset vnam, pro illa emenda vendidit omnia quæ habuit, non tam sui quam alieni lucri causa. ita etiam negotientur illi, non tam vtilitatis, præsertim quæ eum detrimento animæ est, quam meriti ex charitate ministrante alijs respectu. Molesta fames est, *inquit Chrysostomus*, quæ ad hoc saginatur vt perdat. Perniciosa esuries, quæ idcirco excluditur, vt peior in hoīe nutriat: ita etiam damnosa mercatio, si pro cibo salus impenditur. Diabolus enim mercatoribus proposuit lucrum, & mutuauit fraudem, *inquit Augustinus*. Lucrum, habere non poteris, nisi fraudem feceris. sed lucrum esca est, fraus laqueus. sic attende escam, vt videas & laqueum. quia lucrum habere non poteris, nisi fraudem feceris: fraudem autem si feceris, capieris.

Pier. lib. 1. Mercator.

6. Sed benignitatem *Lunæ* non prætermittere fas est, quę communiter omnibus Christi fidelibus deberet cōgenea. quà a natura humanitatis, quà etiam a renascitura baptismatis. Christus, si aliquo alio, hoc certe pręcipue benignioris ocelli & sermonis radio effulsit. nam ille *mitis corde*. Par est Christianos omnem feritatem deponere, quę propria est feralibus monstris ex speleo. vt sint filij lucis amęnę Iesu fōtis benignitatis. Qui enim hoc iubar secutus fuerit, *Non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

Populi.

Lego apud Herodotum Polycratis Samiorum tyrāni filiā, visam sibi videre per quietem, illum in aere sublimem esse, qui a Ioue quidem lauaretur, a Sole autem inungeretur. qua visione territa, patrem monebat, ne ad Orætem Cambysis pręfectum Sardis proficisceretur. Cui dicto ille non obsequens, ab Orete eruci affixus est. Non est metuendum ab vnctura nostri Solis, vt quis suspendio intereat, aut perpetuis tenebris damnetur. *Qui* enim eumque, siue de Pontificum & sacerdotum, siue de Principum & Iudicum, siue de alio quouis orbe sidus *sequitur me*, inquit ille Sol ipse, *Non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ*, nunc & in sempiternum. Amen.

Sole vngiquid. Herodo. lib. 1.

DOMI-

DOMINICA IN PASSIONE.

Iesus autem abscondit se, & exiuit de Templo. Ioan. 8. cap.

CONCIO.

De Patientia.



NSIGNIS patientia fuit Dauidis, quando impune tulit iniurias a Semei filio Gera. *Procedebat ille egrediens, et maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid, & contra vniuersos seruos Dauid, dicens; egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial.* Porro Dauid mansuetus, ad incentorem Abisai, *Dimittite eum*, inquit, *vt maledicat. Dominus enim praecepit ei vt malediceret Dauid. & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Maiore hodie iniuria afficitur Rex de domo Dauid; qui & Daemonium habere audit, & lapidum imbrem excipit. tamen ne mussauit quidem, sed patienter sustinens, abscondit se & exiuit de templo. vt exemplar patientiae ex se demonstraret. De hac patientia mihi sermo.

2. Reg. 16.

Laus patientiae. ex opusculo Tertul. de patientia. c. 2.

1. *ab exemplo Dei.*

Primam laudem patientiae, ab autoritate sumit Tertullianus, quod illam, non affectio humana, caninae aequanimitatis stupore formata, sed viua a coelestis disciplinae, Diuina dispositio delegat, Deum ipsum ostendens patientiç exemplum. jam primum qui florem lucis huius super iustos & iniustos aequaliter spargit: qui tēporum officia, elementorum seruitia, totius genturae tributa, dignis simul & indignis patiatur simul occurrere, sustinens ingratissimas nationes, ludibria artium & opera manuum suarum adorantes; nomen, familiam ipsius persequentes; luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie insolescentem, vt sua sibi patientia detrahat: plures enim Dominum idcirco non credunt, quia seculo iratum tandiu nesciunt. Et haec Diuinę patientię species, quasi de longinquo, fors vt de supernis aestimetur. Quod illa autem, quae inter homines palam in terris, quodammodo manu apprehensa est? Nasci se Deus in vtero patitur matris, & expectat; natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est, & a seruo suo tingitur & tentatoris congressus solis verbis repellit. Cum de Domino fit magister, docens hominem euadere mortem, absolute scilicet veniam offensae patientiae eruditus, non contendit, non reclamauit, nec quisquam in plateis vocem eius audiuit, arūdinem quassatam non fregit, linum fumigans nō restinxit. Nec enim mentitus fuerat Propheta, imo ipsius Dei contestatio, spiritum suum in filio, cum tota patientia collocantis. Nullum volentem sibi adherere non suscepit: nullius mensam tectumue despexit. Atquin ipse lauandis discipulorum pedibus ministrauit. Non peccatores, non publicanos aspernatus est. Non illi saltem Ciuitati quę eum recipere noluerat iratus est, cum etiam discipuli tam contumelioso oppido, coelestes ignes repraesentari voluissent. Ingratos cu-

rauit, insidiatori bus cessit. Parum hoc, si non etiam proditorem suum secum habuit, nec constanter denotauit. Cum vero traditur, cum adducitur, vt pecus ad victimam (sic enim non magis aperit os; quã cum agnus sub tondentis potestate) ille cui legiones angelorũ, si voluisset, vno dicto, de cęlis affuissent, ne vnius quidem Discentis gladium in vltorem probauit: patientia Domini, in Malcho vulnerata est. Itaque & gladij opera maledixit in posterum, & sanitatis restitutione ei, quem non ipse vexauerat, satisfecit per patientiam, misericordię matrem. Taceo, quod figitur. In hoc enim venerat. Nũquid tamen subeundę morti etiam contumelijs opus fuerat? Sed saginari voluptate patientię discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, fędis vestitur, fędioribus coronatur. Mira ęquanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maxime Pharisęi Dominum agnoscere debuerant. patientiam huiusmodi nemo homi num perpetraret. Talia tantaq; documenta, quorum magnitudo penes nationes quidem detrectatio fidei est, penes nos vero ratio & structio, satis aperte non sermonibus modo in pręci[illegible]ẽdo, sed etiam passionibus Domini sustinẽdo probant, his quibus cred[illegible]e datum est, Patientiam Dei esse naturam effectam, & præstantiam ingenitæ cuiusdam proprietatis. Igitur si probos quosque seruos & bonæ mentis, pro ingenio Dominico conuersari videmus (siquidem artificium promerendi, obsequium est: obsequij vero disciplina, morigera subiectio est) quanto magis nos secundum Dominum moratos inueniri oportet; seruos scilicet Dei viui; cuius judicium in suos, non in compede, aut pileo vertitur, sed in æternitate pęnæ aut salutis? Cui seueritati declinandæ, vel liberalitati inuitandæ, tanta obsequij diligentiæ opus est, quanta sunt ipsa quæ aut seueritas comminatur, aut liberalitas pollicetur.

Secundam laudem Patientię pręedicat Tertullianus, quod sicut impatientia totius sceleris, ita Patientia totius virtutis mater est. Ostendit ab ipsis incunabulis Orbis. Natales impatientiæ in ipso Diabolo, *inquit*, depræhendo, iam tunc cum Dominum Deum vniuersa opera quæ fecisset, imagini suæ, idest homini subiecisse impatienter tulit. Nec enim doluisset, si sustinuisset; nec inuidisset homini, si non doluisset. Adeo decepit eum, quia inuiderat. inuiderat autem, quia doluerat. Doluerat, quia patienter vtique non tulerat. Quid primũ fuerit ille angelus perditionis, malus, an impatiens? contemno quærere. palam cum sit, impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auspicatam, deinde inter se conspirasse & indiuiduas, in vno patris sinu adoleuisse. At enim quam primus senserat, per quam delinquere intrauerit, de suo experimento quid ad peccandum adiutaret structus, eandem impingẽdo in crimen homini aduocauit. Conuenta statim illi mulier, non temere dixerim, per colloquium ipsum eius, afflata est spiritu impatien tientia infecto. Vsque adeò nunquam omnino peccasset, si Diuino interdicto patientiam præseruasset. Quid quod non sustinuit sola conuenta, sed apud Adam nondum maritum, nondum aures sibi debentẽ, impatiens, etiam tacendi est? Ad traducem illum eius, quod a malo hauserat, facit. Perit igitur & alius homo per impatientiam alterius: perit mox

cap. 4. 2. ab eo qd mater est virtutũ.

mox & ipse per impatientiam suam vtrobique commissam, & circa Dei præmonitionem, & circa Diaboli circumscriptionem: illam seruare, hanc refutare non sustinens. Hinc prima iudicij, vnde delicti origo. Hinc Deus irasci exorsus, vnde offendere homo inductus. Inde in Deo prima patientia, vnde indignatio prima. Qui tunc maledictione sola contentus, ab animaduersionis impetu in diabolo temperauit. Aut quod crimen, ante istud impatientię admissum homini imputatur? Innocens erat, & Deo de proximo amicus, & paradisi colonus. At vbi semel succidit impatientiæ, desiuit Deo sapere, desiuit cælestia sustinere posse. Exinde homo terrę datus, & ab oculis Dei eiectus, facile ab impatientia vsurpari cępit, in omne qđ Deum offenderet. Nam statim illa semine diaboli concepta, malicię fęcunditate iram filium procreauit: editum suis artibus erudijt. Quod enim ipsum Adam & Euam morti immerserat, docuit & filium ab homicidio incipere. Frustra istud impatientiæ adscripserim, si Caim ille primus homicida, & primus fratricida, oblationes suas a Domino recusatas æquanimiter nec impatienter tulit: iratus fratri suo non est, si nemine denique interemit. Cum ergo nec occidere potuerit, nisi iratus: nec irasci, nisi impatiens, demonstrat quod per iram gessit, ad eam referendum, a qua ira suggesta est, per hãc impatiẽtię tũc infantis quodammodo incunabula. Cęterum quanta mox incrementa? Nec mirum. Nam si prima deliquit, consequens est vt quia prima, idcirco & sola sit matrix in omne delictũ, defundens de suo fonte varias criminum venas. De homicidio quidem dictum est. Sed ira edictum a primordio, etiam quascunque postea causas sibi inuenit, ad impatientiam vt ad originem sui confert. Siue enim quis inimicitijs, siue prædæ gratia id scelus conficit, prius est vt aut odij, aut auaritiæ fiat impatiens. Quicquid compellit, sine impatientia sui non est, vt perfici possit. Quis adulterium sine libidinis impatientia subijt? Quod & si precio in fœminis cogitur, venditio illa pudicitię, vtique impatientia contemnendi lucri ordinatur. Hæc vt principalia pęnes Dominum delicta. Nam vt compendio dictum sit, Omne peccatum impatientiæ ascribendum. Malum impatientia est boni. Nemo impudicus non impatiẽs pudicitiæ, & improbus probitatis, & impius pietatis, & inquietus quietis. Vt malus vnusquisque fiat, bonus perseuerare non poterit. Talis igitur exhedra delictorum, cur non Dominum offendat improbatorem malorum? An non ipsum quoque, Israel per impatientiam semper in Deum deliquisse manifestum est? exinde quum oblitus brachij cælestis, quo Aegyptijs afflictationibus fuerat extractus, de Aaron sibi Deos duces postulat, quum in idolum auri sui collationes defundit: tam necessarias enim Moysi cum Domino congredientis, impatienter exceperat moras. Post mannę escatilem pluuiam, post petræ aquatilem sequelã, desperant de Domino, tridui sitim non sustinendo. Nam hęc quoq; illis impatientia à Domino exprobratur. Ac ne singula peruagemur, nunquam non per impatientiam deliquerunt. Quomodo autem Prophetis manus intulerunt, nisi per impatientiam audiendi? Domino autem ipsi, per impatiẽtiam etiam videndi. Quod si patientiam inijssent, liberarentur.

cap.5.

Ipsa enim adeo est, quę fidem & subsequitur, & antecedit. Deniq; A- *cap.6.*

 braham

braham Deo credidit, & justitiæ deputatus ab illo est: sed fidẽ eius patiẽtia probauit, quũ filiũ immolare iussus est, ad fidei non tentationem dixerim, sed typicam contestationem. Cæterum Deus, quem justitiæ deputasset, sciebat. Tam graue præceptum, quod nec Domino perfici placebat patiẽter & audiuit, & si Deus voluisset, impleslet. Merito ergo benedictus, quia & fidelis: merito fidelis, quia & patiens. Ita fides patientia illuminata, quum in nationes seminaretur, per semen Abrahę, quod est Christus, & gratiam legi superduceret, ampliandæ adimpiendæque legi, adiutricem suam patientiam præfecit, quod ea sola ad iustitiæ doctrinam retro defuisset. Nam olim & oculũ pro oculo, & dentem pro dente repetebant, & malum malo fenærabant. Nondum enim patientia in terris, quia nec fides: scilicet interim impatientia occasionib. legis fruebatur. Facile erat absente Domino patientię, & Magistro. Qui postquam superuenit, & gratiam fidei patientia composuit, iam nec verbo quidem lacessere, nec fatue quidem dicere, sine judicij periculo licet. Prohibita ira, restricti animi, compressa petulantia manus, exemptum linguæ venenum, plus lex quam amisit, inuenit: dicente Christo, ***Diligite inimicos vestros, & maledicentibus benedicite: & orate pro persecutoribus vestris, vt sitis filij patris vestri cælestis.*** Vides quẽ nobis patrem patientia acquirat? Hoc principali præcepto vniuersa patientiæ disciplina succincta est, quando ne digne quidem male facere concessum est.

cap. 7. 3. ab eo qđ est a Deo præcepta Hine tertiam educo laudem patiẽtiæ, quia a Deo præcepta & exhibita. Si, *inquit*, detrimento rei familiaris animus conciatur; ad contemptum pecuniæ exhortatio patientiæ subiacet, quod ipse Dominus in nullis diuitijs inuenitur, qui semper pauperes iustificat, diuites prædamnat. Hinc qui aliquid sibi aut furto, aut vi, aut ignauia ereptũ constanter sustinere constituit, facile & ex animo rei suæ manum inferet, in causa eleemosynæ. Patientia enim in detrimentis, exercitatio est largiendi & communicandi. Non piget donare eum, qui nõ timet perdere. Si deinde manu quis tentauerit prouocare, præsto est Dominica monela, ***verberanti te***, inquit, ***in faciem, etiam alteram genam obuerte.*** Fatigetur improbitas, patientia tua. Quiuis ictus ille sit dolore & contumelia constrictus, grauius a Domino vapulat. Plus improbum illum cædis sustinendo. Ab eo enim vapulabit, cuius gratia sustines. Si linguæ amaritudo, maledicto siue conuicio eruperit, respice dictum: ***Quum vos maledixerint, gaudete.*** Dominus ipse maledictus in lege est, & tamen solus est benedictus. Igitur Dominum serui cõsequamur, & maledicamur patiẽter, vt benedicti esse possimus. Si parum æquanimiter audiam, dictum aliquod in me proteruum aut nequam, reddam & ipse amaritudinis vicem necesse est, aut cruciabor impatientia muta. Quum ergo percussero maledicto, quomodo secutus inueniar doctrinam Domini, qua traditum est non vasculorum inquinamentis, sed eorum quæ ex ore promuntur, hominem coinquinari? Item manere, nos omnis vani & superuacui dicti reatum? Sequitur ergo, vt a quo nos Dominus arcet, idem ab alio æquanimiter pati admoneat, hic iam de patientiæ voluntate. Nam omnis iniuria, seu lingua, seu manu incussa, quum patientiam offenderit, eodem exitu dispũgetur, quo telum aliquod in petra constantissimę duritię libratum & obtusum.

obtusum. Concidet.n. ibidē irrita opera & infructuosa, & nonnunquam repercussum, in eum qui emisit reciproco impetu sequiet. Nempe idcirco quis te lędit vt doleas: quia fructus lædentis in dolore lęsi est. Ergo cum fructum eius euerteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui; tunc tu nō modo, illæsus ibis, quod etiam solum tibi sufficit, sed insuper aduersarij tui & frustratione oblectatus, & dolore defensus. Hæc est patientiæ vtilitas & voluntas.

cap. 9. 4. ab eo qđ est charitatis complement. Quata sit laus patientiæ, quia dilectio, summum fidei sacramentum Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus sancti Spiritus commendat, non nisi eius disciplinis eruditur. *Dilectio*, inquit, *magnanimis est*: ita patientiam sumit. *Benefica est*: malum patientia non facit. *Non æmulatur*: id quidem patientiæ proprium est. *Nec proteruum sapit*: modestiam de patientia traxit. *Non inflatur, non proteruit*: non enim ad patientiam pertinet. *Nec sua requirit*, suffert sua dum alteri prosit: nec incitatur. Cęterum quid impatientię reliquisset? Ideo, inquit, *dilectio* omnia sustinet, omnia tolerat, vtique quia patiens. Merito ergo nunquam excidet. Nam cætera euacuabuntur, consummabuntur. Exhauriuntur linguę, scienrię, Prophetiæ: permanēt, fides, spes, dilectio. Fides, quam Christi patientia induxit; spes quam hominis patientia expectat: dilectio quā Deo magistro patientia comitatur.

cap. 10. 5. & virtutum perfectio. Quinta laus patiētiæ, quia omnes virtutes perficię. Patientiæ negociatio est afflictatio carnis hostia Domino placatoria per humiliationis sacrificium, quum sordes cum angustia victus Domino libat, contenta simplici pabulo, puroque aquæ potu, quum ieiunia coniungit, quum cineri & sacco inolescit. Hæc patientia corporis pręcationes commendat, deprecationes affirmat: hæc aures Christi Dei aperit, seueritatem dispergit, clementiam elicit. Sic ille rex Babylonis offenso Domino, cum squalore & pædore septenni ab humana forma exulasset, immolata patientia corporis sui, & regnum recuperauit, & quod optabilius homini est, satis Deo fecit. Hæc altiores & feliciores sanctitatis gradus struit, dum præcurat continentiam carnis. Hæc & viduam tenet, & virginem adsignat, & voluntarium spadonem ad regna cęli leuat. Hæc quod de virtute animi venit, in carne perficit, dum in persequutionibus præliatur. Si carcer præueniat, caro in vinculis, caro in ligno, caro in solo, & in illa paupertate lucis, & in illa patientia mundi. His patiētiæ viribus secatur Esaias, & de Domino non tacet. Hæc enim aduersus omnem subuertendæ fidei vel puniendę paratum, vt verbera, vt ignem, & vt crucem, bestias gladium constantissime toleret, quę Prophetæ, quæ Apostoli sustinendo vicerunt, armata. Lapidatur Stephanus, & veniam hostibus suis postulat. O felicissimum illum quoq;, qui omnem patientiæ speciem aduersus omnem diaboli vim expunxit. Quem non abacti greges, non illę in pecore diuitię, non filij vno ruinę impetu adempti, non ipsius denique corporis in vulnere cruciatus, a patientia exclusit, quem Diabolus totis viribus frustra cęcidit. Neque enim a respectu Dei tot doloribus auocatus ille est, sed constitit nobis in exemplum & testimonium tam spiritu quam carne, tam animo quam corpore patientię perpetrandę: vt neque damnis secularium, nec amissionibus charissimorum, nec corporis quidem consli-

ctationibus fuccidamus. Quale in illo viro feretrum Deus ex Diabolo extruxit? Quale vexillum de inimico gloriç fuç extulit, quum ille homo ad omnem acerbum nuncium, nihil ex ore promeret, nisi Deo gratias: quum vxorem iam malis delassatam, & ad praua remedia suadentem execraretur? Quid? ridebat Deus. Quid? diffecabatur malus, quum Iob immundam vlceris sui redundantiam magna çquanimitate destringeret, quum erumpentes bestiolas inde, in easdem specus, & pastus foraminosç carnis ludendo reuocaret. Itaq; operarius ille victoriæ Dei, retusis omnibus iaculis tentationum, lorica clypeoq; patientiæ, & integritatē mox corporis a Deo recuperauit, & quæ amiserat reduplicata possedit. Et si filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur. Sed maluit in illo die reddi sibi tantum gaudij; securus sic de Domino distulit. Sustinuit tam voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viueret. Adeo satis idoneus patientiæ sequester Deus.

Si iniuriam depofueris penes eum, vltor est: Si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus est: Si mortē, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, vt Deum habeat debitorē? Nec immerito. Omnia enim placita eius tuetur: omnibus mandatis eius interuenit. Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem instruit, pęnitentiam expectat, exhomologesin adsignat, carnem regit, spiritum seruat, linguā frenat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consumat; pauperem consolatur, diuitem temperat, infirmum nō extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, gentilem inuitat, seruum Domino, dominum Deo commendat, fęminam exornat, virum approbat: amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene, in omni sexu, in omni ætate formosa est.

6. *& speciosissima virtutū.*

Age iam si & effigiem, habitumque eius comprehendamus. Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mæroris aut irç rugositate contracta: remissa æque in lætum modū supercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color, qualis securis & innoxijs. Motus frequens capitis in diabolum, & minax risus. Cæterum. amictus circum pectora candidus & corpori impressus; vt qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno Spiritus eius mitissimi & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis, apertus & simplex, quem tertio vidit Helias. Nam vbi Deus, ibidem & alumna eius, patientia scilicet. Cum ergo Spiritus Dei descendit, indiuidua patientia comitatur eum.

imago patiētiæ.

in Pericle, Phocione, Alexandro expressa.

Vultis exempla vel ab Ethnicis, vel a nostris: quam placido patientia vultu? Lego inter Gentiles Periclem tam patienter conuiciatorem tulisse, id vero in publico, vt etiam per seruum suum, lucerna præaccensa domum deduci iusserit. Phocion Atheniensis, ab ingrata patria cicutam bibere coactus, non modo non moleste passus est, sed etiā filio suasit, vt ab omni vltione desisteret. Alius Philosophiorum a quodam in platea, alapam excipiens, cum suaderetur vt retaliaret, respondit. *Quid si mulus in me calcitrasset? reponerem? an potius sustinerem?* Ex ijsdem Samij numerantur, qui in agendis controuersijs aures sibi cera obstruebant, ne auditis aduersariorum conuicijs, ad iracundiam concitarentur, sed omnia patienter sustinerent. Superfluus essem, si Martyres in exemplum patientiæ produ-

cerem.

cerem. Contentus ero, quod de Alexandro I. Pontifice Romano narratur. Is cum vngulis ferreis, & igne vreretur, atque insuper multis contumelijs & conuicijs diuexaretur, rogatus a tyranno: *Ecquid taceret?* tranquillo vultu respondit; *habere se quod cum Deo loqueretur: a qua confabulatione non sentiret illa illata*. Beatum omnem, qui dulces miscet sermones cum Iesu. Huic enim in tribulatione, non vacat audire opprobria, & pathimata ostendere in aduersis. Nihil tali anima venustius, in oculis Iesu patientis. nihil tali constantia gloriosius, in gloria Dei remunerantis.

collat. 19. c. 1. & quodam Anachoreta. Sed ille quoq; non est ommittendus, quem in exemplum patientiæ ptoponit Cassianus. Ad Abbatis Pauli cænobium perreximus, *inquit*, summa spiritus alacritate. vbi licet plusquam ducentorum Fratrum numerus moraretur, in honore tamen solennitatis, quę id temporis agebatur, infinita quoque de alijs cęnobijs monachorum turba confluxerat. In ingenti itaque atrio subdiuali illa monachorum multitudine, per duodenarium numetum distinctis orbibus considentes, cum quidam Fratrum susceptum ferculum paulo, tardius intulisset, sub occasione istius tarditatis prædictus Abbas Paulus, qui inter turbas ministrantium Fratrum sollicite discurrebat, exerta manu palma eum sub omnium percussit intuitu. Ita vt sonitus etiam auersorum, vel longius considentium auribus resultaret. Hoc autem idcirco ab eo factũ est, vt cunctis qui aderant, iuuenis patientiam patefaceret, & omnes qui interfuissent tali spectaculo, modestię erudirẽtur exemplo. Quam maturo autem id senior fecerit consilio, res probauit. Nam memorabilis patientiæ iuuenis, tanta id animi lenitate suscepit; vt non modo nullus fuerit ex eius ore sermo prolapsus, vel tenuissimum murmur tacita labiorum agitatione signatum, sed ne ipsa quidem oris modestia atque tranquillitas, aut color saltem quantulumcunque mutatus.

Decebat. Siquidem Dominus noster atq; Saluator, (vt abbas Ioseph, apud eundem Cassianum docebat) ad profundam nos instruens patientię lenitatisque virtutem, id est, non vt labijs eam tantummodo pręferamus, sed vt intimis animis nostrę abditis recondamus, istam nobis perfectionis Euangelicę formulam dedit, dicens: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*. Subauditur sine dubio dexteram. Quę autem alia dextera, nisi interioris hominis, vt ita dixerim, facies potest accipi? Per hoc omnem penitus iracundiæ fomitem, de profundis cupiens animę penetralibus extirpare. Idest. Vt si exterior dextera tua impetũ ferientis excepe rit, interior quoque homo, per humilitatis assensum dexteram suã prębeat verberandam, compatiens exterioris hominis passioni, & quodammodo succumbens, atque subijciens suum corpus ferientis iniurię. ne exterioris hominis cęde, vel tacitus intra se moueatur interior. Talem patientiam, amat Deus. Talem tolerantiam, coronat Deus. *explic. loc. Match. 7.*

Amemus nos itaq; patiẽtiam Dei, patientiã Christi rependamus, illi, quam pro nobis ipse defendit, inque nobis coronat in secula. Amen.

FERIA

FERIA II. POST DOMINICAM in Passione.

Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Ioannis 7. cap.

CONCIO.

In ebrietatem.



CVM Deus populū Israelis traduceret per desertum, ne siticulosos siti enecaret, *percussit eis petram & fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina*. Namque Moysi & Aaroni iussit, *Loquimini*, ait, *ad petrā, & illa dabit vobis aquas*. Cumque Moyses virga percussisset silicem, pro scintillis igneis, exundantia flumina ex pumice emanarunt; ita vt vniuersæ multitudini sufficeret latex. Cum etiā Saluator noster, suos fideles transducit per hanc mundi solitudinem, ex seipso tanquā ex solida petra, eduxit aquas. Proinde vocat, *si quis*, inquit, *sitit, veniat ad me & bibat*. Sed cur aquas? cur non vina? Ebrietati vitandæ, in quam hodierna die aliquid dico.

Flamen non tangebat hederam. Flamen Dialis, apud Romanos, hederam non tangebat. ne forte ebrietis euitatæ causa? Ita plane existimo. Nam hederacea serta, vino vendibili, ante cellaria suspensa. Vnde in prouerbium abijt, *vino vendibili, hedera non opus est*. Cum itaque hederam non tangebat, ebrietatem deuitabat. *ebrietati vitandæ. quæ* quæ non tam leue est vitium, quam putatur, sed longe grauissimum: quod ostendo ab effectis.

1. *corpus eneruat. Properitur.* Grauis est in primis temulentia, eo quod corpus eneruat, & fata accelerat. Canebat quidam. *vino forma perit, vino corrumpitur ætas*. Nam cum ab immodico potu extinguatur calor naturæ amicus, ingenitus ad decoquendos cibos: euenit vt iniectus venter, a crudis indigestisque ferculis, nil boni succi in venas transmittat, sed id quicquid est corruptionis. Vnde manus tremulæ, pedes podagrici, caput vertiginosum, cor palpitans, oculi suffusi; totum vero corpus humoribus in hydropem, inque alios incurabiles morbos redundans. Superfluus essem, si recenserem infirmitates & mortes, ex ebrietate. propero ad alia.

Grauis est temulentia, eo quod est omnium vitiorum parens. Basilius Magnus interrogatus, quid esset ebrietas, respondit, *Ebrietas dæmon est sponte admissus in animos, per voluptatem. Mater est malitiæ, & impugnatio virtutis*. Petrus Rauennas aliquid plus adiecit. Ebrietas, *inquit*, mater est litium, furoris generatrix, petulantiæ magistra. hanc qui habet, homo non est. hanc qui habet non peccatum, facit, sed ipse est peccatum. hæc enim est rabies voluntaria, inuitatus hostis, illecebra honestatis, & pudoris iniuria. 2. *Vitia parturit.* Reddebat Diuus Augustinus rationem a simili. Corpora, *inquit*, nostra terrena sunt. Quo modo pluuia nimium grandis & diutuna si fuerit, terra confunditur & in lutum resoluitur, vt nulla in ea cultura possit fieri sic & caro nostra quando abundantiori potu fuerit inebriata, nec spiritualem culturam accipere, nec fructus animę necessarios poterit exhibere. Et ideo, quomodo omnes homines, sufficientem pluuiam in agris suis accipere desiderant, vt & culturam valeant exercere, & de fructuum vbertate gaudere: ita & in agro corporis hinc tantum deberent bibere, quod oportet: ne nimia ebrietate, ipsa corporis terra, velut in paludem conuersa, magis vermes & serpentes vitiorum generare, quam fructus bonorum operum possit afferre. Omnes enim ebriosi tales sunt, quales paludes: videntur

dentur serpentes, sanguisugæ, nascuntur ranę, & diuersa genera vermium, quæ magis horrorem possunt generare, quam aliquid quod ad victum proficiat, exhibere. Herbæ quę in ipsis paludibus vel circa ripas earum nasci solent, nihil vtilitatis habere videntur, in tantum vt annis singulis incendio concrementur: ita quod de ebrietate nascitur, igni pręparatur. Et quidem *ebrietas, geminata libidine surgit*. Hinc, quod expertus cecinit Ouidius Amoris.

Nox & amor, vinumque nihil moderabile suadent
Ista pudore vacat, Liber, amorque metu.

Vnde Hieronymus etiam aiebat. *Vbicunque saturitas & ebrietas, ibi libido dominatur*. Noe ad vnius horę ebrietatem nudauit fęmora sua, quæ per sexcentos annos contexerat. Lothus Patiarcha, pudicitiam quam in medio incendio non contaminauerat, in montis fastigio post ebrietatem, incestu geminato violauit. Ammon Filius Dauidis, ab ebrietatis poculo, surrexit ad temerandam Thamar sororem. & quis a *Cerere & Libero* non pergit ad Venerem? *Luxuriosa res est vinum*. vt sapiens ait. Nec tantum luxuriosa sed etiam furibunda est temulentia.

Vina parant animos faciuntque caloribus aptos
Cura fugit multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit

In præcipiti stantem, vel leuis tactus impellit, *inquit Macrobius*: ita vino vel intusum vel apertum, paruus quoque dolor incitat in furorem. Appolite Seneca: Vbi, *inquit*, possedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, sed prodit. Tunc libidinosus ne cubiculum quidem expectat, sed cupiditatibus suis quantum petierint, sine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat: tunc petulans non linguam, non manum continet. Crescit insolenti superbia, crudelitas sęuo, malignitas liuido. Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes, bellicosasque, hostibus tradidit: hęc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit: hæc contumacissimos, & iugum recusantes, in alienum egit arbitrium: hæc inuictos acie, mero domuit. Alexander Clytum charissimum sibi ac fidelissimum inter epulas transfodit, & intellecto facinore mori voluit. Alexandrum eundem tot itinera, tot prælia, tot hiemes, per quas, victa temporum locorumque difficultate, transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserunt: intemperantia bibendi & ille Herculaneus ac fatalis scyphus, condidit. Quæ gloria est, capere multum? Cum penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno ac vomitu recusauerint, cum superstes toti conuiuio fueris, cum omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit, vinceris à dolio. M. Antonium, magnum virum & ingenij nobilis, quæ alia res perdidit, & in externos mores ac vitia non Romana traiecit, quam ebrietas, nec minor vino Cleopatræ amor? Hæc illum res hostem reipublicæ, hæc hostibus suis imparem reddidit, hæc crudelem fecit cum capita principum ciuitatis cęnati referrentur; cum inter apparatissimas epulas luxusque regales, ora ac manus proscriptorum recognosceret; cum vino grauis, sitiret tamen sanguinem. Intolerabile erat quod ebrius faciebat, etiam si sobrius faceret: quanto intolerabilius, quod hæc

vel exerit.

epist. 83.

Alexander in illa Clytũ interfecit.

Antoniũ & Cleopatram hæc perdidit.

in

in ipsa ebrietate faciebat. Fere ebrietatem crudelitas sequitur. violatur enim exasperaturque sanitas mentis. Quemadmodum difficiles faciunt oculos diutini morbi, etiam ad minimam radij solis offensionem: ita ebrietates continuæ efferāt animos. Nam cum sępe apud se non sint, consuetudine insaniæ durata vitia, vino concepta, etiam sine illo valent.

3. *Imago temulētię.* Sed ab archętypa ipsius jmagine, placet grauitatem temulentiæ demonstrare. jta eam pinxit Alciatus in Dialogo.

in statuā Bacchi. Emblemma 25. mentem ementat.

Bacche Pater quis te mortali lumine nouit,
Et docta effinxit quis tua membra manu?
Praxiteles, qui me rapientem Gnossida vidit.
Atque illo pinxit tempore qualis eram.
Cur juuenis, teneraque etiam lanugine vernat.
Barba, queas Pylium cum superare senem?
Muneribus quandoque meis si parcere disces,
Junior, & forti pectore sēper eris.
Tympana non manibus, capiti non cornua desunt,
Quos nisi dementeis talia signa decent?
Hoc doceo nostro, quod abusus munere sumit
Cornua, & insanus mollia sistra quatit.
Quid vult ille color membris pene igneus? Omen
Absit. an humanis vreris ipse focis?
Cum Semeles de ventre parens me fulmine traxit
Igniuomo, infectum puluere mersit aquis.
Hinc sapit hic, liquidis qui nos bene diluit vndis:
Qui non, ardenti torret ab igne jecur.
Sed nunc me doceas, qui vis miscerier? & qua
Te sanus tutum pendere lege queat?
Quadrantem addat aquæ, calicem sumpsisse falerni
Qui cupit, hoc sumi pocula more iuuat.
Stes intra heminas: nam qui procedere tendit
Vltra, alacer, sed mox ebrius, inde furit.
Res dura hæc nimium, sunt pendula guttura, dulce
Tu fluis, heu facile commoda nulla cadunt.

Ab hac imagine duco lineam in ebrietatem, quod sit grauissimum peccatum, quia hominem insanum facit, dum & caput cornibus, & manum sistro grauat. Monebat itaque Sapiens. *Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius. jngreditur blandè, & in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extranea, & cor tuum loquetur peruersa, & eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo, & dices. Verberauerunt me, sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi.* *Prou. 23.* Sic enim temulenti plerunque, velut naufragus aliquis sine remo in mari, sine ratione rectore insanientes. Adijce mihi, *inquit Seneca*, illam ignorantiam sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum. quid hæc nisi insani capitis, visa & facta?

Philosophorū scita in temulētiā. 1.

Bene Anacharsis dicere solebat, *in vite tres nasci botros, quorum primus esset voluptatis, secundus ebrietatis,*

3. *tatis,tertius iniuriæ.* Nescio an eius-
dem sapientis apud Apuleium, sit
illud super mensam celebre dictũ.
4. *Prima,inquit,cratera ad sitim perti-*
5. *net. Secunda ad hilaritatem. Tertia*
Florid.li. *ad voluptatem. Quarta ad insaniam.*
8. Eubulus quoque Philosophus puta-
uit, tria tantum pocula bene sen-
tientibus propinari; quartum vero
poculum,non nostrum, sed iniuriæ
esse. Pythagoras vero, *ebrietatem*
appellare consueuerat. *insaniæ me-*
Stob. ser. *ditationem.* Cyrus autem rex ab
18. Astyage rogatus, quamobrẽ vinum
non absorbuisset? *Quod metueram,*
respondit,*medius fidius, ne in crate-*
re mista venena forent. Etenim quũ
tu in natalitijs amicos adhibuisti,
perspicue didici, te eis venena infu-
disse. Et quo pacto,inquit,o fili hoc
dignouisti? *Quod videbam vos,* re-
spondit, *neque corporis esse, neque*
Xenophõ. *mentis compotes.* Plato discipulos
in Padia suos admonebat, vt se ebrios in spe
Cyri. culo contemplarentur. Sic enim
6. fore, vt dum faciem suam phrene-
7. tico similem intuerentur, in poste-
8. rum a vitio ebrietatis abhorrerent.
eo quod temulentia prope insanos
faciat, & ex hominibus non homi-
hom. 58. nes. Chrysostomus etiam pronun-
in. ciabat,ebrietatem homines in dæ-
moniacos deformare,non tantum
in bruta. Nemo magis amicus est
Diabolo, quam qui delicijs & ebrie
tate maculatur. Hic enim fons, hæc
mater atque origo vitiorũ omnium
est. hac via olim Hebræos, in cul-
tum Diabolus idolorum iniecit.
Hac iniquos amores Sodomitarũ
inflammauit. *hæc enim* ait, iniqui
tas est Sodomæ; in copia & pleni-
tudine panis luxuriabantur. Hac
denique via, mille alij gehennæ tra-
diti periere. Quid enim deliciarum
& ebrietatis fœditas mali non in-
ducit? Sues ex hominibus facit:imo
etiam multo peiores. Sus enim in lu

to voluitur,& stercore nutritur:hic
vero abominabilẽ magis sibi men-
sam construit, ex ebrietate iniquas
commixtiones excogitans & amo-
res nepharios. Hic nullo certe di-
scrimine a Dęmoniaco separatur.
imprudens enim & furiosus pariter
est. Et dæmoniacum quidẽ omnes
miseramur, hunc vero auersamur
& odimus. Quid ita? quia sponte
furorem sibi attrahit, & os, oculos,
nares, & cætera simpliciter sẽsuum
instrumenta, amarissimas volupta-
tis conficit cloacas. Quod si etiam
interiora inspicias,videbis animam
eius,ceu hyeme ac intensissimo fri-
gore congelatam adeo, atque tor-
pentem,vt nulla vtilitas corpori ab
ea possit afferri. verecundor aper-
tius enarrare, quæcunque a delitijs
& ebrietate tam viri quam mulie-
res patiuntur. Quid turpius ebriosa
fęmina, quę huc & illuc ex temulen
tia peruagatur? Quanto enim infir-
mius vasculum est, tãto magis nau-
fragium fit, siue libera, siue ancilla
mulier sit.

Sed audiui multos; cum insanæ *In cauillatores digresio.*
ista accidunt passiones, dicentes,
Vtinam non esset vinum. O amen-
tiam singularem: o stoliditatem in-
auditam. Alij delinquunt, & Dei tu
dona criminaris? Putasne a vino
hoc factum malum? Non fecit vi-
num certe, sed incõtinentia eorum,
qui vino abusi sunt. Dicas ergo po-
tius: *Vtinam non esset ebrietas, non*
essent delitiæ. Si vero dicis, vtinam
non esset vinum; ordine paulatim
progrediens optabis, ne sit ferrum
propter homicidiũ; ne sit nox pro-
pter fures; ne sit lux propter calu-
mniatores; ne sit fęmina propter
adulterium.& sic omnia opera Dei
tibi destruentur. Non igitur ita di-
cas; nec vinum sed ebrietatem cri-
mineris. & ebrio cum in se fuerit
reuersus, omni dedecore suo prius

 descri-

descripto dicas: datum esse vinum ad lætitiam non ad turpitudinem nostram. datum est, vt rideamus, non vt derideamur. vt recte valeamus, non vt ægrotemus. vt imbecilla corpora reficiamus, non vt robur animi deijciamus. Honorauit te hoc munere Deus, cur dehonestas propter intemperantiam bibendi teipsum? Audi quid ad Timotheũ dicit Paulus, *Modico vino vtere propter stomachum tuum, & crebras ægrotationes tuas.* Quod si Sãctus vir ille morbo depressus, & alternis ægritudinibus laborans, quousq; Magister permisit, vino non vtebatur: quã veniã nos cõsequemur, vino ad ebrietatem sani abutẽtes? & illi quidem dicebat, *pauco vino vtere propter stomachum tuũ*; ebrioso vero dicit, vtaris modico vino propter fornicationes, vt crebra turpiloquia fugias, & ꝓpter pestiferas cupiditates quas ebrietas parit. Quod si hæc non persuadent vobis, vt ab his abstineatis, saltem propter dolores & euersiones stomachi abstineatis. Non ad mærorem, nec ad dolorem, sed ad lætitiam vinum datum est. *Vinum enim lætificat cor hominis*: quam eius virtutem vos deijcitis. Nam quę lętitia est, si non es in teipso? Si mille doloribus vexaris? Si omnia circumferri tibi videantur? Si tenebris detentus quasi febricitans hominibus indigeas, qui oleo caput tuum perfundant? Sed magis tamen ad sobrios orationem direximus. Vos ergo sobrios oro, ne hac turpissima insania vnquam capiamini, & vt eos qui capiuntur diligenter sanare curetis. Nolite pati peiores bestijs homines fieri. Nihil [illegible]m vltra quam opus est illæ deinant: isti autem mediocritatis ter[illegible]s excedentes, irrationabiliores [illegible]ur. Quanto enim [illegible]est? Quanto canis præstantior? Omnes certe animantes quæ rationis expertes sunt, cum bibunt aut comedunt, vltra quam satis est, etiam si mille homines cogerent, numquam accipiunt. Peiores igitur irrationabilibus vos estis, qui inebriamini, non apud vos mentis compotes solum, verum et apud vos iudices. Inde namque manifestum est, canibus atque asinis vestro vos iudicio peiores esse, quia nullum brutorum comedere aut bibere cogitur. Et si quis huius rei caussam quæreret, nemo respondere dubitauit: ne comedendi atque bibendi excessus detrimento ei sit. Cum igitur minus tibi quam bestię proui deas, nonne hoc facto tuo minoris te putare videris, qui te continue in dolores impellas?

Non enim in die tantum quo inebriaris, verum etiam in crastinum ebrietatis reliquiæ conseruantur. Et quemadmodum cum febris cessauerit, debilitas tamen inde facta diutius remanet: sic ebrietate trãsacta, effectus tamen eius tam corpus quam animam diutius exagitat. Iacet enim plerumque tanquam tempestate conquassata nauis, miserum corpus hominis; anima vero detestabili cupiditate conuulsa, vehementer inceditur, & cum iam ab ebrietate resipuerit, tunc multomagis quam prius insanit. Et quemadmodum quamuis tranquillitas ex tempestate facta sit, detrimentum tamen quod inde factum est non restituitur, si semel iactura facta sit: sic omniũ pene bonorum iacturã ebrij patiuntur. Modestiam enim, pudorem, prudentiam, patientiam, humilitatem, omnia hæc quasi naufragium passi, iniquitatis pelago submerserunt. Verum multo peiora sunt, quæ sequuntur ebrietatem, quam aliquam tempestatem. Nam ibi quidem iactura leuior est, hic vero

ro grauiorem nauiculam reddit; quæ virtutum diuitijs eiectis arenam atque aquam fætidam ex ebrietate sibi coacernauit, quibus nauicula cum vectoribus atque gubernatore simul demergitur. Quę ne accidant, oro fugiamus hanc tempestatem. Reuoluamus semper nobiscũ, neminem ebriosum in cælorum regnum peruenturum. Apostolus enim inquit, *nolite errare, nec ebriosi nec conuitiosi regnum Dei hæreditabunt* Nescio an audistis illud quod de Alexandro ex Morauiæ ducibus Dubrauius & alij prodiderunt. Erat hic egregius bibulus, ita vt in certamen Bacchicum multos prouocaret. Cum itaque mortem Viennę obijsset, visus est post mortem a Sacerdote quodam, in cella vinaria inter dolia deambulare, corpore ambusto. Quid hoc, nisi quod indignus fuit cælo, dignus vero inferno? Vbi Deus habens in manu sua, calicem vini meri amari plenum mixto felle & pice, inclinat ex hoc in hoc, & inebriat omnes peccatores terræ.

4. *nemo temulẽtus regnum cælorum possidebit.* *Alexander Dux Morauiæ in cellario visus.*

Sed longe terribilius est, quod narrat auctor Speculi exemplorum de quodã ebrietati dedito, cui aperta sunt Regna Plutonea. Rem, ipsius verbis narrabo.

dist. 3. exemp. 9. Anonymus vidit inferniũ apertum.

Noui etiam, *inquit*, Fratrem quendam, positum in monasterio nobili, quamuis vita ignobili, sed ipsum ignobiliter viuentem. Nam seruiebat multum ebrietati, & cæteris vitæ remissioris illecebris. & cum esset in arte fabrili singularis, magis in officina sua die noctuq; residere, quam ad psallendum atque orandũ in Ecclesia, audiendumq; cum Fratribus verbum vitæ concurrere consueuerat. Corripiebatur quidem sedule, a Fratribus ac maioribus loci, atque ad castigatiorem vitam cõuerti admonebatur. & quamuis eos audire noluisset, tolerabatur tamen ab eis lõganimiter, ob necessitatem operum ipsius exteriorum. Sed tamen accidit illi, quod solebat dicere quidam, quia qui non vult Ecclesiæ ianuam sponte humiliatus ingredi, necesse habet ianuam inferni, non sponte damnatus introduci. Percussus enim languore, atque ad extrema deductus, vocauit Fratres; & multum męrens ac damnato similis cæpit narrare, quia videret inferos apertos, & Sathanam demersum in profundo inferi. Caipham quoq;, cum cæteris qui occiderunt Dominum, iuxta eum flammis vltricibus traditum. *In quorum vicino, inquit, heu misero mihi, locum conspicuo æternæ damnationis esse præparatum.* Audientes hæc Fratres, cęperunt diligenter exhortari, vt vel tunc positus adhuc in corpore, pœnitentiam ageret. Respondit ille desperans; *Non est tempus mihi mutandi vitam, cum ipse viderim, judicium meum iã esse completum.* Talia dicens, sine viatico salutis obijt: & corpus eius in extremis est locis monasterij humatum. Neque aliqui pro eo missas facere, vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumebant. O quam grandi distantia, diuisit Deus lucem & tenebras. Beatus Protomartyr Stephanus, a sobrietate passurus mortem pro veritate, vidit cęlos apertos, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem a dextris Dei: & vbi erat futurus post mortem, ibi oculos mentis ante mortem, quo lętior occumberet, misit. At contra, ebrius ille, tenebrosę mentis & actionis homo, imminente morte vidit tartara. Vidit damnationem Diaboli & sequacium eius. Vidit etiam suum infelix inter tales carcerem; quo miserabilius ipse desperata salute periret, sed viuentibus qui hęc cognouissent, causam salutis sua perditione relinqueret. Regnum itaque cę-

lorum vinolenti non possidebunt. Sed quid regnū cælorum dixi, cum nec præsentibus quidem iucunde vtantur? Noctem in die habentes, & in luce tenebris obuoluti, & apertis oculis nihil recte vidētes? Et ad hoc grauissimum illud supplicium luunt, cum mœrore sine ratione conficiantur, insaniant, ægrotent, ac omnibus ridiculi sint? Quæ igitur venia ipsis dabitur, qui sponte, tantis se malis obruunt? Nulla profecto.

Alexandri Magni factū ad parsimoniā vitæ. Lego de Alexādro Magno, quod is Persarum rege Dario deuicto, ipsius regia potitus esset, columnā in qua sumptuosissima regum prandia cenęque, ad commessationem & ebrietatem vsque producendam inscripta erant, conuelli iusserit, dicens. *Non vtile, sed magnopere damnosum esse & regibus & priuatis, tam intemperanter, & cænare, & bibere discere, vnde rationis lumen extinguitur*. Quid hic dicent, hi quos lux orientalis, bibones deprehendit stertentes?

Fugiamus itaque hunc morbum, si tam præsenti vita quam futura frui volumus. Quod nobis gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi concedat, cui gloria in secula Amen.

FERIA III. POST DOminicam in Passione.

Me autem mundus odit, quia testimonium perhibeo de illo &c. Ioan. 7. cap.

CONCIO.

In Osores proximorum.



TIMON Atheniensis, qui ab odio hominum Misanthropos Græcis vocabatur, habuit causam quam prætexeret suo affectui. Interrogatus enim cur omnes odiret homines? *Merito*, inquit, *improbos odi; reliquos autem, quia improbos non oderunt*. At Iudæi nulla de causa oderant Christū. Namq; non tantum ille improbos, verum etiam improborum nō osores, detestabatur. Tamen inquit, *me mundus odio habet, licet testimonium perhibeo de illo, quod mala sint opera ipsius*. Meram malitiam insinuat, ex qua maligni osores sunt proborum. In hos aliquid die hodierna pronuncio. *Max. ser. 6. Timon afer aliorum.*

Odiū inter probos & improbos naturale. Egithum & Achanthidem inter, tantum odium ex natura comperitur, vt nec cruor quidem, cum interfecti fuerint, cōmisceri possit. quod si forte miscueris, rursus fluit & separatur. Non minus est odium, inter improbos & probos, vt illi nec mortuis quidem vix coniacere, aut vel in minimo puluere vix communicare sustineant. Annibal Pænus adhuc puer, vel in seipso istud ostendit. Quum enim quæreretur, de finiendo odio inter Romam & Carthaginem, pedem infixit solo, ac puluere suscitato, *tum demum finem belli fore* dixit, *quum altera pars in habitum pulueris esset redacta*. Agnoscas ingenium exitio Romanę gen- *Plutarc. in Annibalis vita.*

us

tis natum;& ex illo conijcias animū
osorum, in perniciem proborū ac-
cinctum;vt vix ipso puluere, ex tot
funeribus excitato extinguatur, se
mel odium conceptum. Vt enim
Similia. inter animantium genera,& si nulla
1. appareat dissidij ratio, sunt tamen
quædam occulta odia, velut araneæ
& serpenti, formicis ac soricibus,
trochilo & aquilæ,alijsque complu
2. ribus,quæ nec ipsa morte finiuntur;
ita & inter probos ac improbos. Et
3. vt vitis refugit brassicam, quercus
abhorret ab olea, multo magis autē
a nuce juglande (nam vitis cum
omnia complectatur solam brassi-
cam declinat: quercus si in scrobem
oleæ depangatur emoritur; eadem
& iuxta nucem juglandē inarescit)
sic improborum cum probis natu-
rale dissidium est, vt nullo pacto,
4. queant coalescere concordia. &
quemadmodum coniungi non po-
test amaritudo cum dulcedine, cali-
go cum lumine, pluuia cum sereni-
tate,pugna cum pace,cum fœcundi-
tate sterilitas, cum tranquillitate tē-
pestas,propter connaturale odium
inter sua respectiue: ita neque im-
probi probos diligere vnquam pos-
sunt,propter idem dissidium Quod
tanto magis acre,si antea aliquo in-
ter se vinclo necessitudinis,aut san-
guinis,aut amicitiæ coniuncti.

5. Qui ex balneo calent, vehemen-
tius frigescunt,& aqua frigidor esse
solet,quę prius caluit: ita vehemen-
tius sese oderunt, qui prius fuerunt
6. amici. Vt carboni semel exusto suf-
focatoque si denuo flagret, maior
est vis: ita semel sopitum odium, si
7. rursum excandescat, acrius est. Ex
hydromele fit acerrimum acetum;
& ex amicitia,frequenter Vatiniana
odia. Quę tanto nocentiora sunt,
8. quanto occultiora. Flamma alacris
est, fumus vero intolerabilis: & sę-
pe tolerabilior est manifesta inimi-
citia,quam occultum odium. Insa-
lubre admodum cœlum est, quod *Tecta o-*
pluuiam promittit. sed non demit- *dia nocē-*
tit:& pestilentior est animus, qui tē- *tiora.*
pestatem suam altius recōdit, quam qui funditus excludit. Ideo ex vero Seneca affirmauit, *Peiora sunt tecta odia, quam aperta; & agnosci amat, qui odium ostendit.* Abel non occisus fuisset, si Caim ex professo hostis, odium suū ante exprompsisset. Amasa non turpiter cæcidisset, si Abner propalam illi dissidium indicasset. Saluator quoq; occulto proditori suo, tam citam & adeo crudelem mortem debet.

Quamobrem Dauidi id permaxime erat molestum,quod ab inspe- *præser-*
rato odio premeretur. Dicebat nā- *tim si post*
que. *Si inimicus meus maledixisset* *amici-*
mihi, sustinuissem vtique, & si is qui *tias.*
oderat me, magna locutus fuisset contra me, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo vnanimis, dux meus & notus meus? qui simul mecum dulces capiebas cibos? in domo Dei ambulauimus cum consensu?
O veniat mors super tales, & descendant in infernum viuentes.

Iulio quoq; Cæsari Dictatori id *Iulij ad*
peracerbū fuit, qd à Marco Bruto, a *Brutum*
quo sibi nihil metuebat, & à quo sibi *dictum.*
oīa bona pollicebatur,gladio stricto petere tur. Cum enim constanti animo & vultu,Sicas aliorum coniuratorum excepisset,ad hunc,fertur,exclamasse; *Et tu fili?* ac confestim se toga,vt moreretur inuoluisse Indigne habens quod ab eo quem nihil vere batur, extremo vulnere conficeretur. Profecto nocentiora sunt occulta odia,quam exerta. Tamen & ista sunt nocentissima quoque. Bene dixit ille. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Sed cuius. Aio, duplicem esse homicidam, omnem quicunque est proximi osor. Nimirum sui & proximi.

Osor

1\. Osor proximi se occidit, inprimis morte meroris. Non ex vano canebat ille.

osor proximi se occidit.

Liuor tabificum malis venenum
Intactis, vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quid quisque furit, inuidetque forti
Vt debet sibi pæna semper ipse est.
Testatur gemitu graues dolores
Suspirat, gemit, incutitque dentes.
Sudat frigidus, intuens quod odit
Effundit mala lingua virus atrum
Pallor terribilis genas colorat
Infelix macies renudat ossa.
Non lux, non cibus est suauis illi
Nec potus iuuat aut sapor Lyæi:
Nec si pocula Iuppiter propinet
Atque hæc porrigat & ministret Hebe
Aut tradat Ganymedes ipse nectar.
Non somnum capit, aut quiescit vnquam
Torquet viscera carnifex cruentus
Vesano tacitos mouet furores
Intentans animo faces Erinnys
Letalis, Tityique vultur intus
Qui semper lacerat comestque mentem
Viuit pectore sub dolente vulnus
Quod Chironia nec manus leuaret
Nec Phœbus, sobolesue chara Phœbi.

An non talis Caim, ad quem ipse Deus: *cur concidit* inquit, *vultus tuus*? annon omnes alij de quibus Dauid tales? *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet*? Nimirum ipsi a suo odio quo deflagrant, in seipsis tabescentes & emorientes. Scita est industria, quam araneus ostendit in serpente enecando. Librat se filo in caput serpentis porrectæ sub vmbra arboris suæ, tantaque vi morsu cerebrum apprehendit, vt stridens subinde ac vertigine rotata, ne filum quidem desuper pendentis rumpere, adeo non fugere queat: nec finis ante mortem est, commoriente & ipso araneo ex tabescentia. Possunt osores proximorum, notam sibi hieroglyphicam exinde concipere, quod illi quoque neminem mærore conficiant a venenato morsu, quin ipsi quoque ante prius a liuore moriantur.

Plinius lib. 10. c. 74.

araneus quomodo serpentem occidit.

Sufficeret si a liuore tantum marcescerent, nisi etiam a Diuino vindicio, & in corpore & in anima morerentur. Elephanti & draconi perpetuum est dissidium, & ex dissidio vtriusque occidio. Dum enim draco sanguinis illius sitiens, spiris circum voluerit elephantem, & exucto cruore illum prostrauerit, ab occubuo animali comprimitur. Sic & osores, dum vel sanguinem, vel famam, vel facultates alienas concupiscunt, & propterea proximum peius cane & angue odio prosequuntur, vel ab occumbentibus quos persecuti erant, vel etiam sæpe ante illos præcul cantur. Diuina non dormiente vindicta, quæ impellit hominem in foueam quam fecit.

Et quidem osor proximi, nihil aliud sæpe huic quem odio habet facit, quam quod illustriorem reddit; sibi vero, & Dei iracundiam proritat, & a Deo irato supplicia accelerat. Inuisum habebat Abelem fratricida Caim? sed illi gloriam, sibi vero vitam mortemque funestam comparauit. Oderat Esau Iacobum fratrē, atque adeo domo paterna extorrē fecerat? sed ille regreditur cū duabus turmis, Dominus Fratrum suorum, hic vero perpetuam seruitutem seruit. Iosephum Patriarcham adhuc dum iuuenem oderant fratres, nec poterant ei quicquam pacifice loqui: Sed illi summos honores, maximas dignitates, & inæstimabiles facultates ex odio fraterno accreuerunt,

2\. *Osor proximi sibi supplicia accelerat, alteri meritū & gloriā.*

runt, his vero scitis quanta amaritudo? quanta confusio? Dauidem oderat Saul rex; sed illum vel nihil cogitantem ad solium euehebat, se vero & stirpem suam deprimebat.

ita Deo dispẽsante. Pulchrum est quod Origenes disseruit. Sapientia & dispensatione Diuina, *inquit*, ita omnia sunt in hoc mundo disposita, vt nihil prorsus otiosum sit apud Deum, etiamsi illud malum sit. Quod etsi non fecit, tamen ab alijs inuentam malitiam cum prohibere possit non prohibet, sed cum ipsis a quibus habetur, vtitur ea ad necessarias causas. Propter ipsos enim in quibus est malitia, claros & probatos efficit eos, qui ad virtutum gloriam tendunt. Si enim perimeretur malitia, non esset vtique qui contrairet virtutibus. Virtus autem non habens contrarium non clarescere; nec splẽdidior & examinatior fieret. Non probata vero, nec examinata virtus, nec virtus est. Tolle malitiam fratrum Ioseph, tolle odium, tolle illud omne parricidale commentum quo sæuierunt in fratrem, vsque quo venderent eum. Si hæc auferas, vide quantam simul peremeris dispensationem Dei. Simul enim abscindes cuncta, illa quæ apud Aegiptum per Ioseph pro salute omnium gesta sunt. Non fuisset interpres somnij Pharaonis, si per inuidiam & odium fratrum non fuisset distractus & venisset in Aegyptum. Nemo intellexisset quæ reuelauerat Deus regi, nemo frumenta congregasset in Aegypto, nemo necessitatem famis sapienti prouisione curasset; perijsset Aegyptus, perijssent & finitimæ regiones fame. interijsset etiam & ipse Israel & semen eius quærens panem, si Aegyptum non fuisset ingressum, nec egressi fuissent ex ea filij Israel cum mirabilibus Domini. Nec inde tot admiranda a Domino innotuissent. Tolle Balac regis pessimi malitiam, qua maledici desiderat Israelem, pariter abstuleris erga filios Israel dispensationem Dei & prouidentię eius fauorem. Tolle malitiam Iudæ, proditionemque eius, abstuleris pariter crucem Christi & passionem eius. & si non sit crux, non exuuntur principatus & potestates, nec triumphantur in ligno crucis. Si non fuisset mors Christi, vtique nec resurrectio fuisset, nec extitisset aliquis primogenitus ex mortuis. Quod si non fuisset primogenitus ex mortuis, nec spes nobis resurrectionis fuisset. Tolle malitiam diaboli & eius ministrorum, simul vtique ablatum nobis erit certamen, nec expectabitur corona victoriæ ei, qui legitime certauerit. Si enim non haberemus qui aduersus nos obsisterent, agones non essent, nec victoribus munera ponerentur, nec regnum cęlorum vincentibus pararetur, neque momentaneum hoc & leue tribulationis nostræ, supra modum pondus gloriæ operaretur nobis in futuro, nec aliquis nostrum pro tribulationum patientia speraret immensam gloriam futurorum. Nam his vasis malis Deus vtitur, ad opus bonum. *In magna enim* huius mundi *domo, non sunt tantummodo vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia; & alia quidem ad honorem, alia autem ad contumeliam. vtraque tamen necessaria.* Sicut (verbi gratia) in Vrbibus magnis, si qui indigniores sunt & abstrusæ vitæ ac deterrimæ homines, vltima quæque opera & laboriosa condemnãtur operari, & tamen huiusmodi opera sunt necessaria ciuitati. verbi causa. aut fornacibus succendendis ignes deseruiunt, vt tu vel commoditate vel delicijs perfruaris; aut cuniculos purgant, aut alia huiusmodi gerunt vt

hom. 14. in nume.

qui per malitiã alienam illustrat.

tibi

tibi in vrbe fiat & salubris & delectabilis habitatio, & illi quidem vel agunt ex proposito, vel ex merito patiuntur: opus tamē ipsorum proficit ad vtilitatem eorum, quibus quæ bona & vtilia sunt parantur: ita & hic. Deus quidem malitiam non fecit, inuentam tamen ex propositi intentione eorum qui declinarunt a via recta, auferre penitus noluit: prouidens hoc, quod etiam si illi esset inutilis qui ea vtebatur, faceret tamen vtilem ijs, aduersum quos exercebatur. Et ideo refugere quidem omnibus modis debemus, ne vnquam odij malitia inueniatur in nobis: in alijs vero vincere eam, non perimere studendum est: quia & illi in quibus est malitia, aliquid necessarij operis conferunt vniuersitati. Maximum vero fastigium gloriæ operantur in ijs quos diuexant, sibi autem extremum malorum adducunt qui diuexant.

Mystologia Laganæ. Hispal. p.5.c.17. Insulam Indicam Zebut cognomine qui viderunt, admirandam in ea auiculam Laganam dicunt, cui a natura inditum est, vt cum magnitudine sit cornicis, insidietur ori cęte, a quo deglutitur integra ac viuens. Admissa in aluum arrodit cor, *& Ichneumonis. lib.8.c.5. 25.* vnde cæte perimitur. De Ichneumone quoque quadrupede retulit Plinius, quod os crocodili hians ingreditur, in ipsaque vsque viscera decurrens penetrat. Vbi ea corrodens etiam bestiam exanimat, deinde rosa aluo securus egreditur.

Sunt qui ichneumonis nomine, etiam hydram Serpentem vocent, quæ etiam crocodili hiantis aluum ingreditur, viscera arrodit, & exilit. Non absimiliter contingit illis, qui sibi pauperes & probos, ex odio gluttiendos & conculcandos destinarunt. Nam ex isto obsonio remorsum cōscientię, plerumqe vero mortem temporanęam, plurium vero seueram & horrendam consciscunt. Narrabo aliquos veteres in exemplum.

Supplicia osorum. 1. Aureliani præses Antiochus, inter tormenta Agapiti martyris, subito de tribunali decidens, se totum in interioribus ardere clamauit & expirauit.

2. Diocletianus imperio sponte se abdicauit, quod Christianos aliquando persecutus fuisset. Priuatus vixit Nicomediæ, vbi morbo miserabili extinctus est. Primum hydrope intumuit; quo disrupto, lente emarcuit, ita vt lingua eius blasphema vermibus corrumperetur, & grauissimo fœtore astantes offenderet. Postremo canis more latrans, scelestam euomuit animam.

3. Diocletiani collega in imperio fuit Maximinus, & qui & ipse conscientia excarnificante, quod piorū odio flagrans, multos eorum occidisset, abdicato imperio priuatus vixit Mediolani. Tandem diuinę vindictæ locum dedit. Corripuit enim eum, *inquit Eusebius*, supplicium Diuinitus, initio ex ipsa illius carne sumpto, & progressu vsque ad animam facto. Etenim subito illi accidit in medijs corporis arcanis suppuratio, deinde in imis illorum vlcus fistulosum & ex his vis quędam mali interiora viscera depascens, & indicibilis multitudo vermium ebulliens, & lethiferum fætorem exhalans: toto alioqui corporis tumore, ex abundantia cibi, etiam ante morbum in nimiam pinguedinem mutato: quę tum suppurata, intolerabile & horrendissimum appropinquantibus spectaculum prębuit. Itaque medicorū alij, incredibilem fętorem ferre non valentes, occidebantur: alij quia toto corpore tumefacto, nulla supererat spes salutis, ideoque medēdo nihil efficere poterāt, crudeliter interimebātur & ipsi.

Quidam

Quidam tunc ex ijs quem iugulari præceperat Maximinus, fertur inspiratus a Deo, Imperatori hæc obiecisse: *Cur Imperator erras, & quod Deus infert, ab hominibus putas posse reuocari? Nec humanus est iste morbus, nec a medicis curatur. Sed recordare, quanta in seruos Dei egeris, quamque in religionem Diuinam impius & prophanus extiteris, & intelliges, vnde tibi sint poscenda remedia. Nam & ego quidem mori cum cæteris potero, tu tamen a medicis non curaberis, propter odium in pios.*

Commemorarem alios, nisi palam esset, Deum esse justum vindicem, seuere in eos anima iuertêtem qui aliquem odio habuerunt gratis. Vos olores cauetote, ne in manus ipsius quandoque incidatis.

Quam rectius foret, si benignitatis viscera proximo ostenderent illi homines, qui perpetuo odio deflagrant? Homo enim,

——— *Neque est de tigride natus*
Nec rigidos silices, solidumve in pectore ferrum
Aut adamanta gerit, nec lac bibit ille leænæ.

vt odium vel concipere, vel concepto æstuare possit iure, contra comparem. præsertim si tantopere dilectio proximi Deo placet, vt fere nulla alia virtutum. Nam id esse voluit secundum præceptum, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Proinde, sicut *nemo propriam carnem odio habuit*, nemo etiam, quæ potior est, animam. & Christus pariauit amorem proximi amori proprio: scio quia is maximopere placuit Deo dilectionis auctori, qui proximo bene cupit, in hoc enim totam legem impleuit. Dabo exemplum insigne, quo Deus testatus est, dilectionem proximi sibi esse longe gratissimam, odium vero summopere inuisum. Prius de odio, idque ipsis verbis auctoris.

Venerabilis Iacobus de Vitriaco, crucem Hierosolymitanam, propter salutẽ multorum in Brabantia prædicauit. Contigit autem, vt pacificaturus quadam die mortales inimicitias, iniuriam passum primo suppliciter, deinde prostratus pedibus eius, semel iterum & tertio cum multitudine populi præsente rogaret. Nec proficeret, in renitentem. Conuersus autem ad populum, dixit palam omnibus: *Contestor vos, quia qui spernit nos, spernit & eum qui mittit nos. Rogate ergo Dominum, vt tale signum ostendat in obstinatum hominem, quo cunctis præsentibus pateat, eum contra se in retentione odij, contra proximum hoc egisse.* Nec mora. Cum sanctus vir orationem expleuit, miser ille euersis oculis semel, & iterum, & tertio in terram corruit, oreque cruorem spumans & saniem, horroris maximum spectaculum omnibus præbuit. Tũc flente populo, reuerendus vir fusa prece prostratum erexit. Qui postea integerrime sospitatus, vbi ante se inimicum vidit, quasi aliquem amicissimum rogaturus, cum lachrymis ad laudem Christi, ora omnium commouit. *Specul. exẽp. dist. 5. c. 44.*

Alterum istud accipite. Nobilis quidam in Germaniæ partibus, fratrem vterinum a quodam plebeio occisum perdiderat. Fugiente vero de patria occisore, contigit vt nobilis, ille cum multo comitatu peregre profectus, impræmeditate soli inagro occurreret occisori. qui mox extracto gladio, vbi in terram inimicũ expetijt, ita pstratus occisor clamauit: *Miserere mei nobilissime vir, p illũ qui tui misertus & omniũ, mundum istum morte redemit.* Repente itaque nobilis animus in lachrymas resolutus, illam quam extenderat manum retraxit. Sed cum

hoc ignauiæ adscriberetur a suis, & iterum manum extenderet in prostratum, iterato reo, ob remissionem peccatorum eius veniam petente, secundo manum deposuit. Tertioque increpatus a suis, cum mortem certius intentaret, & miser ille ob euasionem angustiæ, quam omni peccato esset in extremo judicio perpessura, veniam precaretur, respondit nobilis genere, sed nobilior mente: *Et ego*, inquit, *tibi prorsus mortem fratris indulgeo*. Nec mora, eadem die, vt audiret missam, Ecclesiam ingressus, vbi coram jmagine crucifixi ter tio flexit genua, visus est a quodam sancto viro, ad singulas genuflexiones illius nobilis, Crucifixus caput suum inclinare. Seorsum ergo vir Sanctus ille, qui solus hoc viderat, nobilem euocauit, & quis esset, atque in quo magis Diuinam misericordiam mereretur, interrogauit. Tum ille. *Peccator*, inquit, *sum*, *& seculo deditus. jn nullo autem prorsus, nisi hodie forsan veniam promerui*. Factumque retulit & ab eo visam jnclinationem Crucifixi intellexit. qui eo annuebat indicio, summopere sibi placere, illum, qui deposito odio condonat proximo suo delicta, quemadmodum & ille nobis gratuito donauit. Beati illi super quorum rancorem Sol non occidit. Sed vos etiam beati qui propter iustitiæ & probitatis culturam patimini. Ne estote in tribulationibus deficientes: sed aspicientes in Iesum quem mundus priorem odio habuit, & ab odio jllustrauit, ab eo coronam certantibus propositam expectate, quam imponet fulgentem in secula. Amen.

FERIA IIII. POST DOminicam Passionis.

Oues meæ vocem meam audiunt.

CONCIO.

De Christi ouium attributis.



ARCHANGELVS Gabriel dum Virgini Deiparæ, Diuinum nunciaret conceptum, Filium qui nasceretur, regnaturum pronũciauit in domo Iacob. *Dabit*, inquit, *illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis*. Cur non in domo Abrahami, neque in regno Salomonis aut Saulis, sed Iacobi & Dauidis regnaturus esset? dum caussam requirerem: hæc occurrit, quod & Iacob Pastor ouium, & Dauid similiter opilio. nam *de postfætantes accepit eum*; designabant Iesum fore Pastorem seu Regem ouium. scilicet illorum qui velut oues vocẽ eius audirent. vt ipse satis clare aperit in Euangelio hodierno. De his ouium Christi attributis, mihi dissertatio. *Regnum Christi ouile.*

Prima quæ Deo oblata fuit hostia, erat de ouibus. Nam sic lego in Genesi. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*. Rabbinorum doctiores, exsinuant ista gregis primogenita, quod fuerint ex genere ouillo, agni & oues. Innocentem Deum ab jnnocentiæ mysta, non alia quam jnnocentiæ, patientiæ, beneficentiæ, & varijcolor variarum virtutũ jndex victima decebat. Talibus enim sacrificijs promeretur ille, qui talibus jmperare delectatur. Age hęc attributa ouilla, *Prima oblatio ex ouibus. Gen. 4.*

la, in nostram rem explicemus. Namque *nos populus eius, & oues pascuæ ipsius*, adeo nobis hoc nomen impressũ & moribus expressum debere esse sciamus, vt nisi simus my sticæ oues, frustra dexteram misericordis Iesu expectauerimus in illo die, quando oues ab hędis discriminabit. Adeo vero hoc nomen, *Ouis* veteres Christiani Christo dilectum esse existimabant, vt & vocationis & professionis Christianæ thesserã *Ouem Christo impositam*, & in templis pingerent, & in calicibus sacratis effigiarent, & nomenclaturam sibi inde vsurparent. Procedant, *inquit Tertullianus*, ipsę picturę calicum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius perditę, quę a Domino requisita, & humeris eius reuecta, vtrumne Christiano, an Ethnico peccatori de restitutione concinet. Pręscribimus enim ex naturę disciplina, ex lege auris et linguę, ex mẽtis sanitate, ea semper respond eri quę prouocantur, id est ad ea quę prouocant. Nam ouis est Christianus, & grex Domini Ecclesię populus, & pastor bonus Christus, & ideo Christianus non intelligendus, qui non ouis, & qui ab Ecclesię grege errauerit. Quattuor vt audistis attributa ouilia, propria esse dixit Christianis. 1. a natura disciplinam 2. ab aure 3 a lingua 4 & a mentis sanitate. Singula discutio & ad ethicen Christianam conuerto.

lib. de pudicit.

Ouium Christi propria. *1. Innocentia.*

Disciplina naturę ouillę est innocentia, etenim natura nullam dedit eis armaturam, non cornua ad feriendum, non dentes ad laniandum, non vngues ad discerpendum, non venenũ ad inficiendum, non denique aliquid tale ad nocendum. Tales vult esse Christus suos. *Mitto, inquit, vos sicut oues in medio luporum*. Vt ouis nec sibi, nec alijs nocet, volo vt & vos pariter nec vobis per flagitiũ, nec alijs per iniuriam incommodaueritis.

2. Tolerantia iniuriæ.

Altera naturę ouillę disciplina est, patientia seu tolerantia malorum. Dum enim cęditur innocuum pecus, non reponit sed sustinet iniuriã. Tales etiam vult esse suos Christus, qui ipse coram tondente se obmutuit; & dum occideretur, tanquam agnus innocens, non aperuit os suũ; vt alij exemplo suo nulli cedant iniurię, nec reputent quam multa in illos conijciantur tela, cum sint nulli eorum penetrabiles. Quemadmodum quorundam lapidum inexpugnabilis ferro durítia est, nec secari adamas, aut cędi vel teri potest sed incurrentia vltro retundit: quemadmodum quędã non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa, rigorem suum habitumque conseruant: quemadmodum proiecti in altum scopuli mare frangunt, nec ipsi vlla sęuitię vestigia tot verberati seculis ostentant; ita & nostrum omnium animus vt solidus sit, & id roboris colligat, vt tam tutus sit ab iniuria, quam illa quæ retuli.

Quid igitur? Non erit aliquis, qui nobis facere tentet iniuriam? Tentabit, sed oportet ne ad nos perueniat. Maiore enim interuallo a cõtactu inferiorum oportet vt abducatur Christianus, quam vt vlla vis noxia, vsque ad illum vires suas perferat. Etiam cum potentes & imperio editi, & consensu seruientium validi, nocere ei tentent; tam citra illum omnes eorum impetus deficient, quam quæ neruo tormentisve in altum exprimuntur; cum extra visum exilierunt, citra tamen cœlum flectuntur. Quid tu putas, cũ stolidus ille rex multitudine telorum diem obscurasset, vllã sagittam in Solem incidisse? Aut demissis in profundum catenis Neptunum po

tuisse cõtingi? Vt cælestia manus humanas effugiunt, & ab his qui templa diruunt, aut simulachra conflant nihil Diuinitati nocetur: ita quicquid fit, in Christianum, proterue, petulanter, superbe frustra tentatur, si ille meminerit naturę suæ, quæ est Tolerantia mali.

cuius exēplum in Dauide. Producam ipsum Regem Dauidem, ex hoc ouili Pastorem in exemplar tollerantiæ. Multis beneficijs obstrinxerat sibi Saulem regem, & vniuersos suos gentiles, propterea quod eos ab imanni Goliatho, & à dira morte liberasset. Porro ille ad beneficia cęcus, conatus est Innocẽtem è medio tollere, etiam tum dum insaniam furentis regis cythara demulceret. Nam sustulit hastam suam Saul, dixitque; *in figam in Dauid* & fixit in parietem: nec semel sed aliquoties. Poterat Dauid statim sese vindicasse: attamen tolerauit. *ex Chrysost. hom. de Dauid & Saule.* In super post hæc omnia perseuerauit curare regis negotia, proque salute illius suscipere pericula, & in acie stare in prælijs omnibus, suoque periculo seruare trucidatorem suum, denique nec dictis, nec factis contristauit immitem illam bestiam, sed concessit in omnibus, dictoque audiens fuit. Cumque victoriæ pręmium non accepisset, sed omnium illorum periculorum mercede fraudatus esset, ne verbo quidem expostulauit vnquam: non cum militibus, non cum rege: propterea quod hæc non gessisset, spe mercedis, cęlitus expectans retributionem. Nec id solũ est admiratione dignum, non quod poposcit præmium, sed quod etiam quum daretur, ob eximiam animi modestiam recusauit. Siquidem posteaquã Saul omnia molitus, & omnibus tentatis non potuit illum interficere, conficit illi dolum per nuptias, ac nouam quandam dotis ac dotalium formam commentus est. *Non enim cupit* inquit *rex dotem, sed vt centum præputia exoluat ab hostibus regis.* Quod sentit, tale est. Occide, *inquit*, mihi centum viros, atque hoc erit mihi dotis vice. Hæc autem dicebat, cupiens illum obtentu coniugij hostibus obijcere. Nihilosecius Dauid pro sua modestia res æstimans, recusauit coniugiũ, non deterritus periculis aut hostium metu, sed quod existimaret sese indignum affinitate regia. Postquam autem hostes deuicerat, ac filiam regis acceperat, rursus psallebat Dauid, *& quærebat Saul cum lancea percutere. Dauid autem declinauit, & hasta impacta est parieti.*

Quem non ista vel exactæ Philosophiæ gnarum, animique moderatissimi ad iracundiam excitassent? Quem non perpulissent ad occidendum, præter meritum insidias molientem? Dauid tamen nihil cogitauit, sed potius habuit fugere, & a patrijs ædibus exulare, atque erronem profugum agere, & in calamitate sibi parare victum, quam regi cædis occasione dare. Nec .n. eo spectabat vt se vlcisceretur, sed vt illum ab eo malo liberaret. Porro neque hoc melior factus est Saul, sed persequebatur, vbique quærens Dauidem, qui non solum nihil lęserat, sed quum esset lęsus, tum maxima, tum innumerabilia pro iniurijs bona rependerat. Sed tamen imprudens Saul, post incidit in retia Dauidis. Erat enim ibi spelunca, & ingressus est Saul, vt naturam exoneraret. Dauid autem cum comitibus suis, in interiore parte speluncæ sedebat. Dixeruntque viri Dauid ad illum: Ecce dies de quo dixit Dominus: *Tradam inimicum tuum in manus tuas, faciesque illi quod placitum est in oculis tuis.* Et surrexit Dauid, sustulitque laciniam chlamydis Saulis clanculum.

lum. Et post hæc percussit Dauidem cor ipsius, quod abstulisset laciniam chlamydis, dixitque ad viros suos: *Auertat a me Dominus, ne faciam verbum hoc Domino meo Christo Domini, mittamque manum meam in illum, quoniam Christus Domini est.* Vidisti tensa retia, vidisti venatum insidiantem, vidisti venatoré erectum, vidisti omnes adhortantes, vt ensem in hostis pectus immergeret? Nunc mihi specta philosophicam animi moderationem, specta luctã, victoriam, coronam Nam spelunca illa campus erat, in eo lucta quędam admirabilis dictuque incredibilis facta est. Luctatus est Dauid: pugilem egit iracundia: Saul positus erat certaminis materia: Agonothetes erat Deus. Quin potius, non ipsi modo aduersus seipsum propriamque cupiditatem erat prælium, sed & aduersus milites qui aderant. Etenim si voluisset animo moderari, ac parcere ei qui læserat, cõsentaneum erat vt & illos metueret, ne forte ipsum contrucidarent in spelunca, tanquam qui illorum salutem prodidisset, exitiumque attulisset, ac publicum ipsorum hostem seruasset. Probabile enim est, illorum vnumquemque dolore percitum, hæc cum suo animo dicturos fuisse: Errones exulesque facti sumus, domo, patria, cæterisque omnibus excussi, omniumque difficultatum consortes sumus. & tu eum qui horum malorum tibi autor est, in manus tuas traditum cogitas dimittere, ne nobis vnquam liceat ab his calamitatibus respirare, ac proditis amicis hostem seruare studes? Hæc vt verbis non sint proloquuti, tamen animo secum voluebant, quum ista, tum istis etiam alia maiora. Verum nihil horum iustus ille apud se perpendebat, vnum illud spectans, quomodo possit redimiri tolerantiæ corona, ac nouam quandam admirabilemque philosophiam philosophari. & iræ quidem tempestas coorta vrgebat, vt iniuriam reponeret; at non processit vlterius, neque fecit naufragium, eo quod gubernatrix illico sentiens periculum, videlicet pia ratio, tempestatem vertit in tranquillitatem. Percussit enim, *inquit*, Dauidem cor ipsius, ac velut equum subsilientem ac ferocientem, reuocauit iram. Huiusmodi sunt sanctorũ animę; priusq̃ cócidant, resurgũt: priusquam ad peccatum perueniant, refrenantur: eo quod sobriæ sint, semperque vigilent. Et tamen quantulum erat interuallum inter corpus, & chlamydem? Attamen ille seipsum cohibuit, ne progredetur vlterius. Quin & ob hoc insuper grauiter seipsum cõdemnauit. dixit enim ad viros, *nequaq̃ hoc mihi sit a Domino. propitius*, inquit, *sit mihi, si hoc voluissem. Ne concedat, vnquam vt hoc faciam Deus. neque permittat me ad tantum deuenire scelus.*

Videamus nũc triumphos, ex eius certamine cum iracundia. Surgente Saul de spelunca, egressus est post illum & Dauid liberis deinceps oculis cælum intuens, ac tum temporis magis exultans, quam quum Goliath deiecisset, ac Barbari caput amputasset. Siquidem hæc illa magnificentior erat victoria, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius trophæum. Siquidem illic & funda, & lapidibus, & acie habebat opus. hic vero cuncta prudentia ratione q̃ peracta sunt, ac fine armis contigit victoria, atque incruentum trophæum erectum est. Itaque rediit, non Barbari illius caput gestans, sed animi commotionem mortificatam, sed iram eneruatam. Neque hæc spolia reposuit Hierosolymæ, sed in cęlo inque superna illa ciuitate. Nunc hauquaquam in

in ipsa ebrietate faciebat. Fere ebrietatem crudelitas sequitur. violatur enim exasperaturque sanitas mentis. Quemadmodum difficiles faciunt oculos diutini morbi, etiam ad minimam radij solis offensionem: ita ebrietates continuæ efferāt animos. Nam cum sæpe apud se non sint, consuetudine insaniæ durata vitia, vino concepta, etiam sine illo valent.

3. *Imago temulētię.* Sed ab archętypa ipsius imagine, placet grauitatem temulentiæ demonstrare. ita eam pinxit Alciatus in Dialogo.

in statuā Bacchi. Emblemma 25. mentem ementat.

Bacche Pater quis te mortali lumine nouit,
Et docta effinxit quis tua membra manu?
Praxiteles, qui me rapientem Gnossida vidit.
Atque illo pinxit tempore qualis eram.
Cur juuenis, teneraque etiam lanugine vernat.
Barba, queas Pylium cum superare senem?
Muneribus quandoque meis si parcere disces,
Iunior, & forti pectore sēper eris.
Tympana non manibus, capiti non cornua desunt,
Quos nisi dementeis talia signa decent?
Hoc doceo nostro, quod abusus munere sumit
Cornua, & insanus mollia sistra quatit.
Quid vult ille color membris pene igneus? Omen
Absit. an humanis vreris ipse focis?
Cum Semeles de ventre parens me fulmine traxit
Igniuomo, infectum puluere mersit aquis.
Hinc sapit hic, liquidis qui nos bene diluit vndis:
Qui non, ardenti torret ab igne jecur.
Sed nunc me doceas, qui vis miscerier? & qua
Te sanus tutum pendere lege queat?
Quadrantem addat aquæ, calicem sumpsisse falerni
Qui cupit, hoc sumi pocula more iuuat.
Stes intra heminas: nam qui procedere tendit
Vltra, alacer, sed mox ebrius, inde furit.
Res dura hæc nimium, sunt pendula guttura, dulce
Tu fluis, heu facile commoda nulla cadunt.

Ab hac imagine duco lineam in ebrietatem, quod sit grauissimum peccatum, quia hominem insanum facit, dum & caput cornibus, & manum sistro grauat. Monebat itaque Sapiens. *Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius. jngreditur blandè, & in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extranea, & cor tuum loquetur peruersa, & eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo, & dices. Verberauerunt me, sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi.* Sic enim temulenti plerunque, velut naufragus aliquis sine remo in mari, sine ratione rectore insanientes. Adijce mihi, *inquit Seneca*, illam ignorantiam sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum. quid hæc nisi insani capitis, visa & facta? *Prou. 23.* *Philosophorū scita in temulētiā.* I.

Bene Anacharsis dicere solebat, *in vite tres nasci botros, quorum primus esset voluptatis, secundus ebrietatis,*

3. *tatis,tertius jniuriæ.* Nescio an eius-
dem sapientis apud Apuleium, sit
illud super mensam celebre dictū.
4. *Prima,inquit,cratera ad sitim perti-*
5. *net. Secunda ad hilaritatem. Tertia*
Florid. li. *ad voluptatem. Quarta ad jnsaniam.*
3. Eubulus quoque Philosophus puta-
uit, tria tantum pocula bene sen-
tientibus propinari; quartum vero
poculum,non nostrum, sed jniuriæ
esse. Pythagoras vero, *ebrietatem*
appellare consueuerat. *jnsaniæ me-*
Stob. ser. *ditationem*. Cyrus autem rex ab
18. Astyage rogatus, quamobrē vinum
non absorbuisset? *Quod metueram,*
respondit,*medius fidius,ne in crate-*
re mista venena forent. Etenim quū
tu in natalicijs amicos adhibuisti,
perspicue didici, te eis venena infu-
disse. Et quo pacto,inquit,o fili hoc
dignouisti? *Quod videbam vos,* re-
spondit, *neque corporis esse, neque*
Xenophō. *mentis compotes.* Plato discipulos
in Padia suos admonebat, vt se ebrios in spe
Cyri. culo contemplarentur. Sic enim
6. fore, vt dum faciem suam phrene-
7. tico similem intuerentur, in poste-
8. rum a vitio ebrietatis abhorrerent.
eo quod temulentia prope insanos
faciat, & ex hominibus non homi-
hom. 58. nes. Chrysostomus etiam pronun-
in. ciabat,ebrietatem homines in dæ-
moniacos deformare,non tantum
in bruta. Nemo magis amicus est
Diabolo, quam qui delicijs & ebrie
tate maculatur. Hic enim fons, hæc
mater atque origo vitiorū omnium
est. hac via olim Hebræos, in cul-
tum Diabolus idolorum infecit.
Hac iniquos amores Sodomitarū
inflammauit. *hæc enim* ait. iniqui
tas est Sodomæ; in copia & pleni-
tudine panis luxuriabantur. Hac
denique via, mille alij gehennæ tra-
diti periere. Quid enim deliciarum
& ebrietatis fœditas mali non in-
ducit? Sues ex hominibus facit:imo
etiam multo peiores. Sus enim in lu-
to voluitur,& stercore nutritur: hic vero abominabilē magis sibi mensam construit, ex ebrietate iniquas commixtiones excogitans & amores nepharios. Hic nullo certe discrimine a Dęmoniaco separatur. jmprudens enim & furiosus pariter est. Et dæmoniacum quidē omnes miseramur, hunc vero auersamur & odimus. Quid ita? quia sponte furorem sibi attrahit, & os, oculos, nares, & cætera simpliciter sēsuum instrumenta, amarissimas voluptatis conficit cloacas. Quod si etiam interiora inspicias,videbis animam eius,ceu hyeme ac intensissimo frigore congelatam adeo, atque torpentem,vt nulla vtilitas corpori ab ea possit afferri. verecundor apertius enarrare, quæcunque a delitijs & ebrietate tam viri quam mulieres patiuntur. Quid turpius ebriosa fęmina, quę huc & illuc ex temulentia peruagatur? Quanto enim infirmius vasculum est, tāto magis naufragium fit, siue libera, siue ancilla mulier sit.

Sed audiui multos; cum insanæ *In cauillatores digressio.*
istæ accidunt passiones, dicentes, *Vtinam non esset vinum.* O amentiam singularem: o stoliditatem inauditam. Alij delinquunt, & Dei tu dona criminaris? Putasne a vino hoc factum malum? Non fecit vinum certe, sed incōtinentia eorum, qui vino abusi sunt. Dicas ergo potius: *Vtinam non esset ebrietas, non essent delitiæ.* Si vero dicis, vtinam non esset vinum; ordine paulatim progrediens optabis, ne sit ferrum propter homicidiū; ne sit nox propter fures; ne sit lux propter calumniatores; ne sit fęmina propter adulterium. & sic omnia opera Dei tibi destruentur. Non igitur ita dicas; nec vinum sed ebrietatem crimineris. & ebrio cum in se fuerit reuersus, omni dedecore suo prius

descripto dicas: datum esse vinum ad lætitiam non ad turpitudinem nostram. datum est, vt rideamus, non vt derideamur. vt recte valeamus, non vt ægrotemus. vt imbecilla corpora reficiamus, non vt robur animi deijciamus. Honorauit te hoc munere Deus, cur dehonestas propter intemperantiam bibendi teipsum? Audi quid ad Timotheū dicit Paulus, *Modico vino vtere propter stomachum tuum, & crebras ægrotationes tuas.* Quod si Sāctus vir ille morbo depressus, & alternis ægritudinibus laborans, quousq; Magister permisit, vino non vtebatur: quā veniā nos cōsequemur, vino ad ebrietatem sani abutētes? & illi quidem dicebat, *pauco vino vtere propter stomachum tuū*; ebrioso vero dicit, vtaris modico vino propter fornicationes, vt crebra turpiloquia fugias, & ꝑpter pestiferas cupiditates quas ebrietas parit. Quod si hæc non persuadent vobis, vt ab his abstineatis, saltem propter dolores & euersiones stomachi abstineatis.

Non ad mœrorem, nec ad dolorem, sed ad lætitiam vinum datum est. *Vinum enim lætificat cor hominis*: quam eius virtutem vos deijcitis. Nam quę lętitia est, si non es in teipso? Si mille doloribus vexaris? Si omnia circumferri tibi videantur? Si tenebris detentus quasi febricitans hominibus indigeas, qui oleo caput tuum perfundant? Sed magis tamen ad sobrios orationem direxerimus. Vos ergo sobrios oro, ne hac turpissima insania vnquam capiamini, & vt eos qui capiuntur diligenter sanare curetis. Nolite pati peiores bestijs homines fieri. Nihil ...m vltra quam opus est illæ deli...ant: isti autem mediocritatis ter...s excedentes, irrationabiliores ...ur. Quanto enim ...est? Quanto canis præstantior? Omnes certe animantes quæ rationis expertes sunt, cum bibunt aut comedunt, vltra quam satis est, etiam si mille homines cōgerent, numquam accipiunt. Peiores igitur irrationabilibus vos estis, qui inebriamini, non apud vos mentis compotes solum, verum et apud vos iudices. Inde namque manifestum est, canibus atque asinis vestro vos iudicio peiores esse, quia nullum brutorum comedere aut bibere cogitur. Et si quis huius rei caussam quæreret, nemo respondere dubitaret: ne comedendi atque bibendi excessus detrimento ei sit. Cum igitur minus tibi quam bestię proui deas, nonne hoc facto tuo minoris te putare videris, qui te continue in dolores impellas?

Non enim in die tantum quo inebriaris, verum etiam in crastinum ebrietatis reliquiæ conseruantur. Et quemadmodum cum febris cessauerit, debilitas tamen inde facta diutius remanet: sic ebrietate trāsacta, effectus tamen eius tam corpus quam animam diutius exagitat. Iacet enim plerumque tanquam tempestate conquassata nauis, miserum corpus hominis; anima vero detestabili cupiditate conuulsa, vehementer incenditur, & cum iam ab ebrietate resipuerit, tunc multomagis quam prius insanit. Et quemadmodum quamuis tranquillitas ex tempestate facta sit, detrimentum tamen quod inde factum est non restituitur, si semel iactura facta sit: sic omniū pene bonorum iacturā ebrij patiuntur. Modestiam enim, pudorem, prudentiam, patientiam, humilitatem, omnia hæc quasi naufragium passi, iniquitatis pelago submerserunt. Verum multo peiora sunt, quæ sequuntur ebrietatem, quam aliquam tempestatem. Nam ibi quidem iactura leuior est, hic ve-

ro grauiorem naujculam reddit; quæ virtutum diuitijs eiectis arenam atque aquam fætidam ex ebrietate sibi coaceruauit, quibus nauicula cum vectoribus atque gubernatore simul demergitur. Quę ne accidant, oro fugiamus hanc tempestatem. Reuoluamus semper nobiscũ, neminem ebriosum in cælorum regnum peruenturum. Apostolus enim inquit, *nolite errare, nec ebriosi nec conuitiosi regnum Dei hæreditabunt* Nescio an audistis illud quod de Alexandro ex Morauiæ ducibus Dubrauius & alij prodiderunt. Erat hic egregius bibulus, ita vt in certamen Bacchicum multos prouocaret. Cum itaque mortem Viennę obijsset, visus est post mortem a Sacerdote quodam, in cella vinaria inter dolia deambulare, corpore ambusto. Quid hoc, nisi quod indignus fuit cælo, dignus vero inferno? Vbi Deus habens in manu sua, calicem vini męri amari plenum m ixto felle & pice, inclinat ex hoc in hoc, & inebriat omnes peccatore terræ.

4. nemo temulētus regnum cælorum possidebit: Alexander Dux Morauiæ in cellario visus.

dist. 3. exemp. 9. Anonymus vidit infernũ apertum.

Sed longe terribilius est, quod narrat auctor Speculi exemplorum de quodã ebrietati dedito, cui aperta sunt Regna Plutonea. Rem, ipsius verbis narrabo.

Noui etiam, *inquit*, Fratrem quendam, positum in monasterio nobili, quamuis vita ignobili, sed ipsum ignobiliter viuentem. Nam seruiebat multum ebrietati, & cæteris vitæ remissioris illecebris. & cum esset in arte fabrili singularis, magis in officina sua die noctuq; residere, quam ad psallendum atque orandũ in Ecclesia, audiendumq. cum Fratribus verbum vitæ concurrere consueuerat. Corripiebatur quidem sedule, a Fratribus ac maioribus loci, atque ad castigatiorem vitam cõuerti admonebatur. & quamuis eos audire noluisset, tolerabatur tamen ab eis lõganimiter, ob necessitatem operum ipsius exteriorum. Sed tamen accidit illi, quod solebat dicere quidam, quia qui non vult Ecclesiæ ianuam sponte humiliatus ingredi, necesse habet ianuam inferni, non sponte damnatus introducі. Percussus enim languore, atque ad extrema deductus, vocauit Fratres; & multum mœrens, ac damnato similis cæpit narrare, quia videret inferos apertos, & Sathanam demersum in profundo inferi. Caipham quoq;, cum cæteris qui occiderunt Dominum, iuxta eum flammis vltricibus traditum. *In quorum vicino*, inquit, *heu misero mihi, locum conspicuo æternæ damnationis esse præparatum.* Audientes hæc Fratres, cęperunt diligenter exhortari, vt vel tunc positus adhuc in corpore, pœnitentiam ageret. Respondit ille desperans; *Non est tempus mihi mutandi vitam, cum ipse viderim, iudicium meum iã esse completum*. Talia dicens, sine viatico salutis obijt: & corpus eius in extremis est locis monasterij humatum. Neque aliqui pro eo missas facere, vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumebant O quam grandi distantia, diuisit Deus lucem & tenebras. Beatus Protomartyr Stephanus, a sobrietate passurus mortem pro veritate, vidit cęlos apertos, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem a dextris Dei: & vbi erat futurus post mortem, ibi oculos mentis ante mortem, quo lętior occumberet, misit. At contra, ebrius ille, tenebrosę mentis & actionis homo, imminente morte vidit tartara. Vidit damnationem Diaboli & sequacium eius. Vidit etiam suum infelix inter tales carcerem; quo miserabilius ipse desperata salute periret, sed viuentibus qui hęc cognouissent, causam salutis sua perditione relinqueret. Regnum itaque cę-

lorum vinolenti non possidebunt. Sed quid regnũ cælorum dixi, cum nec præsentibus quidem iucunde vtantur? Noctem in die habentes, & in luce tenebris obuoluti, & apertis oculis nihil recte vidẽtes? Et ad hoc grauissimum illud supplicium luunt, cum mærore sine ratione conficiantur, insaniant, ægrotent, ac omnibus ridiculi sint? Quæ igitur venia ipsis dabitur, qui sponte, tantis se malis obruunt? Nulla profecto.

Alexandri Magni factũ ad parsimoniã vita. Lego de Alexãdro Magno, quod is Persarum rege Dario deuicto, ipsius regia potitus esset, columnã in qua sumptuosissima regum prandia cęnęque, ad commessationem & ebrietatem vsque producendam inscripta erant, conuelli iusserit, dicens. *Non vtile, sed magnopere damnosum esse & regibus & priuatis, tam intemperanter, & cœnare, & bibere discere, vnde rationis lumen extinguitur.* Quid hic dicent, hi quos lux orientalis, bibones deprehendit stertentes?

Fugiamus itaque hunc morbum, si tam præsenti vita quam futura frui volumus. Quod nobis gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi concedat, cui gloria in secula Amen.

FERIA III. POST DOminicam in Passione.

Me autem mundus odit, quia testimonium perhibeo de illo &c. Ioan. 7. cap.

CONCIO.

In Osores proximorum.



TIMON Atheniensis, qui ab odio hominum Misanthropos Græcis vocabatur, habuit caniam quam prætexeret suo affectui. Interrogatus enim cur omnes odiret homines? *Merito*, inquit, *improbos odi; reliquos autem, quia improbos non oderunt.* At Iudæi nulla de causa oderant Christũ. Namq; non tantum ille improbos, verum etiam improborum nõ osores, detestabatur. Tamen inquit, *me mundus odio habet, licet testimonium perhibeo de illo, quod mala sint opera ipsius.* Meram malitiam insinuat, ex qua maligni osores sunt proborum. In hos aliquid die hodierna pronuncio. *Max. ser. 6. Timon osor aliorum.*

Odiũ inter probos & improbos naturale. Egithum & Achanthidem inter, tantum odium ex natura comperitur, vt nec cruor quidem, cum interfecti fuerint, cõmisceri possit. quod si forte miscueris, rursus fluit & separatur. Non minus est odium, inter improbos & probos, vt illi nec mortuis quidem vix coniacere, aut vel in minimo puluere vix communicare sustineant. Annibal Pœnus adhuc puer, vel in seipso istud ostendit. Quum enim quæreretur, de finiendo odio inter Romam & Carthaginem, pedem infixit solo, ac puluere suscitato, *tum demum finem belli fore* dixit, *quum altera pars in habitum pulueris esset redacta.* Agnoscas ingenium exitio Romanę genus *Plutarc. in Annibalis vita.*

tis natum; & ex illo conijcias animū osorum, in perniciem proborū accinctum; vt vix ipso puluere, ex tot funeribus excitato extinguatur, semel odium conceptum. Vt enim
Similia. inter animantium genera, & si nulla
1. appareat dissidij ratio, sunt tamen quædam occulta odia, velut araneæ & serpenti, formicis ac soricibus, trochilo & aquilæ, alijsque compluribus, quæ nec ipsa morte finiuntur;
2.
ita & inter probos ac improbos. Et
3. vt vitis refugit brassicam, quercus abhorret ab olea, multo magis autē a nuce juglande (nam vitis cum omnia complectatur solam brassicam declinat: quercus si in scrobem oleæ depangatur emoritur; eadem & iuxta nucem juglandē inarescit) sic improborum cum probis naturale dissidium est, vt nullo pacto,
4. queant coalescere concordia. & quemadmodum coniungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum serenitate, pugna cum pace, cum fæcunditate sterilitas, cum tranquillitate tēpestas, propter connaturale odium inter sua respectiue: ita neque improbi probos diligere vnquam possunt, propter idem dissidium Quod tanto magis acre, si antea aliquo inter se vinclo necessitudinis, aut sanguinis, aut amicitiæ coniuncti.
5. Qui ex balneo calent, vehementius frigescunt, & aqua frigidior esse solet, quę prius caluit: ita vehementius sese oderunt, qui prius fuerunt
6. amici. Vt carboni semel exusto suffocatoque si denuo flagret, maior est vis: ita semel sopitum odium, si
7. rursum excandescat, acrius est. Ex hydromele fit acerrimum acetum; & ex amicitia, frequenter Vatiniana odia. Quę tanto nocentiora sunt,
8. quanto occultiora. Flamma alacris est, fumus vero intolerabilis: & sępe tolerabilior est manifesta inimicitia, quam occultum odium. Insalubre admodum cœlum est, quod pluuiam promittit, sed non demittit: & pestilentior est animus, qui tēpestatem suam altius recōdit, quam qui funditus excludit. Ideo ex vero Seneca affirmauit, *Peiora sunt tecta odia, quam aperta; & agnosci amat, qui odium ostendit.* Abel non occisus fuisset, si Caim ex professo hostis, odium suū ante exprompsisset. Amasa non turpiter cæcidisset, si Abner propalam illi dissidium indicasset. Saluator quoq; occulto proditori suo, tam citam & adeo crudelem mortem debet. *Tecta odia nocētiora.*

Quamobrem Dauidi id permaxime erat molestum, quod ab inspectato odio premeretur. Dicebat nāque. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, & si is qui oderat me, magna locutus fuisset contra me, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo vnanimis, dux meus & notus meus? qui simul mecum dulces capiebas cibos? in domo Dei ambulauimus cum consensu?* *præsertim si post amicitias.*

O veniat mors super tales, & descendant in infernum viuentes.

Iulio quoq; Cæsari Dictatori id peracerbū fuit, qđ à Marco Bruto, a quo sibi nihil metuebat, & à quo sibi oīa bona pollicebatur, gladio stricto peteretur. Cum enim constanti animo & vultu, Sicas aliorum coniuratorum excepisset, ad hunc, fertur, exclamasse; *Et tu fili?* ac confestim se toga, vt moreretur inuoluisse Indigne habens quod ab eo quem nihil vere batur, extremo vulnere conficeretur. Profecto nocentiora sunt occulta odia, quam exerta. Tamen & ista sunt nocentissima quoque. Bene dixit ille. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Sed cuius. Aio, duplicem esse homicidam, omnem quicunque est proximi osor. Nimirum sui & proximi. *Iulij ad Brutum dictum.*

Osor

runt, his vero scitis quanta amaritudo? quanta confusio? Dauidem oderat Saul rex; sed illum vel nihil cogitantem ad solium euchebat, se vero & stirpem suam deprimebat.

ita Deo dispēsante. Pulchrum est quod Origenes disseruit. Sapientia & dispensatione Diuina, *inquit*, ita omnia sunt in hoc mundo disposita, vt nihil prorsus otiosum sit apud Deum, etiam

hom. 14. in nume. si illud malum sit. Quod etsi non fecit, tamen ab alijs inuentam malitiam cum prohibere possit non prohibet, sed cum ipsis a quibus habetur, vtitur ea ad necessarias causas. Propter ipsos enim in quibus est malitia, claros & probatos efficit eos, qui ad virtutum gloriam tendunt. Si enim perimeretur malitia, non esset vtique qui contrairet virtutibus. Virtus autem non habens contrarium non clarescceret; nec splendidior & examinatior fieret. Non probata vero, nec examinata virtus, nec virtus est. Tolle malitiam fratrum Ioseph, tolle odium, tolle illud omne parricidale commentum quo sæuierunt in fratrem, vsque quo venderent eum. Si hæc auferas, vide quantam simul peremeris dispensationem Dej. Simul enim abscindes cuncta, illa quæ apud Aegiptum per Ioseph pro salute omnium gesta

qui per malitiā alienam illustrat. sunt. Non fuisset interpres somnij Pharaonis, si per inuidiam & odium fratrum non fuisset distractus & venisset in Aegyptum. Nemo intellexisset quæ reuelauerat Deus regi, nemo frumenta congregasset in Aegypto, nemo necessitatem famis sapienti prouisione curasset; perijsset Aegyptus, perijssent & finitimæ regiones fame. jnterijsset etiam & ipse Israel & semen eius quærens panem, si Aegyptum non fuisset ingressum, nec egressi fuissent ex ea filij Israel cum mirabilibus Domini. Nec inde tot admiranda a Domino innotuissent. Tolle Balac regis pessimi malitiam, qua maledici desiderat Israelem, pariter abstuleris erga filios Israel dispensationem Dei & prouidentię eius fauorem. Tolle malitiam Iudæ, proditionemque eius, abstuleris pariter crucem Christi & passionem eius. & si non sit crux, non exuuntur principatus & potestates, nec triumphantur in ligno crucis. Si non fuisset mors Christi, vtique nec resurrectio fuisset, nec extitisset aliquis primogenitus ex mortuis. Quod si non fuisset primogenitus ex mortuis, nec spes nobis resurrectionis fuisset. Tolle malitiam diaboli & eius ministrorum, simul vtique ablatum nobis erit certamen, nec expectabitur corona victoriæ ei, qui legitime certauerit. Si enim non haberemus qui aduersus nos obsisterent, agones non essent, nec victoribus munera ponerentur, nec regnum cęlorum vincentibus pararetur, neque momentaneum hoc & leue tribulationis nostræ, supra modum pondus gloriæ operaretur nobis in futuro, nec aliquis nostrum pro tribulationum patientia speraret immensam gloriam futurorum. Nam his vasis malis Deus vtitur, ad opus bonum. *Jn magna enim* huius mundi *domo, non sunt tantummodo vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia; & alia quidem ad honorem, alia autem ad contumeliam. vtraque tamen necessaria.* Sicut (verbi gratia) in Vrbibus magnis, si qui indigniores sunt & abstrusæ vitæ ac deterrimæ homines, vltima quæque opera & laboriosa condemnātur operari, & tamen huiusmodi opera sunt necessaria ciuitati. verbi causa. aut fornacibus succendendis ignes deseruiunt, vt tu vel commoditate vel delicijs perfruaris: aut cuniculos purgant, aut alia huiusmodi gerunt vt

tibi

tibi in vrbe fiat & salubris & delectabilis habitatio, & illi quidem vel agunt ex proposito, vel ex merito patiuntur: opus tamē ipsorum proficit ad vtilitatem eorum, quibus quæ bona & vtilia sunt parantur: ita & hic. Deus quidem malitiam non fecit, inuentam tamen ex propositi intentione eorum qui declinarunt a via recta, auferre penitus noluit: prouidens hoc, quod etiam si illi esset inutilis qui ea vtebatur, faceret tamen vtilem ijs, aduersum quos exercebatur. Et ideo refugere quidem omnibus modis debemus, ne vnquam odij malitia inueniatur in nobis: in alijs vero vincere eam, non perimere studendum est: quia & illi in quibus est malitia, aliquid necessarij operis conferunt vniuersitati. Maximum vero fastigium gloriæ operantur in ijs quos diuexant, sibi autem extremum malorum adducunt qui diuexant.

Mystologia Lagana. Hispal. p.5.c.17. Insulam jndicam Zebut cognomine qui viderunt, admirandam in ea auiculam Laganam dicunt, cui a natura inditum est, vt cum magnitudine sit cornicis, insidietur ori cete, a quo deglutitur integra ac viuens. Admissa in aluum arrodit cor, vnde cæte perimitur. De Ichneumone quoque quadrupede retulit Plinius, quod os crocodili hians ingreditur, in ipsaque vsque viscera decurrens penetrat. Vbi ea corrodens etiam bestiam exanimat, deinde rosa aluo securus egreditur. *& Ichneumonis. lib.8.c.5. 25.*

Sunt qui jchneumonis nomine, etiam hydram Serpentem vocent, quæ etiam crocodili hiantis aluum ingreditur, viscera arrodit, & exilit. Non absimiliter contingit illis, qui sibi pauperes & probos, ex odio gluriendos & conculcandos destinarunt. Nam ex isto obsonio remorsum cōscientię, plerumqe vero mortem temporaneam, plurium vero seueram & horrendam consciscunt. Narrabo aliquos veteres in exemplum.

Supplicia osorum.

1. Aureliani præses Antiochus, inter tormenta Agapiti martyris, subito de tribunali decidens, se totum in interioribus ardere clamauit & expirauit.

2. Diocletianus jmperio sponte se abdicauit, quod Christianos aliquando persecutus fuisset. Priuatus vixit Nicomediæ, vbi morbo miserabili extinctus est. Primum hydrope intumuit; quo dirupto, lente emarcuit, ita vt lingua eius blasphemia vermibus corrumperetur, & grauissimo fætore astantes offenderet. Postremo canis more latrans, scelestam euomuit animam.

3. Diocletiani collega in jmperio fuit Maximinus, & qui & ipse conscientia excarnificante, quod piorū odio flagrans, multos eorum occidisset, abdicato imperio priuatus vixit Mediolani. Tandem diuinę vindictæ locum dedit. Corripuit enim eum, *inquit Eusebius*, supplicium Diuinitus, initio ex ipsa illius carne sumpto, & progressu vsque ad animam facto. Etenim subito illi accidit in medijs corporis arcanis suppuratio, deinde in imis illorum vlcus fistulosum & ex his vis quędam mali interiora viscera depascens, & indicibilis multitudo vermium ebulliens, & lethiferum fætorem exhalans: toto alioqui corporis tumore, ex abundantia cibi, etiam ante morbum in nimiam pinguedinem mutato: quę tum suppurata, intolerabile & horrendissimum appropinquantibus spectaculum prębuit. Itaque medicorū alij, incredibilem fętorem ferre non valentes, occidebantur: alij quia toto corpore tumefacto, nulla supererat spes salutis, ideoque medēdo nihil efficere poterāt, crudeliter interimebātur & ipsi.

Quidam

Quidam tunc ex ijs quem iugulari præceperat Maximinus, fertur inspiratus a Deo, Imperatori hæc obiecisse: *Cur Imperator erras, & quod Deus infert, ab hominibus putas posse reuocari? Nec humanus est iste morbus, nec a medicis curatur. Sed recordare, quanta in seruos Dei egeris, quamque in religionem Diuinam impius & prophanus extiteris, & intelliges, vnde tibi sint poscenda remedia. Nam & ego quidem mori cum cæteris potero, tu tamen a medicis non curaberis, propter odium in pios.*

Commemorarem alios, nisi palam esset, Deum esse justum vindicem, seuere in eos animaduertentem qui aliquem odio habuerunt gratis. Vos olores cauetote, ne in manus ipsius quandoque incidatis.

Quam rectius foret, si benignitatis viscera proximo ostenderent illi homines, qui perpetuo odio deflagrant? Homo enim,

——— Neque est de tigride natus
Nec rigidos silices, solidumve in pectore ferrum
Aut adamanta gerit, nec lac bibit ille leænæ.

vt odium vel concipere, vel concepto æstuare possit iure, contra comparem. presertim si tantopere dilectio proximi Deo placet, vt fere nulla alia virtutum. Nam id esse voluit secundum præceptum, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Proinde, sicut *nemo propriam carnem odio habuit*, nemo etiam, quæ potior est, animam. & Christus pariauit amorem proximi amori proprio: scio quia is maximopere placuit Deo dilectionis auctori, qui proximo bene cupit. in hoc enim totam legem impleuit. Dabo exemplum insigne, quo Deus testatus est, dilectionem proximi sibi esse longe gratissimam, odium vero summopere inuisum. Prius de odio, idque ipsis verbis auctoris.

Venerabilis Iacobus de Vitriaco, crucem Hierosolymitanam, propter salutē multorum in Brabantia prædicauit. Contigit autem, vt pacificaturus quadam die mortales inimicitias, iniuriam passum primo suppliciter, deinde prostratus pedibus eius, semel iterum & tertio cum multitudine populi præsente rogaret. Nec proficeret, in renitentem. Conuersus autem ad populum, dixit palam omnibus: *Contestor vos, quia qui spernit nos, spernit & eum qui mittit nos. Rogate ergo Dominum, vt tale signum ostendat in obstinatum hominem, quo cunctis præsentibus pateat, eum contra se in retentione odij, contra proximum hoc egisse.* Nec mora. Cum sanctus vir orationem expleuit, miser ille euersis oculis semel, & iterum, & tertio in terram corruit, oreque cruorem spumans & saniem, horroris maximum spectaculum omnibus præbuit. Tūc flente populo, reuerendus vir fusa prece, prostratum erexit. Qui postea integerrime sospitatus, vbi ante se inimicum vidit, quasi aliquem amicissimum rogaturus, cum lachrymis ad laudem Christi, ora omnium commouit. *Specul. exēp. dist. 5. c. 44.*

Alterum istud accipite. Nobilis quidam in Germaniæ partibus, fratrem vterinum a quodam plebeio occisum perdiderat. Fugiente vero de patria occisore, contigit vt nobilis, ille cum multo comitatu peregre profectus, impræmeditate soli inagro occurreret occisori. qui mox extracto gladio, vbi in terram inimicū expetijt, ita pstratus occisor clamauit: *Miserere mei nobilissime vir, p illū qui tui misertus & omniū, mundum istum morte redemit.* Repente itaque nobilis animus in lachrymas resolutus, illam quam extenderat manum retraxit. Sed cum

hoc ignauiæ adscriberetur a suis, & iterum manum extenderet in prostratum, iterato reo, ob remissionem peccatorum eius veniam petente, secundo manum deposuit. Tertioque increpatus a suis, cum mortem certius intentaret, & miser ille ob ebiationem angustiæ, quam omnis caro esset in extremo judicio perpessura, veniam precaretur, respondit nobilis genere, sed nobilior mente: *Et ego, inquit, tibi prorsus mortem fratris indulgeo*. Nec mora, eadem die, vt audiret missam, Ecclesiam ingressus, vbi coram imagine crucifixi ter tio flexit genua, visus est a quodam sancto viro, ad singulas genuflexiones illius nobilis, Crucifixus caput suum inclinare. Seorsum ergo vir Sāctus ille, qui solus hoc viderat, nobilem euocauit, & quis esset, atque in quo magis Diuinam misericordiam mereretur, interrogauit. Tum ille. *Peccator*, inquit, *sum. & seculo deditus. in nullo autem prorsus, nisi hodie forsan veniam promerui*. Factumque retulit & ab eo visam inclinationem Crucifixi intellexit. qui eo annuebat indicio, summopere sibi placere, illum, qui deposito odio condonat proximo suo delicta, quēadmodum & ille nobis gratuito donauit. Beati illi super quorum rancorem Sol non occidit. Sed vos etiam beati qui propter iustitiæ & probitatis culturam patimini. Ne estote in tribulationibus deficientes: sed aspicientes in Iesum quem mundus priorem odio habuit, & ab odio illustrauit, ab eo coronam certantibus propositam expectate, quam imponet fulgentem in secula. Amen.

FERIA IIII. POST DOminicam Passionis.

Oues meæ vocem meam audiunt.

CONCIO.

De Christi ouium attributis.



ARCHANGELVS Gabriel dum Virgini Deiparæ, Diuinum nunciaret conceptum, Filium qui nasceretur, regnaturum pronūciauit in domo Iacob. *Dabit*, inquit, *illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis*. Cur non in domo Abrahami, neque in regno Salomonis aut Saulis, sed Iacobi & Dauidis regnaturus esset? dum causam requirerem: hæc occurrit, quod & Iacob Pastor ouium, & Dauid similiter opilio. nam *de post fœtantes accepit eum*, designabant Iesum fore Pastorem seu Regem ouium. scilicet illorum qui velut oues vocē eius audirent. vt ipse satis clare aperit in Euangelio hodierno. De his ouium Christi attributis, mihi dissertatio. *Regnum Christi mundi.*

Prima quæ Deo oblata fuit hostia, erat de ouibus. Nam sic lego in Genesi. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*. Rabbinorum doctiores, exsinuant ista gregis primogenita, quod fuerint ex genere ouillo, agni & oues. Innocentem Deum ab innocentiæ mysta, non alia quam innocentiæ, patientiæ, beneficentiæ, & varijcolor variarum virtutū index victima decebar. Talibus enim sacrificijs promeretur ille, qui talibus imperare delectatur. Age hęc attributa ouilla, *Prima oblatio ex ouibus. Gen. 4.*

la, in nostram rem explicemus. Namque *nos populus eius, & oues pascuæ ipsius*, adeo nobis hoc nomen impressũ & moribus expressum debere esse sciamus, vt nisi simus mysticæ oues, frustra dexteram misericordis Iesu expectauerimus in illo die, quando oues ab hędis discriminabit. Adeo vero hoc nomen, *Ouis* veteres Christiani Christo dilectum esse existimabant, vt & vocationis & professionis Christianæ thesserã *Ouem Christo impositam*, & in templis pingerent, & in calicibus sacratis effigiarent, & nomenclaturam sibi inde vsurparent. Procedant, *inquit Tertullianus*, ipsę picturę calicum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius perditę, quę a Domino requisita, & humeris eius reuecta, vtrumne Christiano, an Ethnico peccatori de restitutione conliniet. Pręscribimus enim ex naturę disciplina, ex lege auris et linguę, ex mẽtis sanitate, ea semper respondere quę prouocantur, id est ad ea quę prouocant. Nam ouis est Christianus, & grex Domini Ecclesię populus, & pastor bonus Christus, & ideo Christianus non intelligendus, qui non ouis, & qui ab Ecclesię grege errauerit. Quattuor vt audistis attributa ouilia, propria esse dixit Christianis. 1. a natura disciplinam 2. ab aure 3. a lingua 4. & a mentis sanitate. Singula discutiãtur & ad ouilem Christianam conuertio.

lib. de pudicit.

Ouium Christi propria. 1. Innocentia.

Disciplina naturę ouillę est innocentia. etenim natura nullam dedit eis armaturam, non cornua ad feriendum, non dentes ad laniandum, non vngues ad discerpendum, non venenã ad inficiendum, non denique aliquid tale ad nocendum. Tales vult esse Christus suos. *Mitto, inquit, vos sicut oues in medio luporum.* Vt ouis nec sibi, nec alijs nocet, volo vt & vos pariter nec vobis per flagitiũ, nec alijs per iniuriam incommodaueritis.

2. Tolerantia iniuriæ.

Altera naturę ouillę disciplina est, patientia seu tolerantia malorum. Dum enim cęditur innocuum pecus, non reponit sed sustinet iniuriã. Tales etiam vult esse suos Christus, qui ipse coram tondente se obmutuit; & dum occideretur, tanquam agnus innocens, non aperuit os suũ; vt alij exemplo suo nulli cedant iniurię, nec reputent quam multa in illos conijciantur tela, cum sint nulli eorum penetrabiles. Quemadmodum quorundam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est, nec secari adamas, aut cędi vel teri potest sed incurrentia vltro retundit: quemadmodum quędã non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa, rigorem suum habitumque conseruant: quemadmodum proiecti in altum scopuli mare frangunt, nec ipsi vlla sęuitię vestigia tot verberati seculis ostentant; ita & nostrum omnium animus vt solidus sit, & id roboris colligat, vt tam tutus sit ab iniuria, quam illa quã retuli.

Quid igitur? Non erit aliquis, qui nobis facere tentet iniuriam? Tentabit, sed oportet ne ad nos perueniat. Maiore enim interuallo a cõtactu inferiorum oportet vt abducatur Christianus, quam vt vlla vis noxia, vsque ad illum vires suas pertendat. Etiam cum potentes, & imperio editi, & consensu seruientium validi, nocere ei tentent; tam citra illum omnes eorum impetus deficient, quam quæ neruo tormentisve in altum exprimuntur; cum extra visum exilierunt, citra tamen cœlum flectuntur. Quid tu putas, cũ stolidus ille rex multitudine telorum diem obscurasset, vllã sagittam in Solem incidisse? Aut demissis in profundum catenis Neptunum po-

tuisse cõtingi? Vt cælestia manus humanas effugiunt, & ab his qui templa diruunt, aut simulachra conflant nihil Diuinitati nocetur: ita quicquid fit, in Christianum, proterue, petulanter, superbe frustra tentatur, si ille meminerit naturę suæ, quæ est Tolerantia mali.

Conus exemplum in Dauide. Producam ipsum Regem Dauidem, ex hoc ouili Pastorem in exemplar tollerantiæ. Multis beneficijs obstrinxerat sibi Saulem regem, & vniuersos suos gentiles, propterea quod eos ab imanni Goliatho, & à dira morte liberasset. Porro ille ad beneficia cęcus, conatus est Innocẽtem è medio tollere, etiam tum dum insaniam furentis regis cythara demulceret. Nam sustulit hastam suam Saul, dixitque; *in figam in Dauid* & fixit in parietem: nec semel sed aliquoties. Poterat Dauid statim sese vindicasse: attamen tolerauit. In super post hæc omnia perseuerauit curare regis negotia, proque salute illius suscipere pericula, & in acie stare in prælijs omnibus, suoque periculo seruare trucidatorem suum, denique nec dictis, nec factis contristauit immitem illam bestiam, sed concessit in omnibus, dictoque audiens fuit. Cumque victoriæ pręmium non accepisset, sed omnium illorum periculorum mercede fraudatus esset, ne verbo quidem expostulauit vnquam: non cum militibus, non cum rege: propterea quod hæc non gessisset, spe mercedis, cęlitus expectans retributionem. Nec id solũ est admiratione dignum, non quod poposcit præmium, sed quod etiam quum daretur, ob eximiam animi modestiam recusauit. Siquidem posteaquã Saul omnia molitus, & omnibus tentatis non potuit illum interficere, conficit illi dolum per nuptias, ac nouam quandam dotis ac dotalium formam commentus est. *Non enim cupit* inquit *rex dotem, sed vt centum præputia exoluat ab hostibus regis.* Quod sentit, tale est. Occide, *inquit*, mihi centum viros, atque hoc erit mihi dotis vice. Hæc autem dicebat, cupiens illum obtentu coniugij hostibus obijcere. Nihilosecius Dauid pro sua modestia res æstimans, recusauit coniugiũ, non deterritus periculis aut hostium metu, sed quod existimaret sese indignum affinitate regia. Postquam autem hostes deuicerat, ac filiam regis acceperat, rursus psallebat Dauid, *& quærebat Saul cum lancea percutere. Dauid autem declinauit, & hasta impacta est parieti.*

ex Chrysost. hom. de Dauid & Saule. Quem non ista vel exactæ Philosophiæ gnarum, animique moderatissimi ad iracundiam excitassent? Quem non perpulissent ad occidendum, præter meritum insidias molientem? Dauid tamen nihil cogitauit, sed potius habuit fugere, & a patrijs ædibus exulare, atque erronem profugum agere, & in calamitate sibi parare victum, quam regi cædis occasione dare. Nec. n. eo spectabat vt se vlcisceretur, sed vt illum ab eo malo liberaret. Porro neque hoc melior factus est Saul, sed persequebatur, vbique quærens Dauidem, qui non solum nihil lęserat, sed quum esset lęsus, tum maxima, tum innumerabilia pro iniurijs bona rependerat. Sed tamen imprudens Saul, post incidit in retia Dauidis. Erat enim ibi spelunca, & ingressus est Saul, vt naturam exoneraret. Dauid autem cum comitibus suis, in interiore parte speluncæ sedebat. Dixeruntque viri Dauid ad illum: Ecce dies de quo dixit Dominus: *Tradam inimicum tuum in manus tuas, faciesque illi quod placitum est in oculis tuis.* Et surrexit Dauid, sustulitque laciniam chlamydis Saulis clanculum.

lum. Et post hæc percussit Dauidem cor ipsius, quod abstulisset laciniam chlamydis, dixitque ad viros suos: *Auertat a me Dominus, ne faciam verbum hoc Domino meo Christo Domini, mittamque manum meam in illum, quoniam Christus Domini est.* Vidisti tensa retia, vidisti venatum insidiantem, vidisti venatorē erectum, vidisti omnes adhortantes, vt ensem in hostis pectus immergeret? Nunc mihi specta philosophicam animi moderationem, specta luctā, victoriam, coronam. Nam spelunca illa campus erat, in eo lucta quędam admirabilis dictuque incredibilis facta est. Luctatus est Dauid: pugilem egit iracundia: Saul positus erat certaminis materia: Agenothetes erat Deus. Quin potius, non ipsi modo aduersus seipsum propriamque cupiditatem erat prælium, sed & aduersus milites qui aderant. Etenim si voluisset animo moderari, ac parcere ei qui læserat, cōsentaneum erat vt & illos metueret, ne forte ipsum contrucidarent in spelunca, tanquam qui illorum salutem prodidisset, exitiumque attulisset, ac publicum ipsorum hostem seruasset. Probabile enim est, illorum vnumquemque dolore percitum, hæc cum suo animo dicturos fuisse: Errones exulesque facti sumus, domo, patria, cæterisque omnibus excussi, omniumque difficultatum consortes sumus. & tu eum qui horum malorum tibi autor est, in manus tuas traditum cogitas dimittere, ne nobis vnquam liceat ab his calamitatibus respirare, ac proditis amicis hostem seruare studes? Hæc vt verbis non sint proloquuti, tamen animo secum voluebant, quum ista, tum istis etiam alia maiora. Verum nihil horum iustus ille apud se perpendebāt, vnum illud spectans, quomodo possit redimiri tolerantiæ coronam, ac nouam quandam admirabilemque philosophiam philosophari. & iræ quidem tempestas coorta vrgebat, vt iniuriam reponeret; at non processit vlterius, neque fecit naufragium, eo quod gubernatrix illico sentiens periculum, videlicet pia ratio, tempestatem vertit in tranquillitatem. Percussit enim, *inquit*, Dauidem cor ipsius, ac velut equum subsilientem ac ferocientem, reuocauit iram. Huiusmodi sunt sanctorū animę; priusq̄ cōcidant, resurgūt: priusquam ad peccatum perueniant, refrenantur: eo quod sobriæ sint, semperque vigilent. Et tamen quantulum erat interuallum inter corpus, & chlamydem? Attamen ille seipsum cohibuit, ne progredetur vlterius. Quin & ob hoc insuper grauiter seipsum cōdemnauit. dixit enim ad viros, *nequaq̄ hoc mihi sit a Domino. propitius*, inquit, *sit mihi, si hoc voluissem. Ne concedat, vnquam vt hoc faciam Deus. neque permittat me ad tantum deuenire scelus.*

Videamus nūc triumphos, ex eius certamine cum iracundia. Surgente Saul de spelunca, egressus est post illum & Dauid liberis deinceps oculis cælum intuens, ac tum temporis magis exultans, quam quum Goliath deiecisset, ac Barbari caput amputasset. Siquidem hæc illa magnificentior erat victoria, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius trophæum. Siquidem illic & funda, & lapidibus, & acie habebat opus. hic vero cuncta prudentia ratione q̄ peracta sunt, ac sine armis contigit victoria, atque incruentum trophæum erectum est. Itaque rediјt, non Barbari illius caput gestans, sed animi commotionem mortificatam, sed iram eneruatam. Neque hæc spolia reposuit Hierosolymæ, sed in cęlo inque superna illa ciuitate. Nunc hauquaquam in

choris

choris obuiam veniebant fœminæ excipientes illum cum laudibus:sed Angelus è sublimi applaudebat, admirans eius philosophiam & humanitatem. Abcedit enim hoste vulneribus innumeris fauciato, vt qui tametsi seruasset Saulem, tamen illum reuera hostem Diabolum multis plagis contriuit. Quemadmodum enim nobis per iracundiam inter nos pugnantibus, & mutuo conflictu collisis, ille tum gaudet, tum floret; ita nobis pacem habentibus & concordibus, iræque moderantibus, rursus contrahitur ac deijcitur nimirum hostis pacis, inimicus concordię, & inuidiæ pater Egressus est itaque Dauid, dextram illam totius orbis pretio parem, simul cum capite coronatam gestans. Quemadmodum enim sæpenumero fit, vt imperatores eorum qui egregie sese in pugilum certamine, aut in reliquis certandi generibus gesserunt, ante caput coronēt dextram: ita & Deus manum illam coronauit, quæ gladium purum potuerit educere, ensemque Deo nullo sanguine contaminatum ostendere, denique aduersus tantam iracundiæ procellam resistere. Non egressus est gestās Saulis diadema, sed egressus est gestans coronam justitiæ. Non egressus est gestans regis purpuream vestem, sed egressus est amictus humanitate, naturam humanam superante, quod pallium est quauis stola magnificentius. Egressus est è spelunca, tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egressi sunt è camino ardente. Nam quemadmodum illos, non exussit ignis; ita hic non conflagrauit iræ incendio. Et illis quidem foris nihil ignis in quo versabantur nocuit: hic vero cum intus haberet carbones accensos, quum foris videret diabolum caminum incendentem, idque varijs modis: ab inimici conspectu, ab exhortatione militum, a facilitate perficiendi cædem, a solitudine eorum qui Sauli possent auxiliari, a prę teritorum memoria, a futurorum periculorum metu: siquidem hæc & sarmentis, & stipulis, ac cæteris omnibus quibus caminus ille Babylonius incendebatur, lucidiorem excitabant flammam: tamen non exarsit Dauid neque vllo pacto sic fuit affectus; quemadmodum contentaneū erat hominem affici tot modis irritatum, sed exiuit purus; & intuitus inimici faciem, hinc maxime sumpsit animum fortem ac philosophicum. Cum enim videret illum manere immobilem, neque quicquam posse facere, cum animo locutus est Dauid. Vbi nunc ille furor? vbi illa malitia? vbi tot technæ? tot insidiæ? Abierunt omnia illa; perieruntque exigui somni occursu. Iacet alligatus rex, quum nihil horum nos neque cogitauerimus, neque perfecerimus. Conspiciebat illum dormientem, ac de morte omnibus communi philosophabatur. Somnus enim nihil aliud est, quam mors temporaria, & vnius diei interitus.

Haud intēpestiuum fuerit, si quis hic meminerit etiam Danielis. Quemadmodum enim ille ascendit è lacu superatis feris leonibus, itidem hic è specu prodijt, alijs bestijs longe sæuioribus deuictis. Nam sicut iusto illi leones hinc atque hinc assidebant, ita hunc omnibus leonibus efferatiores ac validiores animi motus inualerūt; hinc indignatio de præteritis, hinc futurorum metus. verum horū vtrumque hic coercuit, ora bestijs occludens; ipsis factis docens, nihil esse tutius, quam parcere inimico. cōtra nihil peius, periculosius que, quam velle vlcisci, ac sumere vindictam. Alter igitur, qui statuerat inuadere, nudus & inermis, omnibusque destitu-

stitutus auxilijs, non aliter quã captiuus in manus inimici traditus iacebat: hic vero dum cedit, & vbiq; iræ dat locum, dumque ne iuste quidem vult manus inijcere, sine machinis, sine armis, sine equitatu, sine militibus, hostem in potestatẽ suam recepit, & quod est omnium maximum, Deum erga se beneuolentiorem reddidit. Non enim eò beatum prædico sanctum illum, quod hostẽ viderit sub pedibus suis iacentem, sed quod illi in manus dato pepercerit. quorum alterum fuit opus Diuinæ potentiæ alterum Dauidicæ philosophiæ. Hæc igitur & tu tecum expende; vbi ceperis eũ qui te læsit multo esse maius ac lucrosius parcere, quam perdere. Siquidem is qui occidit inimicum, frequenter & ipse sese condemnauit, dum prauam gerit conscientiam, dumque in singulos dies, & singulas horas a peccato illo vrgente affligitur. at qui pepercit, breuique tempore vicit affectus suos, post exultat ac delectatur optima spe fultus, ac tolerantiæ brabia expectans a Deo. Quod si quando in aliquod acerbum inciderit, multa cum fiducia præmiũ a Deo reposcet: quemadmodum & hic magna miraque in hostem exhibitæ reuerentię, præmia deinceps Diuinitus recepit.

humilit. mater tolerantia. *Baro. an. 991.*

Dicet enim Deo audacter: Iussisti; *Mihi vindictam*? concessi, inque te solum iniuriam meam reieci. Promisisti: *& ego retribuam*: ego feci quod jussisti, tu etiã imple quod promisisti. & vel ignosce illis qui nesciunt quid faciunt, vel tribulationem & dolorem quo discrucior agnosce. Huius tolerantiæ mater est Humilitas, quæ etiã in oue eminet. Qui enim se nihili in conspectu omnium ęstimat, dicens, *Factus sum tanquam vas perditum*, is facile audit, *improperia multorum commorantium in circuitu.* nec tantum audit, sed etiam se pedibus eorum aduoluit, cum suo maximo fructu. Dabo vnum in exemplum. Osualdus erat Vuigorniensis in Anglia Episcopus, multa passus. Eius tolerantiæ & humilitatis talis exitus memoratur.

Osualdi exitus.

Die quadam egressus cum suis ex oratorio, sub diuo astãs, in cælum intentissime oculorum aciem defixit, Christum quem suspirabat pio corde & ore attentus orans, nec vero oculos, vt fit, cito retraxit: sed proinde, ac si noui quidpiam cum summa animi voluptate contemplaretur, diutissime in eo quod intuebatur defixus fuit. Rogatus quid nam videret, ita respondit. *Contemplor id quo tendo, idque crastino die, etiam me tacente res ipsa vobis declarabit. Aeterna namq; beatitudo, cuius causa hucusq; laboraui, nunc instat. nec ante crastinũ occumbet, priusquã me in eam Dominus meus, sicut est pollicitus introducat.* Reuersusque in oratoriũ, conuocatis fratribus, hortatur eos vt impendant ipsi ministerium sacrę vnctionis, cum viatico Dominici corporis. Nocte sequenti oblitus aduersæ valetudinis suæ in templum se cõtulit, officium Diuinum expleuit, & reliqua noctis spatia in Dei laudibus expendit. Mane solito more, linteo præcinctus, pedes pauperum lauit, atque extergens, quindecim Psalmis, quos ille in ministerio dicere solebat persolutis, *Gloria patri & filio*, subiunxit. cumque pauperes, pro more gratias agentes, surgerent, ille autem diceret, *Spiritui Sancto*, ante illorum pedes, in manus Christi spiritum reddidit. Cum autem corpus eius ad Ecclesiam quam construxerat, deferretur, niuea columba e cęlo descendens, expansis alis, lento volatu illud protegere visa est. Ignea quo-

que

que sphæra cœlitus lapsa super feretrum apparuit, depositoque ante altare sacro corpore, visio illa, tanquam locum sepulturę eius designantra, ad australem Ecclesię plagam iuxta altare diuertit, sicquè ab oculis intuentium subducta est. voluit Deus demonstrare, quanto in pretio apud illum est humilitas, atque eius filia, in aduersis constantia. Sed ad alia ouium attributa reuertor.

3. *beneficentia.* Ouilis naturę disciplina, est beneficentia. Lanam enim & lac, & carnes, & in summa totam se quanta est, impendit pro vsibus humanis. Docet eandem beneficentiam omnes illos, qui volunt accenseri peculio Christi. Talis fuit Iob, qui de velleribus ouium lateri nudo pauperum benedicebat, & butyro lauabat pedes suos. scilicet misericordię pinguedinem patiebatur diffluere in eos, qui suppedanei ipsius fuerāt indigentes. Ouis, *inquit S. Martinus*, docet nos seruare Dominicum præceptum; quia cum habeat duas tunicas, scilicet corium & lanam, vnam retinet sibi, & aliam dat non habenti, scilicet lanam homini.

Quasdam gentes scio vsu obtinuisse, vt mortui ori trientem imponerent, tanquam naulum. Simplices. Melius faciunt Christiani, qui beneficia facta pauperibus, in manu sua recondunt. Qui enim tales Cōdi, *in die mala liberabit eos Dominus.* Infelix Hatto Maguntinus Archiepiscopus, qui tempore famis pauperibus non misertus, eos mori fame sustinuit. Meruit vt a muribus deuoraretur; qui fugientem etiam in Rhenum sequuti miraculose lacerarunt.

4. *Obedientia.* Ouis ab aure commendatur, quia voci Pastoris sui obaudiat. Tales etiam suos vult esse bonus pastor Iesus. *Oues meæ*, inquit, *vocem meam audiunt, Oues meæ me cognoscunt, & sequuntur me, nec sequuntur alienū.* Laudatus apud Christū ille de quo pronunciat, *In auditu auris obediuit mihi.*

Ouis a lingua balante dilaudatur, quod non raucum, nec stridulum sonet? Odio habet Deus voces vlularum & lamiarum, & draconum, leonum & canum, *euge euge deuorabimus eum*, dicentium. Vult suos audire, innocentiam quam in corde gestant, voce etiam mansuetudinis exprimentes. *Benedicite*, inquit, *& nolite maledicere. benedicite persequentibus vos.* 5. *Benedicentia.*

Oues aspectui gratæ, propter varietatem colorum ex tali dispositio ne sanitatis? & spirituales oues nouo Iacobo Pastori longe gratissimæ, propter varietatem virtutum. Age este oues, si vultis ad dexteram Iesu collocari. Sed moneo este oues non errantes. Nam quæ errat, ad internecionem suam errat. 6. *Varietas virtutū.*

Et inprimis aduertite, quia dum lapis perditur, illo loci manet, quo decidit; ouis quam pastor perdidit, quo longius progreditur, eo longius abit. sic anima quæ a supremo Pastore deuia, quo longius abit, eo magis per peccata in præceps vadit. Ouis dum aberrat, non habet quo se defendat a lupo, vrso & leone, sed fit præda rapacitati: sic anima quæ a tutela Dei discedit, fit esca illius qui quærit quem deuoret. Ouis perdita nescit viam ad caulas salutares: sic & anima quæ semel aberrauit, magis quam in Dædaleum Labyrinthum illabens, nescit qua possit redire ad viam salutis. Sed oportet vt clamet. Erraui sicut ouis quæ periit, quære seruum tuum Domine. Vos ne errones estote, si a dextris pastoris vestri collocari desideratis in secula. Amen.

FERIA

FERIA V. POST DOMINICAM Passionis.

Lachrymis cæpit rigare pedes eius.

CONCIO.

Peccatorum remissio vnde?



Nter cætera Ioanni Euangelistæ ostensa, refert ille se vidisse Angelum quendam amictũ nube, qui alterum in terra, alterum in mari posuerat pedem. Ne forte sit Magni consilij Angelus Iesus, cui lubentia est, in mari amaro pœnitentiæ humanæ abluere pedes? Iste est, non alius. cuius hodie peccatrix lachrymæo mari pedes inundauit, atq; abinde remissionem peccatorum obtinuit. Sed istud amplius inuestigo.

explicat. Apo. 10. *Vidi*, inquit Ioannes, *alium Angelum fortem descendentem de cælo amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt Sol, et pedes eius tanquam columnæ ignis: & habebat in manu sua libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram. & clamauit voce magna, quemadmodum leo rugit.* Istum Angelum dixi esse Iesum. qui Magna & excelsa beneficia, non tantum nũciauit Orbi sed attulit: cum descendens de cælo nubem atram humanitatis nostræ in se suscepit, fuliginemque peccatorum nostrorum assumpsit, in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo. Iste Angelus Magni Consilij, eo quod & humana & Diuina natura in vno supposito deuinctis constat, recte & nube amictus, & iride coronatus, & Solari lumine corruscans apparuit. Nube amicitur vt homo. Sole resplendet vt Deus: iride multicolori miraculorum atque virtutum variarum radiat, vt Deus & homo. Cæterum geminos pedes tanquam columnas igneas demisit; quia & misericordiæ & iustitię opera ad opus salutis humanę accommoda, in eo feruent & flagrant, non secus quam ignis. Ardet, *vt homo conuertatur & viuat*. qui nisi conuertitur, ardet vt pereat homo neque vltra viuat. *Nisi enim conuersi fueritis*, inquit Dauid, *gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit*. Tamen cum ardet ardore vindictę, non sine amoris ardore ardet. *Crura enim illius*, vt sponsa prædicat, *columnæ sunt marmoreę, quæ fundatæ sunt super bases aureas*, auri charitatis & misericordię. quæ etiam in operibus iustitię resplendet, dum citra condignum punit, nec ad vnguem hoc exigit, vel conculcat lutum, quo se homo illinit. Neque enim vult totum suum robur per supplicium innotescere, sed per beneficentiam & liberalitatem, quam etiam in perditos plane ingratos ostendit. Quid non demerebantur illi Babelis structores? Sustinuit tñ in multa patientia multo tẽpore, quousque ad fastigium insaniæ peruenirent. Cum vero ad calcem extremam impegissent, habuit satis linguas confundere, inq; varia clymata dispergere errones. Quid non demeruerunt Penthapolitani? Tamen inclinabat ad clementiam in ardore meridiano benignitatis, quando colloquebatur cum eo Abraham. Volebat sontibus ignoscere, si vel decem iustos in Quinque vrbibus, qui eius ignes restinguerent reperisset. Cum non inuenirentur, tot quot Abrahã obsides ꝓferebat, noluit ad nihilum deducere falaces, sed habuit satis igni sulphureo exurere viuen-

Christus Angelus testamenti.

amat pedes ignitę iustitia extinguere.

Cant. 5.

tes; sed victuros in secula. Quid non demerebatur Pharao superbus? Tamen placuit Deo, Moysen in signis & prodigiis mittere, qui diuerso genere miraculorum maiestatis reuerentiam apud impium assereret, proteruiam eius frangeret, atque saniorem reduceret mentem. Cum surdo fabulam narrasset, & cæco lumen Diuinitatis ostentasset; hoc suffecit vindici Deo, vt demergeret in profundo, non vero in nihilum verteret contumacem.

In alluuio lacrymarum. Porro hunc ignem gemellum, amat aliquo alluuio vel nutriri, vel extingui. Nutriri ignem misericordiæ, extingui vero ignem justitiæ imbre lacrymarum. Inter miracula ignium recenset Plinius, aliquos esse qui pluuijs accendantur. Sint aut non sint: scio tamen ardorem dexteræ Diuinæ quæ misericordia est, lacrymarum pluuijs maximum in modum accendi. Idem Plinius refert, alios esse ignes subterraneos, qui nullis aquis possint extingui. Sint, vel non sint. Video tamen furorem sinistræ Diuinæ quæ justitia est, vel vna lacrymula expectorali, adusque minimam scintillam restingui. Satis testabatur se esse inflammatum contra populum Israelis, quando dicebat. *Ignis accensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo. Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram atque Serpentium. Foris vastabit eos gladius, & intus pauor iuuenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene. Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. Dissipabo, conculcabo, & absorbebo simul.* Licet itaque pedem sinistrum ignierat in perditionem eorum, tamen valde sibi placebat retineri à Moyse, qui dicebat; *Aut his dimitte, aut me dele de libro vitæ.* Placebat deinde sibi placari; vel vnico suspirio, qd ab imo pectore iaculabantur ad eum. *Ipsi autem* vt refert Psaltes, *exacerbauerunt eũ in consilio suo, & humiliati sunt in iniquitatib. suis. Et vidit cum tribularentur, & audiuit orationem eorum. Et memor fuit testamenti sui, & penituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ, & dedit eos in misericordias, in conspectu omnium qui cæperant eos.* *Deut. 32.* *Ps. 105.*

Cæterum omnibus peccatoribus inclamat per prophetam. *Derelinquat impius viam suam*, inquit, *& vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* In hoc multo, *inquit Fulgentius*, nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, & omnipotentia misericors. Tanta est autem benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo, vt nihil sit, quod nolit, aut non possit relaxare conuerso. Complacet sibi itaque Christus, igneum pedem in mari amaro pænitentiæ peccatoris ponere, & furorem vindiciarum oculo pluuiatili restinguere. *expli. loc.* *Isa. 55.*

Adamantius ex septem in lege sacrificijs pro peccato septem modos remissionis peccatorum obseruabat. Digna mystologia est vt consideretur. Audisti, *inquit*, quanta sint in lege sacrificia pro peccatis: audi nunc quantæ sint remissiones peccatorum. Est ista prima, qua baptizamur in remissionem peccatorum. Secunda remissio est, in passione martyrij. Terria est, quæ pro eleemosyna datur. Dicit enim Saluator: *Veruntamen date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis.* Quarta sit nobis remissio peccatorum *Vel septena oblatione mitigare.* *2. hom. in Leuitic.*
1.
2.
3.
4.

rum

rum, per hoc quod & nos remitti-
mus peccata fratribus nostris. Sic
enim dicit ipse Dominus & Sal-
uator noster, quia *si dimiseritis fra-*
tribus vestris ex corde peccata ipso-
rum, & vobis remittet pater vester
peccata vestra. Quod si non remise-
ritis vestris ex corde, nec vobis remit
tet pater vester. & sicut in oratione
nos dicere docuit. *Remitte nobis de-*
bita nostra, sicut & nos remittimus
5. *debitoribus nostris.* Quinta peccato-
rum remissio est, cum conuertere
quis fecerit peccatorem, ab errore
viæ suæ. Ita enim dicit scriptura Di-
uina. *Quia qui conuerti fecerit pecca-*
torem ab errore viæ suæ, saluat ani-
mam eius a morte, & cooperit multi-
6. *tudinem peccatorum.* Sexta quoque fit
remissio, per abundātiā charitatis,
sicut & ipse Dominus hodie de
Magdalena dicit. *Amen dico tibi, re*
mittuntur ei peccata multa, quoniam
dilexit multum. Et Apostolus dicit.
Quoniam charitas cooperit multitu-
7. *dine peccatorum* Est adhuc septima,
licet dura & laboriosa, per pœniten-
tiam remissio peccatorum cum la-
uat peccator in lachrymis stratum
suum, & fiūt ei lacrymæ suę panes
die ac nocte; & cum non erubescit
Sacerdoti Domini indicare pecca-
tum suum, & quærere medicinam,
Confessio secundum eum qui ait, *Dixi pronun*
auricula- *ciabo aduersum me iniustitiam meam*
ris tēpore *Domino, & tu remisisti impietatem*
Origenis. *cordis mei.* In quo impletur & illud
quod Apostolus dicit. *Si quis autem*
infirmatur, vocet præsbyteros Eccle-
siæ, & imponant ei manus, vnguentes
cum oleo in nomine Domini, & oratio
fidei saluabit infirmū, & si in pecca-
tis fuerit remittētur ei. Et tu ergo cū
1. veneris ad gratiam baptismi, *vitu-*
lum obtulisti: quia in morte Christi
2. baptizaris. Cum vero ad martyrium
duceris, *hircum* obtulisti: quia aucto
rem peccati Diabolum iugulasti.

Cum vero eleemosynam feceris, & 3.
erga indigentes affectum miseri-
cordiæ sollicita pietate dependeris,
altare sacrū *hædis* pinguibus onera
sti. Quod si ex corde remiseris pec 4.
catum fratri tuo & iracundiæ tumo
re deposito; mitem intra te & sim-
plicem recollegeris animum, im-
molasse te *arietem* vel *agnum* in sa-
crificium obtulisse confide. Porro 5.
autem si Diuinis lectionibus instru-
ctus meditādo sicut columba, & in
lege Domini vigilando die ac no-
cte, ab errore suo conuerteris pec-
catorem, & abiecta nequitia ad sim
plicitatem eum columbę reuocaue-
ris, atque adhærendo Sanctis, fece-
ris eum societatem turturis imitari,
par turturum, aut *duos pullos colum-*
barum Domino obtulisti. Quod si il 6.
la quæ spe & fide maior est chari-
tas, abundauerit in corde tuo, ita vt
diligas proximum tuum, nō solum
sicut teipsum, sed sicut ostendit ille
qui dicebat, Maiorem hac charita-
tem nemo habet, quam vt animam
suam ponat quis pro amicis suis, *pa-*
nes similagineos in charitatis *oleo, in-*
bactos, sine vllo fermento malitię &
nequitiæ, in azymis synceritatis &
veritatis te obtulisse cognosce.
Si autem in amaritudine fletus 7.
tui fueris, luctu, lacrymis & lamen-
tatione confectus: Si carnē tuam ma
cerauerís, & ieiunijs ac multa absti-
nētia aridam feceris, & dixeris, quia
sicut frixorium confrixa sunt ossa
mea, tunc sacrificium *similam à sar-*
tagine, vel *à craticula* obtulisse te no
ueris. Et hoc modo inuenirís tu ve-
rius & perfectius secundum Euan-
gelium offerre sacrificia, quæ secun-
dum legem iam offerre non potest
Israel. Sicut etiam perfectiorem as-
sequeris emundationem, quam con
secutus fuerit Iudæus, qui ista offe-
rebat ad emundationem carnis, tu
vero spiritus. Non enim vitulorum

aut aliorum animantium sanguis, sed *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, qui *cor contritum & humiliatum non* modo non *despicit*, sed cum ingenti voluptate aspicit.

Vel in mari amaro madidare.

Viderat Ezechiel, *per viam quæ respiciebat ad Orientem, & ecce aquæ erant redundantes a latere dextro. Cumque*, inquit, *egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua, et mensus est mille cubitos; & traduxit me per aquam vsque ad talos. Rursumque mensus est mille, & traduxit me per aquam vsque ad genua. & mensus est mille, & traduxit me per aquam vsque ad renes. & mensus est mille, torrentem, quem non potui pertransire; quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transuadari.*

Explic. Ezech. 47.

Mysterium est septimi modi remissionis peccatorum, quem Origenes dixit esse in aquis lacrymarum. Deriuetur iste torrens *ab Oriente & a latere dextro*. scilicet ab aspectu ad Dei benignitatem; quod videlicet homo, tam mitem tamque dulcē & beneficum Deum offenderit: & quod non propter inferorum supplicia quæ peccatores manent, sed propter amorem tanti Parentis, dolet sibi peccasse in illum. Proinde nō se dignum aspectu eiusdem; sed tamen ad pedem eius dextrum aspicere, & exinde spem maximam in misericordia illius concipere: quod illa superexaltet judicium, fortiorq; sit dextra clementiæ, quam sinistra justitiæ. jdeoque supplex confiteri & flagitare: *Pater peccaui in cœlum & coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus. Sed tamen pro tua immensa bonitate, fac me sicut vnum ex mercenariis in domo tua*. Qui inquā in via ista Orientali, dum tempus est miserendi, ab hoc latere dexterioris oculi, in dexterum pedem Iesu aliquam guttam lacrymarum impluerit, sit quodcunque sit peccatum, vel a talo veniale, vel a genibus incuruatis Satanæ, mortiferum, vel a renibus, scilicet a traduce originali ex lumbis Prothoparentum; vel quoduis aliud magis enorme, si aliud est magis enorme, in hoc aqueo pœnitentiæ mari abluetur.

Mysteria

Author sermonum ad fratres in heremo, animaduertebat, tres fluctus per quos filij Israel transierunt ad terram promissionis, significare lacrymas pęnitentiæ. Vere *inquit*, tunc peccatores ex Aegypto exeunt vitiorum, mare rubrum transeuntes, dum submerguntur hostes, & vitia suffocantur. Vere cantant Domino gloriose, dum intrantes cęlestem Ierusalem deposita corruptibili veste, sanctis angelis sociantur. Per hoc mare transijt peccatrix Maria, quæ non solum in domo Simonis, sed etiam post aduentum Spiritus sancti ardenter fleuit. Per hoc rubrum tranauit Petrus, quando abnegato Iesu præceptore, egressus foras fleuit amare. Nam compunctio sanitas animarum est, remissio peccatorum est, sacrificium spirituale est, quod Deo summe placet. holocaustum medullatum est cor peccatoris humiliatum, & quotidianis lacrymis rigatum. Compunctio spiritnale est lauacrum. est flagellū Dei, per quod Deus mutatur. est stimulus per quem Deus ad hominem inclinatur. est ligamen per quod Deus fortiter astringitur. Sine hac adultis non valet baptismus, sine ista corpus Domini ad judicium recipitur, sine illa infructuosa est omnis confessio, sine hac omnis satisfactio inanis est. Lacryma mentem purgat, intentionem fæcundat, cōfessionem irrigat, animam sanctificat. Hæc motus illicitos extinguit, paradisum aperit, infernum claudit, mundumq; despicere in cunctis facit. Hæc carnalem

Mare Rubrum hic regl. pœnitentiæ. serm. 11.

nalem cogitationem expellit, peccatorũ morbos sanat, virusq; euomit culparum. Hæc aqua salutaris, per quam omne peccatum abluitur, via, per quã ad paradisum gradimur, & spirituale conductum, per quod de inuio ad viam transitur. Hæc est herba cęlestis illius fullonis, qua vestes seruorũ suorũ deturpatas a sorde quotidie purgat. Hoc est cęleste nitrũ, quod de rore Diuinæ gratiæ confectum, abstergit maculas peccatorum. Hoc est lixiuiũ, quo interioris hominis caput optime abluitur. Hæc vitalis nauicula, quæ per quam naufragus redire potest ad portum salutis. Hæc passionis Christi vicaria, contra peccatum ponens remedium, vt per illam totiens cogatur Christus mori, quotiens labitur homo in abyssum peccatorum. Hæc in summa, summa est remissionis peccatorum.

Mysteria

Sacrificia madida in lege quid.

3. Reg. 16

Obseruo etiam in veteri lege, duplex fuisse genus sacrificiorum. alia sicca, alia madida offerebantur. Inter madida lego illud holocaustum, quod Elias obtulit in monte. quãdo *ædificauit de lapidibus altare in nõie Domini, fecitque aquaductum, quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris, & composuit ligna, diuisitque per membra bouem, & posuit super ligna, & ait. Implete quattuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna. Rursumque dixit: Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo ait; Etiam tertio idipsum facite. Fecerunt tertio. & currebant aquæ circum altare, & fossa aquaductus repleta est.* Postquam vero orasset Elias, *cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque & aquam quæ erat in aquaductu lambens.* Talis hostia mystica placet Deo, quando homo timoris Domini gladio scindit cor suum & non vestimentum, supraque altare Diuinæ voluntatis, diuisum pectus & ab omni sanguinea peccatorum sorde exsuccum imponit, & non semel sed bis & tertio, & per singulas noctes lacrymis irrigat stratum suum. Delabitur enim super istud holocaustoma ignis Diuinus, & omnia in se demutat, Deumque ex homine facit. Holocaustum siccum est opus bonum, *inquit Gregorius*, quod orationis lachrymæ non infundũt. Holocaustum pingue est, quando hoc, quod bene agitur, corde humili etiam per lacrymas irrigatur. quod tanto magis placat Deũ, quanto magis fuerit spirituali imbre impinguatum.

Digna res est consideratione quæ contigit Samsoni. Ligauerant eum Philistęi duobus nouis funibus, & duxerant ad locum maxillæ. Vbi cum spiritus Domini irruisset super eum, sicut solent ad odorem ignis ligna consumi, ita vincula quibus ligatus erat dissipata sunt & soluta. quibus exsolutus, inuenta maxilla seu mandibula asini quæ iacebat, arripiens eam, interfecit in ea mille viros. Cęterum post hanc victoriam cum siti moreretur, ex dente molari maxillæ asini aquis egressis sese refocillauit, & vires recepit. Typus est pęnitentiæ in remissionem peccatorum. per hanc enim soluuntur funes qui, inquit Dauid, *circumplexi sunt me*. In maxilla oratio, in asino humilitas intelligitur, quibus prosternuntur nequitiæ spiritales: quia *humiliãtis se oratio nubes penetrat*. De molari autem maxillæ fluunt aquæ, cum inter orandum, conscientię morsus elicit lacrymas quibus eluuntur peccata, & sitis animę extinguitur. Lacrymę Dauidem adulterum, homicidam, & numerantem ex superbia populos, Deo reconciliauerunt. Lachrymæ scele-

expl. loc. Iud. 15.

Aqua ex dente molari quid

ra

ra Achabi emaculauerunt, Lachrymę non nemini indulgentiam Diuinam promeruerunt, & flammeos pedes iustitię mitigauerunt.

Hodierna peccatrix, non alteri quam lacrymis assignat, quod indulgentiam peccatorum consecuta fuerit a Iesu. Conscientiæ enim stimulis acta, illuc vbi accubuerat Iesus irrupit, accessit retro, & pedes eius lachrymis rigauit, capillis tersit, osculata est, vnguento perfudit: condonantur ei peccata multa, quia dilexit multum. Aduenerat peccatrix, & pęnitudinis humiliatione abijt sancta. Denique dimittitur in pace, quam turbauerat dolor vitę nequioris. In hoc enim mari pœnitentiæ placet Deo ambulare, capita draconum conculcare, & Aethiope nigriores animas inalbare.

Scio, salubre fuisse Ruthę datum a Noemi consilium. Vagabatur extorris, a patria & gentico lare. Misera, duplici afflictata malo, & paupertatis, & contemptus sanguineitatis. *Fac*, inquit Noemi, *quod suadeo. Boozum agnatum obserua, qui fessus a labore cum bene cœnauit, se cubitum dabit sub vesperam feram. Mox accubuo vel geniculans aduolutere eiusque pedes complectens, dicito. Extende pallium tuum super me, quia propinquus noster es.* Fecit, venit, pedibus aduoluta orauit, impetrauit. Imitandum nobis, qui exules sumus filij Euę. Obseruandus noster Booz, qui pedem ignitum feruentis charitatis, volens lubens extendit, tuamque patagium retrahere amat. Quem salutis suę cura habet, accedat, scabellū pedum ipsius adoret, pedes eius complectatur dicens: Licet non ego dignus vocari tuus filius; filius tamen tuus sum, & factus, & emptus, & redemptus. Propinquus noster es. Fac ne transeas puerum tuum. Credite, si tam demisse quam Magdalena vos inclinaueritis delectabitur a tali inclinatione, a tali irroratione, a tali extersione. Dicet quoque. *Remittuntur tibi peccata tua.*

Ruth imitanda.

Quamobrem dilecti, si visus nos incuruauit per concupiscentiam, si guttur per gulam, si auditus per enormitatem verborum, vel spontaneam detractionis audientiam, si lingua claudicauerit in verbo, si olfactus errauerit in odoramento, si tactus fefellit in suauitate, si gressus ad furtum: Si in his vel aliquo istorum te quisquis es inueneris culpabilem, ablue culpam per lacrymam; iuxta quantitatem sordis, admensura lacrymarum copiam: si vis & flāmam Diuini furoris restinguere, & animam depurare contaminatam, & tandem peruenire ab osculo pedum, ad complexum manus dexteræ, quæ animabus instellata, radiat, & felicitat felices in secula. Amen.

FERIA SEXTA POST DOMINICAM Passionis.

CONCIO.

De quarto mysterio SS. Rosarii, Baiulatione Crucis post Damnationem iniustam.



RISTE spectaculum domesticis exhibuit Abraham, quando *ligna holocausti tulit, & imposuit super Isaac filium suum*, atque ad locum Sacrificij, vnus cum vnico, processit. Sed magis lugubre orbis vidit, quando iniqua sententia a Pilato Iudice Iesum ad mortem damnatum, Crucis ignominiosæ gabalo sūmē innocentē, impius Carnifex onustauit. Perge alacer ô orbis Saluator Iesu, ad Golgota, ibi depones iugum humeri nostri.

Gen. 22.

stri. ibi denudabis fundamentum Originationis peccati, vsque ad collum. ibi super aspidem & basiliscum ambulabis; & conculcabis leonem & Draconem; qui tibi Magno Pancratiastæ, in hoc magno ligno insidiatur. De hac bajulatione Crucis, sermo hodiernus.

1. *Lotio manuum.* Antequam Pilatus damnaret Iesum, personam iusti iudicis sumpsit, manusque lauit, quasi innocens esset a sanguine innocentis, quē iniqua snia prægrauabat. Frustra. *Mētita est iniquitas sibi.* Nam primum testabatur, *ego*, inquit, *nullam in eo inuenio causam.* & tamen innocens vult videri, qui nocentibus, tradidit innocentem. Pilate. *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith, maculatus es in iniquitate tua coram Domino.* *Deu. 21.* Oportebat tamen te typum implere, ex Diuini præcepti ante obseruato ritu. Scio Deum ordinasse: quod si aliquando cadauer hominis occisi, a vicinioribus casu inueniretur, deberent venire maiores natu Ciuitatis illius ad interfectum, & lauare manus suas super vitulam quæ in valle percutiebatur, atque dicere: *Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt.* Tu, typo aliqua ex parte te conformas: tamen depone personam quam geris. Nam Iesus nondum est occisus, sed tuo decreto crucifigendus addicitur. Neque casu sed data opera, & a diu deliberato consilio ab impiis quæritur, & a te diuturno tempore tecum meditante, ad mortem condemnatur. Oportebat te o Iesu, nostram impudentiam in Pilato sustinere. Nam & nostri prothoparentes, perizomata consuerant ficulneæ ad tegendum scelus: & multi mortalium post facinora, quærentes excusationes in peccatis dicunt, *Prou. 30.* *Quid feci?* Suntque velut illa famosa, quæ luxurijs inquinata, tergens os suum, fronte obdurata consistens dixit. *Non sum operata malum.* Recte mi Iesu sustinuisti & hoc extremum opprobrium, & cum iniusti iudicis iniquam sententiam audire deberes, illius iniustitiam, taciturnitate tua, pro iustitia susciperes, permitteretque, vt quasi iuste, cum iniuste, damnareris ad mortem, illamque ignominiosam.

2. *Mortis sententia.* Nam si olim sapiens vidit, vidit tunc orbis *sub Sole in loco Iudicij impietatem; & in loco Iustitię, iniquitatem*, *Eccl. 3.* cum prælotus Pilatus, dimisit Barabbam quem Iudæi poscebant, & Iesum tradidit voluntati eorum, vt Crucifigeretur. Sic olim *3. Reg. 21.* Nabothus innocens, ab iniquo consilio damnatus est, ad voluntatem reginæ. vt typū gereret, veri Naboth Verbi Dei coæterni, melioris vineæ hæredis, qui a consilio quoque præiudicato condemnaretur, ad clamores synagogæ. Sic olim Daniel innocens, quasi reus foret tam Diuinæ quam humanę maiestatis, ad clamores satraparum coniectus est ad leones: vt sua imagine præluderet Principi Prophetarum Iesu innocentissimo, quem etiam Diuinæ & humanæ maiestatis quasi temeratorem accusatum, rugientibus præparatis ad escam magis quam leonibus, sęuissimis Iudæis condiceret Pilatus. Vere tunc dicere potuit Iesus, de gente electa. *Facta est hæreditas mea qua si leo in sylua, dedit contra me vocem suam;* quando audiuit ab eis cōtra se toties proclamatum, *Crucifige, crucifige eū.* Nec minus vere potuit proferre de Pilato, *Iob. 36.* *Causa mea quasi impij judicata est. expectaui vt faceret judicium, & ecce iniquitas. & justitiam, & ecce clamor.* cum nullæ adductæ fuerint legitimæ accusationes, nulli legitimi testes, nulla euidentia indicia aut documēta, sed tantū inconditi clamores ferocientis plebis, *Tolle, tolle;*

tolle; crucifige, crucifige eum. Si enim hunc dimittis, non es amicus Cęsaris. Satis iniustum fuit iudicium senum illorum luxuriantium, quo Susannam condemnarant. & illud non magis iustum fuit, quo Iudas Thamar sororem, ipse reus igni adiudicauerat: sed hoc Pilati in Christum, tanto iniquius quanto Christus magis innoxius. qui cum nec seruus, nec fur, ne scelerum affinis, sed ipsa innocentia esset, tamen velut seruus, fur, & capitalis homo traditur ad mortem. Latronum antesignanus Barabbas dimittitur, & Iesus intonsissimus condemnatur. detinetur Agnus, soluitur lupus, latro illæsus abit, vicem latronis Deus ipsa sanctitudo implet: Triumphat optimus impiorum, Piorum autem Princeps gemit sub iniquitatis Tabella, in qua scripsit Pilatus, *Jesum Nazarenum Regem Judæorum crucifigi jubeo.* Causam mortis nullam adiunxit in formula: etenim nullam in eo inuenerat. Erat, quam Caiphas in hodierno Euangelio pronunciauit. *Oportet vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Gratias tibi ingentes agimus Iesu, quod Chirographum decreti, contra nos promulgatum tulisti, inque ligno Crucis affixisti, & sanguine tuo pretioso deleuisti. Oramus per hanc iniquam tuam condemnationem, o juste Iudex vltionis, donum fac remissionis, ante diem rationis. vt cum venerit dies illa fatalis, in qua astabimus ante tribunal tuum dicas nobis quod illi desolatę peccatrici, *Nemo te condemnauit? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo,* sed saluabo.

3. *Crucis baiulatio.* Saluandorum olim in sancta Ciuitate Ierusalem, Deus iusserat frontes insigniri charactere Thau. Ita enim ad virum indutum lineis inquit. *Ezech 9* *Transi per mediam ciuitatem in medio Jerusalem, & signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium, super cunctis abominationibus quæ sunt in medio eius.* Porro ad viros qui sequebantur dixit. *Transite per ciuitatem & percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulum, & virginem, paruulum & mulieres interficite vsque ad internecionem. omnem autem super quem videritis Thau, ne occidatis.*

Plutarc. in probl. Roman. Litera Thau, apud Romanos inter nefastas habebatur. hæc enim famosis furibus ad crucem damnatis inurebatur, vel in dorso præfigebatur, eo quod crucis figuram præferret, vel etiam quod a Tribunis subpingeretur. Nam his curiam intrare non licebat. ante valuas autem positis subsellijs, decreta Patrum in aliquem Capitis arcessitum lata, attentissima cura examinabant, vt si qua ex eis improbassent, rata esse nō sinerent: quæ vero censuissent, ijs T. literam subscripsissent, quā postea carnifices inurerent ex se damnatis.

Hoc atro T. nos omnes ex lumbis Adami enati, statim in ipsa Conceptione fuimus, & quotquot sint, & nascentur sunt, & nascentur signati. *Statutum est enim omnibus hominibus semel mori:* mori autem morte perpetua. Ideo voluit Saluator noster Iesus eodem Thau insigniri, vt his qui ex ipso renascentur, sublato mortis æternæ decreto, Thau non amplius piaculare, sed salutare signum esset; postquam illud in se suscepisset. Ideo saluandos ex Hebræis jussit eo thesserari, vt indicaret, nihil nobis amplius esse a Diuinis vindicijs metuendum, si modo frontem & mentem hac figura intriuerimus, quam Christus in suis lacertis portauit. Parauerūt itaque filij Adami, lignum absconditum Iesu, in quo postmodum a facie

cie irati judicis protegerentur.

Eleuauit sæuus Aman Mardochęo nouo Crucem, jubilęi numero prę altam quinquaginta cubitorum: erexerunt Israelitæ stipitem excelsum, in quo Serpens serpentis antiqui conculcator appenderetur: supra dorsum eius fabricauerant peccatores, Arcam Saluationis, & scalā Ascensionis supernæ, cui ille lubens & volens humeros supposuit: vt esset verus *Issachar* merces & præmium, & pretium redemptionis, vere *asinus fortis, qui supposuit humerū suum ad portandum, factusque est tributis seruiens*. Fecit sibi rex nouus Salomon ferertum de lignis Libani, quo nudus, clauis confixus distentisque brachijs velut in catasta ferretur, sibi ad confusionem, nobis autē ad consolationem. Nobis siquidem decreta erat baiulatio Crucis: nostrisque humeris assignatus erat liber T. in quo lamentationes & væ perditis inaratæ, eminebant.

Gen. 49.

Audio quidem Iobum optantem, *Quis*, inquit, *mihi tribuat auditorem, & desiderium meum audiat Omnipotens, & librum scribat ipse qui iudicat; vt in humero meo portem illum, & circundem illum quasi coronam mihi, per singulos gradus meos pronunciabo illum et quasi Principi offeram illum*. Miser ex abundantia spiritus orabat, neque vires suas vsquequaq; expendebat. Orabat vt ipse judex scriberet in illum T. librum? Ad quid? *Vt portem*, ait, *illum in humeris meis* Quid fiat? Ad respondendum? ad satisfaciendum? ad tolerandum? Vana sine viribus caro. Vt aliquis Deo requirenti respondeat pro delictis, nullus est, immo ne ipse Iobus se sufficere posse testatur cum inquit. *Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest, cur ita facis? Deus enim est, cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant Orbem. Quantus ergo ego sum, ait, vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiam si habuero quippiam justum, nō respondebo, sed meum judicem deprecabor*. *Si enim* inquit, *lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea*.

explicat. Iob. 31.

Iob. 9.

Deinde vt aliquis purus homo, calculis libri istius a Deo conscripti satisfaciat, nemo est. Imo ne ipse Iobus se posse expungere aliquid testatur, cum dicit. *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem me ostendero, prauum me comprobabit*.

Porro ad tolerandum hoc Tau, ne Atlas quidem par est. Librauit hoc pondus demeritę Crucis ipse ille Iobus, & iam lapsus sub onere clamauit. *Nunquid fortitudo lapidum fortitudo mea? Nunquid caro mea ęnea? Si flagellat? occidat semel, & non de pęnis innocentum rideat*. Itaque nec respondere, nec æs alienum soluere, neque pænas Thau nefasti luere aut sustinere potuit vllus: & si nonnemo cum Iobo, portare hunc librum ligneum deposcebat. Oportebat ipsum qui pugillo continet orbem, iugum istud super filios Adam positum subire, Crucem sibi velut coronam adaptare, & Principatum suum super humeros deferre.

Procedit itaque nouus *Adam*, ligno de medio Paradisi inditus & insertus. Procedit nouus *Isaac*, fasce lignorum holocausti oneratus. Procedit nouus *Iacob*, domo paterna extorris, baculo ferali diuitatus. Procedit nouus *Israel*, scala Angelorum & hominum ad cęlos vsque pertingente prægrauatus. *Allegoria.*

Procedit nouus *Moyses* tenēs virgam, qua nos per mare sanguinis sui

traductos, in terram felicitatis supremę introducat. Procedit nouus *Aaron* sceptro florente, & fructus immortalitatis germinante honoratus, vt nobis ex floribus vernantibus coronam decoris pertexat, & edulio suauissimo esurientes reficiat. Procedit nouus *Elizeus* cum ligno, vt securim, hoc est genus humanum vere ferreum, ex profundo abyssi extrahat. Procedit nouus *Eliacim*, cui super humeros Deus imposuit clauem domus Dauid, quę vinctis in inferno patribus infernum aperiat, prędestinatis eundem claudat, & Cæli ianuas patefaciat. Educit nouus *Abel* a Fratribus parricidis, vt in agro occidatur. Extruditur nouus *Nabot* filius familias, ab impijs homicidis, vt ab illis trucidetur. Eijcitur vineæ electæ *hæres*, a nefastis cultoribus, vt ab eis intercidat. Descendit *homo* Deus ab Ierusalem, vt incidat in latrones, qui configant spoliatum. Expellitur *hircus* emissarius in desertum; vt nostra omnium delicta portet extra vrbem. *Quorum animalium inferebatur sanguis, pro peccato in Sancta per Pontificē, horum corpora cremabantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est,* vt ait Paulus Apostolus. Ecce *Agnū* Dei videtis, qui tollit peccata mundi. Ecce *hædum*, oblationem Principis generis nostri, qui peccauit ab initio mundi, manibus totius mundi peccatorum onustatum. Ecce *ceruum* desiderantem ad fontes aquarum, quæ ex eius corpore emanarunt. Euge. *Specie tua & pulchritudine tua*, hac videlicet cui non est species neque decor, specie illa & venustate Diuinitatis occultata fretus, *intende, prospere procede,* prospere *& regna*. Regnabis a ligno Deus, cum dispassis manibus aereas potestates debellabis: cumque virga directionis Regni tui, hostes tuos dispalabis Virgam virtutis tuę emittes ex Sion, dominaberis in medio inimicorum tuorum, conquassabis capita in terra multorum. Cum virgam humeri nostri, & sceptrum exactoris crudelis confringes, atque superabis, sicut in die Madian: & cum virga tua quasi versa in colubrum, Dracones Aegyptios deuorabit.

4. Reg. 6. Isai. 22. Ps. 44.

Dilecti. Cum ego cerno Iesum meum sub cruce lapsantem, nō tā ligneo, quā peccatorū nostrorū pondere grauatum esse scio. Crux quanquam magnitudine sua corpus premebat baiulantis, leuicula tamen videbatur ei qui tribus digitis sustinet vniuersa, ad sarcinam delictorum Orbis. Olympus, Caucasus, Athos, Imaus cū tot montium iugis, non possunt deprimere vnam animam innocentem, quam tamen vnico peccato factam nocentem, nec paradisus, nec cælum, neque terra sustinere valet. Vix elocutus est Angelus *ascendam*; & cælum sub eo diuisum, mersit illum in profundum. Vix pomum attigit Adam: & statim a paradiso cadit. Sub core Dathan & Abyron, terra ipsa dehiscens non tulit ambientes. Cogita si Iesus non multum grauabatur, quando vniuersam Adami sobolem, in ligno reconditam fatali, gestaret? Idcirco licet ipse ex Diuinitatis benigna promptitudine, testaretur, *qui portamini*, inquit, *a meo vtero. vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos portabo. Ego feci, & ego feram: & portabo & saluabo.* tamen ex infirmitate humanitatis, sub cruce gemebat, *Seruire*, inquit, *me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborē in iniquitatibus tuis.* Dicito nunc tibi, quisquis es, qui per risum operaris scelus, *Leue est.* Si dicis.

Isai. 46.

cis? Miser es & iam mortuus, qui pondus peccati non sentis. Sensit Dauid, qui ait, *& sicut onus graue grauatæ sunt super me*. Sensit Iesus qui clamauit, *Laboraui sustinens.* Et Moysi quidem intolerandum visum est, 600. millia populi infrenis regere in deserto. quid si contigisset illi, peccata eorundem portare? Non sexcenta neque mille millena millia, sed quotquot nati sunt ab Adamo, & quotquot nascentur, adusque cõsummationem seculi homines in peccatis, eorum omnium scelera tulit Iesus: neque sub his cespitauit, qui sub cruce palpitauit.

Agnosco mi Iesu, te meum Baiulum, me in tuis humeris portantem. Grates supremas proinde, fortitudini & bonitati tuæ debeo, quod in hoc fasce languores nostros ipse tulisti, & dolores nostros portasti. Si jubes? ego quoque dorsum meum suppono. & vel te in cruce ferenda juuo, vel mihi meam a te impositam patienter fero.

4. *Simon Cyrenaus.* *Iudic.* 10 Primum sane Iesus non optat, sed exigit secundum. Lego Abimelechũ ascendentem in montem Selmon, arrepta securi præcidisse arboris ramum, impositoque humeris, dicentem ad socios; *Quodcunque me videritis facere, cito facite*. igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur Ducem. Fere simile est quod Christus jubet. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. & vbi sum ego, illic & minister meus erit*. Tulit pro parte sua Iob, qui librum illum. T. in humeris, coronæ instar ambiebat. Tulit Simon Cyrenęus, quem angariauerunt ministri. Tulit & omnis fidelis, quicunque vestigia Christi intrinit. Narrabo quomodo ligneam tulit Heraclius Imperator, quam Iesus non eum primo passus est portare, quam prius in animo Crucem spiritualem, per sui abnegationem detulisset.

Redierat victor ex Perside Heraclius, receperatque crucem a Cosroe Persarum rege a se subacto, perpetuæ pacis pignus, in qua redemptor humani generis pependerat. Quumque iam Hierosolymæ propior accessisset, seu ipse per se, seu ab alijs admonitus, frequẽtissima pompa inferre illam in vrbem parabat. Regio fastu pompaque plena omnia erant: ipseque Heraclius veste Imperatoria amictus, crucem in collum sumptam, (quemadmodum de redemptore Christo memoriæ proditum est,) ad vrbis portam peruenit, lætis omnibus acclamantibus, mox in Caluariæ cliuum ascensurus, crucemque suo in loco positurus. Euenit ergo, vt in vestigio consistẽs, pedem nusquam mouere posset. quod cum sæpe tentasset, nihilque omnino proficeret, admonitus a Patriarcha fertur, vt mutata rerum omni facie, tenuique toga sumpta, nudisque etiam pedibus, gestaria se crucem meminisset eius Saluatoris, qui nudus pro nostra omnium salute cruci affixus esset. Quod accipiens Imperator, recteque sese a Patriarcha monitum ferens, statim nudis pedibus & semitrita lacerna indutus, crucem facillimo negotio tulit, inque veteri loco reposuit. Amat Deus baiulos suæ crucis sed qui in humilitate, mansuetudine, patientia, per viam crucis arduam enituntur. Quamobrem & nos, si cupimus esse illic, vbi Christus a ligno regnauit, nostram quilibet crucem deferamus, perque hanc regiam a Christo calcatam contendamus.

Hannibalis commentum est non inscitum. is vt per altissimum flumen traduceret elephantos, iussit ferocissimum eorum sub aure vul-

necari, & auctorem vulneris flumen tranare. Elephas dolore ad vlciscendam adductus amnem tranauit, & reliquis idem audendi dedit exemplum. Imitandum & nobis istud ex animantibus exemplum. Graue olim erat tollere crucem suam, portare, & sanguini suo innare. At postea quam Iesus noster, tulit, portauit, hacque intoleranda trabe onustus, per Oceanum sanguinis suis tranauit: quomodo potest esse amplius graue?

Iucundum fuerat Magni Alexandri militibus, præeuntem per confragosos, & niuibus impeditos auios montes subsequi, & palla sumpta viam sibi præparare. Quomodo molestum nobis erit, Christum per cliuum Golgothæ tendentem, onustos cruce propria comitari?

Finio si narrabo, quod viator quidam recepit a rustico sene. Compendium itineris ille sibi monstrari petebat. Rusticus duas semitas ostendebat, ***alteram longiorem, sed breuiorem: alteram breuiorem quidem, sed longiorem esse*** dictitans. Viator stultitiam senis irridebat, donec homonymiam dicto subesse cognouit: & breuitatem partim ad itineris difficultatem, partim ad temporis quantitatem referri audiuit. Vsurpo ad hanc viam Christi scabrosam. Breuior est, licet esse videatur longior. Nam leue hoc & momentaneum patientię iter, ad magnum pondus gloriæ ducit, quę perennat in æternum. Amen.

SABBATHO IN VIGILIA Palmarum.

Cum audissent, quia Iesus venit Ierosolimam acceperunt ramos. Ioan. 12. cap.

CONCIO.

De ardentissimo desiderio, quo Christus ad passionem properabat.



POTERANT Sanctissimi patres suspirare, aduentum Messyæ orantes. ***Emitte Agnũ Domine Dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion.*** Sed non minus cupiebat exilire Agnus ipse, qui tollit peccata mũdi, ad currendam sibi præstitutam viam. Quamobrem a pascuis illis æternis, vellere mortalitatis nostræ indutus descendens, & vadens Ierosolimam cum Apostolis, testatur se maximo desiderio inflammatum esse, ad faciendum Phase. idest transitum ad passionem acerbam. De hoc Christi desiderio, mea hodierna dissertatio.

De Christi passione loquens olim Isaias, pronunciauit duo quasi contraria de Agno Messya. *Oblatus est*, inquit, ***quia ipse voluit, & non aperuit os suum. & Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.*** Pugnare ad inuicem videntur, ***voluit*** & ***ducetur***. Si oblatus est quia ipse voluit, quomodo tanquam Agnus illubens ducetur vel trahetur? Videntur hæc inuicem pugnare, sed non pugnant. Nam & voluit, & ductus est ad victimam. Voluit vt Deus, ductus est vt homo, humanã propassionem voluntarie admittens. Melius ista perspiciemus, si illa de Christo Pauli verba discutiemus *explicat. Isai. 53*

tiemus, quæ dixit. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est æqualem se Deo esse, sed semetipsum exinaniuit formã serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem.*

explicat. Philip. 2.

In Christo duplex forma.

Duplicem formam assignãs Paulus Christo, duplicem in eo vno naturam insinuat. In forma Dei, Deũ ipsum æqualem Deo, filium Dei, in forma serui, humanitatem nostram, consubstantialem nobis. Si homo tantummodo Christus *ita expendebat Tertullianus*, in Imagine Dei, non *in forma Dei*, relatus fuisset. Hominẽ enim scimus ad imaginem, non ad formam: nec in forma Dei, factum. Quis ergo est iste, qui *in forma Dei* fuit? Angelus? Sed nec in Angelis formam Dei legimus. Nisi quoniam hic præcipuus, atque generosus præ omnibus Dei filius Verbum Dei, imitator omnium paternorum operum, dum & ipse operatur, sicut pater eius, forma est Dei Patris. Et merito in forma pronunciatus est Dei dum & ipse super omnia, & omnibus rõnibus Diuinam obtinens potestatem, & Deus est exemplo patris: hoc ipsum tamen a patre proprio consecutus, vt omnium & Deus esset, & Dominus esset; & Deus ad formam Dei patris ex ipso genitus atque prolatus. Hic itaque in forma Dei, nunquam arbitratus est esse rapinam quandam Diuinitatem, vt, æquaret se patri, quinimo omni ipsius imperio & voluntati obediens, etiam vt formam serui susciperet contentus fuit. Hoc est hominem illum fieri, & substantiam carnis & corporis, quam ex paternorum & secundum hominem delictorum seruitute venientem nascendo suscepit. Quo tempore se etiam exinaniuit, dum humanam conditionis fragilitatem suscipere non recusauit. Quoniam si homo tantummodo natus fuisset, per hoc exinanitus non esset. Homo enim nascens augetur, non exinanitur. Nam cum incipit esse quod cum nõ esset, habere non potuit esse. Itaque non exinanitur, sed potius augetur atque dilatatur. At si Christus exinanitur in eo quod nascitur, formam serui accipiendo, quo modo homo tantummodo est? De quo verius dictum fuisset, locupletatum illum esse tunc quum nasceretur, non exinanitum. Nisi quoniam Authoritas Dei verbi, ad hominem suscipiendum interim conquiescens, nec se suis viribus exercens, deijcit se ad tempus atque deponit, dum hominem fert quem suscepit. Exinaniuit se, dum ad iniurias cõtumeliasq; descendit, dum audit infanda, experitur indigna. Hunc enim exinanitum Iesum Dei & Mariæ filium, Deum & hominem verum, & in veteri testamento legimus esse repromissum, & in nouo testamento animaduertimus exhibitum, omnium Sacramentorum vmbras & figuras de præsentia corporatæ veritatis implentem. Hunc Abrahæ filium hunc Dauid, hunc non minus & vetera prædicta & Euangelica gesta testantur.

a Prophetis prenũciata.

Hunc ipsa Genesis, quũ dicit, *Tibi dabo & semini tuo.* Hunc quando luctatum ostendit hominem cum Iacob. Hunc quando dicit, *Non deficiet Princeps de Iuda, neq; dux de femoribus eius, donec veniat is cui repromissum est, & ipse erit expectatio Gentium.* Hunc Moyses quum dicit, *Prouide alium quem mittas.* Hũc idem quando testatur, *Propheten vobis*, dicendo, *suscitabit Deus ex fratribus vestris, eum quasi me audite.* Hunc quando dicit; *Videbitis vitã vestram pendentem nocte ac die, & non*

non credetis ei. Hunc Esaias, *Prodiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*. Hunc eundem quando dicit. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*. Hunc quando sanitates ab eo futuras collocat dicẽs, *Tunc aperientur o... cæcorum, & aures surdorum audient. tunc saliet claudus vt ceruus, & diserta erit lingua mutorum*. Hunc quando patientiæ virtutes exprimit dicens; *Non audietur in plateis vox eius, arundinem quassatam non conteret, & linum fumigans non extinguet*. Hũc quando eius Euangelia describit. *Et disponam vobis testamentum æternum, sancta David fidelia*. Hunc quando Gentes in ipsum credituras Prophetat, *Ecce posui eum in Principem, & præcipientem Gentibus. Gentes quæ te non nouerunt inuocabunt te, & populi qui te nesciunt ad te confugient*. Hunc eundem quando ad passionem eius exclamat dicens, *Sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum in humilitate*. Hunc quando flagrorum eius ictus plagasq; describit, *Liuore eius nos sanati sumus*. Aut humilitatem, *& vidimus eum, & non erat ei species, neque honor, homo in plaga & sciens ferre infirmitatem*. Aut quod populus non erat crediturus; *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem*. Aut quod resurrecturus a mortuis; *& erit in illa die radix Iesse, & qui surget imperare gentibus, in eum gentes sperabunt, & erit requies eius honor*. Aut cum tẽpus resurrectionis, *Quasi diluculo paratum inueniemus e um*. Aut quod sessurus ad dexteram patris, *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Aut quum possessor omnium collocatur; *Postula a me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Aut quod judex omnium ostenditur, *Deus judicium tuũ regi da, & justitiam tuam filio regis*. In his omnibus testimonijs euidens est, Christum gemina forma fuisse præditum. Forma nimirum Dei & forma hominis assumpti. cum qua omne id, quod ad perfectionem naturæ infirmæ testandam spectabat, citra morbos & peccata, voluit accipere, & pro libertate arbitrij sui, humanas omnes imbecillitates ostendere. Algebat quando volebat; esuriebat, sitiebat, dormiebat, quando volebat; flebat, fatigabatur ex itinere, sedebat, quiescebat, vbi & quando & quantum volebat. infremebat spiritu, gemebat, suspirabat, angebatur; dicebat, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*: Orabat, *Pater si vis transfer a me calicem istum*. quãdo, & quantum volebat. Nam id declarandæ veritatis carnis assumptæ addecebat, ne aliquis calumniaretur, non fuisse congeneum nobis Verbũ caro factum. Quamobrem propassiones erãt voluntatis voluntariæ exercitę, juxta quas illud quicquid assumpserat animalis, videbatur exhorrere, detrectare, & refugere, qđ erat in passione amaritudinis. Tractus est igitur & adductus tanquam Agnus, inquantum nihil a se humani alienum esse demõstrabat; sed idem exultauit vt gigas ad currendam viam. Tractus est in forma serui, quæ nonnihil intremebat, Nam *spiritus*, inquit, *promptus est. caro autem infirma*. Voluntarie autem ipse *semetipsum humiliauit, factus obediens vsque ad mortem*. Ductus est *tanquam Ouis ad occisionem*, ex eo quod de nostro assumpsit: sed *oblatus est quia ipse voluit*, ex eo quod de cœlo descendit.

Tanto enim fœdere, *inquit Leo*, vtramque naturam conseruit, vt nec inferio-

inferiorẽ consumeret glorificatio, nec superiorẽ minueret assumptio. Assumpta itaq; natura infirmitatis nostræ, ad suam gloriosam Dei hypostasin, non absorpsit eius infirmitates, sed tolerauit; permisitque quando voluit hæc humanæ fragilitatis ministeria, saluti nostræ accommoda, spontaneo motu exilire Ductus itaque est ad mortem, & *oblatus est quia ipse voluit*.

Iacob typus Christi. Huius voluntariæ profectionis Christi ad mortem, typum habeo in Iacobo Patriarcha, quem, supplicante Rebecca Isaac vocauerat, & iusserat ei vt pergeret in Mesopotamiam Syriæ, & inde sibi vxorem acciperet. Vocatus ille à Patre decrepito, non inquisiuit in voluntatem parentis. sed relictis penatibus & matre dilecta, obediens exiuit, nesciens quo iret. Adurebat calor? tolerabat. Fame & siti necabatur? sustinebat. Hospitio excludebatur? Amabat, sub dio, capiti lapidem supponere inque eo totam noctem ducere insomnem. Paupertate premebatur? vnico baculo contentus tranabat Iordanem, magno animo magna sibi in domo Patruelis promittens, sponsas, filios, ancillas, & substantiam multam nimis. Sic & Iesus vocatus à Patre, ad perterrandam terram miseriæ, voluntarie processit; quinimo & gaudio magno exultauit, pergere in montem, ad cognatam gentem. Futurum sibi pollicens matrimonium geminæ sponsæ, Rachelis & Lyæ, Ecclesiæ videlicet ex gentibus & Iudæis congregatæ: quam acquisiuit sibi sanguine suo, vt exhiberet gloriosam, sine ruga & sine macula, nec habentem aliquid huiusmodi: nec tantum hoc spirituale coniugium, sed & possessionem totius orbis, ex hac peregrinatione sanguinea. Quamobrem non tam expedito pede accelerat stadiodromus ad metam: neque tanto desiderio quis properat ad regnum: neque tam cito festinat aliquis ad spōsam amatā, quam propere ille properabat adcopulandam sibi Ecclesiam: ad asseuerandum sibi regnum, & ad adipiscendam gloriam immortalem. Nā nō in vano gestijt excurrere. Quod enim oblatus est quia ipse voluit, & propterea quod se *humiliauit vsque ad mortem, dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus est in gloria Dei Patris.*

Sychemi amor. Ingens fuit desiderium Sichem filij Hemor, quo sibi Dinam Iacobi expostulabat copulari. ita vt præ amoris insania, & jus Ciuitatis, & gentis communionem, & omnia inconsiderate promitteret. si modo quantocius daretur ei in coniugem. *Quæcunque statueritis dabo.* inquit. *augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis. tantum date mihi puellam hanc vxorem.* *Gen. 34.* Circumcisionem quam extorquetis, licet & probro & dolori futura sit, tamen volens patiar, tantum vt mihi detur puella in vxorem. Maius tamen fuit desiderium Iesu, quo ardebat desponsare sibi sponsam Ecclesiam in thalamo Crucis. Non quod dotem postularet, quæ solet cum sponsa offerri. quid enim acciperet, qui bonorum nostrorum non eget? Sed quod ipse se, suaq; omnia cuperet communicare. Vili, *ait*, precio distrahetis me inęstimabilem? *nihil ad Christi amorem.* Patiar subhastari. Collum & manus & latera funibus constringetis? tanquam latronem nefastum ducetis? raptabitis? Annę, Caiphę, Pilato, Herodi sistetis? blasphemabitis? alapas impingetis? ad pallum deligabitis? ad columnam flagris lancinnabitis? corona spinea caput terebrabitis?

iniqua

iniqua sententia prędamnabit Pilatus? carnifex crudelis denudabit? felle & aceto potabit? patibulo assignabit? inter latrones medium appendet? vos autem omnes videntes me sannis & cachinnis, & opprobrijs, & lędorijs me lancinnabitis? augete istud dotale pignus, addite munera ab impia manu, lingua, ferro; aperite denique pectus iam exangue, & quicquid est sanguinis & aquæ ex corde e'ucite: libenter sustinebo quod volueritis, tantummodo date mihi virginem Ecclesiam in vxorem, Patiar mori in cruce tanquam vnus maledictus; patiar & in sepulchro tumulari; descendam & in inferiores partes terrę, tantum date mihi animas vestras, in sponsalitium. *Aperi mihi* tantum *Soror mea sponsa, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* quia ego te mihi sponsabo in æternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus & sponsabo te mihi in fide: & scies qa ego Dominus.

qui venit saliens. Istud desiderium Iesu, quo properabat ad mortem, in qua de sponsauit sibi sponsam Ecclesiam, illa considerans, dicebat: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles, similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum.* Nempe sicut caprea vel hinnulus volax, exagitatus a canib volare videtur non currere, dum vitæ seruandæ, nec prærupta nec hiatus videt, sed pergit quo ferunt celeripedes. sic & Iesus quasi & torrentis Cedron vada non vidisset & vallis Gihon salebras, & viarum anfractus per quas raptabatur, atque adeo fere enecabatur, & Golgothæ ignominiam, & Crucis acerbitatem non cõsiderasset, amoris desiderio incensus vadit Ierosolymam. dicens. Si vspiam locorum spargendus est sanguis, hic in Vrbe ingrata fundendus est. vt impleatur quod cecinit Psaltes, *Operatus est salutem in medio terræ.* Viderunt ingressus tuos Deus, turbæ multæ, & ideo tibi ouanti sponso accipientes ramos oliuarum & palmarum, processerunt obuiam clamantes. *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* quasi calcar currenti addentes, vt alacer incederes tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

explicat. Cant. 3.

Christi typus vacca rufa explicat. Num. 19 Istud desiderium Iesu, adhuc mihi videtur esse adumbratum in vitula rufa, de qua lego in Numeris. *Præcipe, inquit, filijs Israel, vt adducant ad te vaccam rufam, ætatis integræ, in qua nulla sit macula nec portauerit iugum. tradetisque eam Eleazaro sacerdoti, qui eductam extra castra, immolabit in conspectu omnium, & tingens digitum in sanguine eius, asperget contra fores tabernaculi septem vicibus, comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus eius, quam sanguine & fimo igni traditis. Lignum quoque cedrinum, & hyssopum, coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat.* Agnosco in hoc iumento immaculato & exiugo, naturam humanam assumptam a Christo. Nunquam illa fuit maculata aliqua sorde peccati; neque aliquando tulit iugum graue concupiscentiæ, quod ad scelus, inclinat omnes filios Euę. *Quis enim arguet* illum *de peccato?* Cęterum quod rubet extimo colore, significat ardorem immensum, quo flammabat, se totum quantus erat, in ara crucis pro nobis offerre, & quasi ex incendio amoris incinerare. Ideoque non trahitur, nec ducitur, cum volebat; sed sponte & lubens processit ardens ignibus charitatis, quo salutem humani generis deperibat.

Metelli in patrē amor. In gentilium annalibus inuenio Magnum

Magnum amorem Metelli Filij in Metellum Patrem, sed narrabo. In ciuilibus bellis, quibus inter se Antonius atque Octauius decertauerunt, contigit vt fratres cum fratribus, & cum filijs parentes diuersa acie concurrerent. Itaque postremo prælio quo apud Actium Octauius Antonium deuicit, cum captiui recenserētur, Metellus ad Octauium deductus est: cuius quanquam facies propter anxietatem carceremque, a consueta videretur mutata esse, a filio tamen Metello, qui cum Octauio militabat, agnitus fuit. Itaque lachrymabundus statim in patris amplexum cucurrit, deinde lachrymarum plenus ad Octauium conuersus dixit: *Hic tuus hostis, mortem meritus est: ego autem sum præmio dignus, quia tibi inseruiui. Oro igitur te, vt pro eo munere quod mibi a te debetur, hunc serues incolumem, & me pro eo occidas*. Motus ea pietate Octauius, filio Metellum patrem, quanquam infensissimus esset hostis dono dedit. Magnum inquam hunc amorem, Filij erga Parentem. Maiorem tamē scio esse Iesu dilectionem, erga genus humanum. Debebat ille Parenti, nobis Iesus nihil. Merebatur Pater, nos demerebamur. potiusque supplicia, quam amores nobis debebantur. Tamen ille pro nobis, ad certam & citam mortem gaudens pergit. Quid huic pietati par retribuemus? Modicum id quod habemus. Procedamus in occursum ad nos properantis, ferentes ramos palmarum, de prostrato in nobis hoste intraneo. scilicet de superbia, auaritia, libidine, alijsque sceleribus triumphatis. ita digni erimus quibus copiosum passionis meritum communicet, & deducat ad regna felicitatis æternæ. Amen.



DOMINICA IN RAMIS PALMARVM.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.

CONCIO.

Quam difforme regnum Christi a regnis mundi.



SAVL filius Iemini dum quæreret asinas Patris, pro iumentis populum, pro aratro Solium, pro stiua sceptrum inuenit, a Samuele inauguratus in primum Regem Israelis. Iesus etiam filius Iesse, dum insideret asinæ, renunciatus est a populo rex totius orbis. Sed longe difformis a Saule reprobato, quod die hodierna enuncio.

Antithesis regni Christi & Saul.

1\. Saul, corporea mole, *altior erat vniuerso populo, ab humero & sursum,* vt refert historia Regum. Sed longe altior est Iesus Diuina virtute, qua eminet a brachio & capite, non tantum super omnes homines, sed etiam cælites ipsos. *Tanto enim excellentior Angelis effectus est, quanto differẽtius præ illis nomen hæreditauit.* Quam excelsus putatis est ille, cuius caput Deus? Quam eleuatus, cui *cælum sedes, & terra scabellum*? Quam immensus, qui *portat omnia verbo virtutis suæ?* Qui simul in cælo & in terra, inque omnibus quæ in eis sunt intime diffusus est, quam eminens debet esse? Ad hunc enim Dauid aiebat. *Si ascendero in cælum, tu illic es. Si descendero ad infernum ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, & enim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.* Porro quod is ipse sit Iesus Deus, ipse de sua immensitate testatur dicens: *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.* Itaque & descenderat de cælo, & erat in cælo, qui simul videbatur in terra: vt pote hic, qui de se alibi fatetur: *Cælum et terram ego impleo.*

Saul robustior erat cæteris contribulibus suis, eaque propter designatus est, qui regeret & defenderet gentiles suos. At non est quod componatur cum Iesu, qui est *Dei virtus et Dei sapientia.* Ille vni Goliatho impar; hic vniuersis Principatibus & potestatibus, & exercitibus armatis ex inferno ad prælium, superior. cui tantum potentiæ robur, vt vnico diffusili radio omnes tenebriones dispellere, & vnico verbi imperio oẽs phalangas prosternere, & vel minimo carpo manus porrectæ, stellas erraticas a cælo deijcere, inque caligine perpetuæ rupis sepelire potest. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede; sedes & solia superborum Ducum euertit, & fecit humiles pro eis sedere. 2.

Porro si magnitudinem factorum eius expendas, neque Saul, nec aliquis Regum, imo neque aliquis Princeps tenebrarum, tam magnus est factis, quam rex Iesus. Vidit Aegyptus tot centena millia hominum, fectis diuisisque aquis velut 3.

per

per ſiccum traducta? Vidit in ſqualidis arentibuſque locis, e dura petra, ictu virgæ, torrentes aquarum manantes? Vidit eſcatilem pluuiam mannæ atque altilium? Vidit a manibus decuſſatis Amalechitas proſtratos? a tubarum ſonitu mœnia Hierichana decidua? a voce vniuoca Solem ſtantem? Ieſu regis virtus ſe inſerebat, manibus, voci, & virgæ mirandæ. Aſpexit Orbis ſua ætate, claudos erectos, cęcos luce affectos, morbidos perſanatos, mortuos ipſos ſuſcitatos, & vera vitali aura iterum donatos, imperium in elementa, in animantia, in naturam ipſam rerum ab eo vſurpatum & exertum. Omnes reges, omnes Genij mali, omnes Magi conueniant, non facient vnum de iſtis, niſi fallaci aliqua imagine, & ſine aliquo fructu mox peritura. Solus Ieſus rex Regum tantæ virtutis, vt quæcunque pater facit, hęc etiam illa omnia pari poteſtate operetur.

4. Sauli inauguratio, vnctio, & diadema ab extraneo contigit. Sed ô quam multis amaritudinibus, & miſerijs intexta & permixta? In cubiculo æmulus Dauid inuiſus: in tabernaculis & ſpeleis ſeditioſi; in campeſtribus Philiſtæi, Amalechitę, & illæ aliæ reliquiæ Chananęorum atque Iebuſeorum. Ieſu autem tam vnctio, quam corona Regalis, ab ipſa conceptione in vtero. Regina erat quæ parturiebat, Diua Reginarum Maria. Rex erat, qui obumbrabat conceptum, & virtus Altiſſimi quę ſuperueniebat ſuperfœtationi. Regem, ex regio choro Archangelus deſcendens, Magnum, & filium Altiſſimi denunciabat. Rex quoque Regum eminebat Verbum, qui ad formam Dei ſeruile ſchema aſſumebat, & vnguine lętitię a domibus eburneis diffuſo, & caput, & barbam, & veſtem, adusque oram talarem imbuebat. Inſuper, ex ſideribus plexum diadema vertici aſſumpti hominis tam arcte imprimebat, vt neque ipſa morte in qua animam a corpore ſeparauit, & in manus tradidit Parentis, Regium diadema ab eo ſeparari potuerit; imo vel tunc maxime Regni ſui poteſtatem exeruerit, cû ſubterranea Regna penetraſſet, vectes inferni contregiſſet, Reges tenebrarum conculcaſſet, & omnia eius ab initio collecta ſpolia diripuiſſet, poſt ſe ducens captiuam captiuitatem.

5. Saul rex, etſi ſuper populum pro populo, magis tamen pro ſua incolumitate, & faſtu, & delitijs atq; diuitijs imperabat. Cum enim Iſraelitæ a Samuele poſcerent regem, neque ſcirent ius regium, tale eſſe edixit Propheta. *Hoc*, inquit, *erit ius* *Ius Regũ.* *regis, qui imperaturus eſt vobis. Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum. & conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum & curruum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi vnguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque veſtros, & vineas, & olıueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis. Sed & ſegetes veſtras, & vinearum redditus addecimabit, vt det eunuchis & famulis ſuis. Seruos etiam veſtros, & ancillas, & iuuenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſerui. Et clamabit in illa die a facie regis veſtri, quem elegiſtis vobis, & non exaudiet vos Dominus.* 1. Reg. 8
Talis libertatis erant futuri reges, de iure conceſſo. an vſurpato? Non inquiro. Hoc iure Saul ſumpſit ſibi ex Filijs Iſai, Dauid adoleſcētem pro cithar&edo, & armigero, & mili-

te. Hac iniuria postea rapuit Dauid, Vriæ Ethæo vxorem Bersabæam:& cum senuisset Abisac Sunamitidem. Hoc lupino iure deinde Iezabel, Nabotho innocenti eripuit vineam & vitam. Hac iniuria regali,& quid sibi alij non tantum Reges, sed & Dynastæ, intactum apud suos esse censent? Fruges non tuæ, armenta & iumenta non tua, ancillæ & filiæ non tuæ,vxor tua non tua,imo neq; tu tibi ipsi es saluus, si aliquis Caligula aut Vitoldus imperabit. Supersedeo monstra illa naturæ recensere, quibus neque quod Sanctum, Sanctum fuit.

1. hierogl. Regum, Spongia. Spongiam Aegyptij Regibus assignabant pro symbolo,quod vt illa bibax aquarum, sic isti rapaces subditorum, sed non ad vnguem apposite. Spongiam liquore expleueris: Auarum aliquem Midam, ne pane quidem ex auro facto.

2. Anguis. Pierius lib. 15. Rectius alij Regem per *Anguem* in orbem collectum effingebāt, qui caudā mordicus apprehensam præmorderet atque præsorberet. In huius spiræ medio nomen regis describebant. Quin etiā certam *Anguis* speciem *Mæri* cognominatam, huic significato adhibebant. Caussam quidam assignabat, cur *Anguem* fingerent sibi caudam admordentem? Indicabant, *inquit*, omnia vsque ad minima vltimaq; debere esse curæ apud regem, qui bonitatis sit nomen adepturus. cum ea pcipue de causa Sardanapalus, & plerique alij infames habiti sint: quod simul ac ad principatū venerūt, omni abiecta cura, sibimet tantū vacare, seque vnos curare instituerunt. Esto, huic significato hanc hieroglyphicam notam inscripserint: Decet enim populis prælatum, pro populis vigilare. Cæterum, si ariolari licet, mihi videtur, quia ingluuiosam auaritiam Tyrannorum insinuabant, quibus hoc vnum studium est, vt inter elogia sibi adscribant, POPLIVORVS PRINCEPS. quorum facultates, familiam, & omnia charissima in prędam sibi destinarunt: eorumque opibus, delicijs, vita & sanguine ingluuiem suam exsaturarunt.

Vopiscus in Aurelio narrauit, Apophtegma scurræ cuiusdam, qui dixerat; *In vno annulo, bonos Principes omnes sculpi posse*. Sentiens, esse Magnum imperantium numerum, sed in his perpaucos bonos. Ego non numero, neque illos gemmæ alicui insculpo: Saulum ab annulo excipio, qui non tantum extremos reipublicæ Hebreæ, sed etiam Optimates & Capita populorum, velut Anguis caudam premordens, extinctos esse cupiebat. Quid memorem Achimelech Sacerdotem, quem Doëcho Idumęo iussit trucidare? Quid Dauidem generum, quem hasta vibrata toties voluit conficere? Quid reliquos de populo, quorum sanguinem sitiebat? Indignus, qui sculpatur in annulo.

Non talis Rex Iesus; sed ad primum Anguis significatum efformatus. qui vt Zacharias prenunciauit, venit non sibi, sed tibi ô homo. venit non deglubens sed vestiens, non occidens sed viuificans; non aliquid ex nostro accipiens; sed omnia ex suo elargiens nostræ paupertati.

Adrianum Imperatorem transeuntem, aliquando vna mulier appellauit: *Audi me Cæsar*. Is autem respondit, *Non est otium*. Illa postea clamauit, *Noli ergo Imperare*. Potuit non habere otium, multis negotijs distractus Adrianus. Quis enim mortalium, vt omnibus ita singulis ex æquo potest prospicere? Ne Moyses quidem Diuino spiritu repletus, qui necesse habuit in septuaginta seniores spiritum impertiri, qui curarum

ratum Imperij partem maiorem cu rarent. Est otium Regi Iesu, æque singulis, vt & omnibus suo jmperio subditis prouidere. Tam enim v-nius curam gerit quam vniuersorum. tam vniuersorum prouidentiam habet, quam vnius.

Idem Adrianus Cæsar Commodum Aelium Verum, iterum Consulem fecerat, eumque jmperio destinarat. Quem cum cerneret, nec corpore nec animo satis validum, dicere solebat: *In caducum parietem nos inclinauimus, ac perdidimus quater millies H. S. quod populo ac militibus pro adoptione dedimus*. Non est falsus spe sua Deus Pater, quando Collegam jmperij orbis Regem Iesum destinauit. Corpore quidem licet dum viueret nobiscum fuerit infirmo, sed animo jnuicto.

Veniebat mors, adolescentemque aliquem aut puellam, aut Lazarum rapiebat? jlle accurrens eripiebat, vel ex tumulo iam quatriduanos fœtentes. Draco aliquis vel leo infernalis assiliebat quempiam ex suis? jlle occursans dispellebat, & sæuientes ad escam præparatos, in porcos intrare iubebat, præcipitesque in barathrum agebat. Rex super filios superbiæ, claustra cymeria, repleuerat vinctis eius? jlle descendebat, subruebat, euinculabat; adq; veram libertatem traducebat. Cogitasset etiã ipse Deus jacula iracundiæ suæ intorquere, vel carbones desultorios conspergere in ingratos? Non jnclinauit, nec cecidit hic paries, quem se Iesus pro nobis oppoluit Patri irato, pro gente subiecta. *In me*, inquit, *transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbauerunt me*.

De eodem Adriano Cæsare proditum est, quod in colloquijs etiam humillimorum mire ciuilis esset: eosque detestari soleret, qui hanc humilitatis voluptatem ipsi inuiderent hoc prætextu, quod dicerent, *Principi maiestatem vbique seruandam*. At nullus mortalium tam Comis fuit, quã Iesus Rex humilitatis Magister, cui placuit inter vilia recubare jumenta, & sordido incubare asello. Veniebant publicani, accedebant peccatores, prostitutę contrectabant, hemorrohissæ, vel a dæmonijs diuexatæ compellabant, latro de Cruce inuocabat; nemo erat quem despiceret. Qui de se testatur. *Ad quem autem respiciam, nisi ad humilem spiritu & contritum corde, et trementem ad sermones meos*? Vis adhuc admirari eius Ciuilitatem seu humilitatem? Cæcus a Natiuitate lumen postulabat? jlle non dedignatus est, facere lutum ex sputo, & illinire oculos flagitantis. Alter surdus & mutus, linguæ & auris vsum judicio extorquebat? dignatus est digitos quibus cælos ornauit, in os & auriculam immittere, & vincula dirumpere. Venit Samaritana haurire aquam; nec abhorret eius colloquium. Adducitur aliqua deprehensa in adulterio? & inclinans in terram, pro ea scribit decretum. Lazarum ex stercore aliquem, a vermibus exesum deferunt Angeli? & sinu suo illum epuloni inuisum dignatur. Quam profunda hæc humilitas? Quam demissa Ciuilitas?

Idem Adrianus dicere solebat, *Sibi molestum esse, si quem videret tristem a se recedentem*. Vanus? jn vanum jactabat. & quis vnquam regum potsit, immanem hominum cupidinem explere, & omnes quotquot sunt petaces dimittere lætantes? Nullus. Magna laude celebrandus est Princeps ille, si magnam partem petentium, a solio maiestatis gaudentes abire compererit. Qui enim potest omnes, si ipse vel non omnes audit, vel nõ omnibus se debere, aut posse facere satis putat? Inter

ter cætera, quæ reges, quominus omnes tristes a se dimittant, morantur, sunt vel ipsæ Tineæ Palatinæ, vel quædam minutula a regibus maxime æstimata. De tineis Palatinis habeo Diocletianum, Oracula euulgantem. Adhuc priuatus dicere solebat. *Nihil esse difficilius quam bene imperare*: idest omnibus & singulis commodare. Id Flauius Vopiscus in Aureliano, tradit se audiuisse a patre suo. Addit caussam. Colligũt, *inquit*, se quattuor aut quinque, simul consilium ad decipien sunt Imperatorem capiũt, dicunt quid probandũ sit. Imperator qui domi clau sus est, vera non nouit, cogitur hoc tm̃ scire quod illi loquuntur. facit iu dices, quos nõ oportet: amouet à Republica quos deberet retinere. Ita, vt dixit Diocletianus, *bonus, cautus, optimus venditur Imperator*. Ita a distributiuæ, vel correctiuæ iustitiæ solio, multos gemebundos necesse est discedere. dum aut coruos coronat, aut vexat censura columbas, ad Nu tum eorum qui *Aurium Præpositi*.

Regis auari hierogl. elephas. Pierius. lib. 2.

De nimis oculeo Argo Principe, video, inter notas hieroglyphicas Aegyptiorum, *Elephanti mures venantis*, imaginem. Abibit non nemo lugubris a tali Principe, qui nulla vel maiestatis, vel decori habita ratione vilissima quæque sectabitur, sordesque omnes perscrutari instituet. Ne mus quidem, mensæ reliquias a sordido arripiet: & ne mus quidem a muscipula curiosi inquirentis saluus erit. Annon detestamini illum crudelem, cui sanguinario cum non daretur alicuius Ciuis vel Principis sanguinem effundere, muscas in palatio persequebatur, & stilo præacuto fodiebat? Sane abominandus erat, vel suo famulitio. Nam audio vnum interrogatum, *Num aliquis cum Imperatore intro esset?* respondisse. *Ne musca quidem.* In mancipe non seruile ingenium, videre non poterat Imperatorem, vel minima consectantem, quod sciret huic imperium non diuturnum fore, a lacrymis ge mentium, qui mæsti recedebant.

Nemo a Iesu rege tristis vnquã abscessit. Magnus, paruulus, Diues, pauper, Senex, adolescens, mulier, virgo, sanus, æger, ære alieno aggrauatus, de compede seruus, vel quisquis alius accedebat, omnes votorũ compotes reddens lætos a se dimittebat. Postulabat alius sanitatem in infirmitate deplorata? Medicabat. Alius remissionem delictorum? Absoluebat. illa laticem indeficientem? Affundebat. Hic Paradisum supramundanum? Introducebat. Nullus erat qui non aliquam consecutus consolationem, lætus & ouans ab eo recederet. *Pertransibat enim benefaciendo, & sanando infirmos*. Quemadmodum Sol nullum orbis angulum reconditum relinquit, quẽ suo lumine vel radio, non illustret, aut aliquo beneficio non afficiat: ita Iesus velut Sol iustitię omnes aspiciebat, illuminabat, accendebat, recreabat, quotquot ab eo petaces. Pręcipue vero dissoluebat.

Saul & cęteri Regum, jure an injuria, omnes subditos in seruorum loco habent. *Vosque eritis ei serui*, inquit Deus. Iesus autem Rex, noster imprimis adhoc venit, *vt dissoluat opera Diaboli*. Plato referebat, Eriphilam Amphiaraum maritum suum hostibus prodidisse, propter cathenam aureã sponsam; quam cum accepisset & maritum prodidisset, & ille & ipsa hac eadem vincti sunt. Fere assimile Euæ & Adamo euenit in Paradiso, a cauda scorpiaca serpentis. Nam abinde vterque, & nos omnes vna cum eis, vincti remansimus specioso ære a Sathana

lib. 9. de repub. 6.

thana illigati. *Filij tui*, inquit Deus,
Isai. 55. *proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum suarum, sicut oryx illaqueatus, pleni indignatione & increpatione Dei sui*. Venit Iesus & disrupit vincula colli nostri; quod in typo iumentorum factum est hodie, de quibus iussit, *Soluite*, inquit, *& adducite mihi*.

7. Saul æmulum regni, non poterat ferre? Iesus autem Rex non modo non inuidet participium regni, sed Reges quotquot sunt credentes renunciat. & quod Iosue ad tribum septimam, hoc ille ad omnes Cunctatores ingeminat, *Vsquequo marcetis ignauia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis? Venite benedicti Patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi*. Et sane non possum non valde mirari socordiã & indignitatem nostram, qui ad tam beneficum & clementem regem non adproperamus, sed magis eligimus in hoc Basan sordido pascere porcos. Dixerim & ego ad vos, quod Sadoch & Abiathar, missi a Dauide dixerunt tribui Iuda, remanenti in domibus suis. *Cur venitis nouissimi ad reducendum regem in domum suam? Fratres mei vos, os meum & caro mea. quare nouissimi reducitis regem?* Nõ diduco eadem quę etiam Christus ad vos, fere totidem verbis. Oro occurramus Regi mansueto nobis venienti, si volumus ab eo protegi, coronari, & beari in secula. Amen.

FERIA QVARTA PARASCHEUES.

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat &c. 1. Corin. 11.

CONCIO.

Præparatio ad Cęnã Eucharisticam.



MOYSES cum in rubo flammantem Deum vidisset, atque propius contemplari vellet, nõ prius ad conspectum & colloquium Diuinum admissus est, quam calceamenta de pedibus detraxisset, terramque Sanctam immaculato pede tetigisset. Non mirum, itaque debet esse vobis, si Deus ardens amore immenso, in hac siliqua hordeacea, Panis Eucharistici consistens, amat purgatum hominẽ, & quasi discalceatum ad se admittere. Quamobrem Paulus monebat. *Probet*, siue vt alij legunt, *purget seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*. De hac præparatione, seu discalceatione pedis mystici ad Eucharistiam, hodiernus sermo.

Fere neminem calceatum, ad se voluit admittere Deus. Prothoparentes certe discalceati erant, cum Deus eos, alloquio suo dignatus esset. Moysi scitis quid dixerit. *Solue calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas terra sancta est*. Iosue quoque cum esset in agro vrbis Iericho, & vidisset virum stantẽ contra se, euaginatum gladium tenentem, & accedere propius cuperet, audiuit ab apparente Domino. *Solue*, inquit, *calceamentum tuum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, sanctus est. Fecitq; Iosue, vt sibi erat imperatum*. Cum itaq; Deus omnes calceatos, a se depelleret, quid est

Calceamentum vere vt calceo.

Iosue 5.

est quod vescentes Agno Phasetico, qui figura erat Eucharistici Agni, iubet calceatos esse? Ita enim indicit. *Sic autem*, inquit, *comedetis illũ. Renes vestros accingetis, & calceamenta vestra habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes est enim phase, idest transitus Domini.* Exod. 12.

Non difficile est aperire, nodum difficilem horum calceamentorum, ex aspectu mystici calceamenti, de quo Dominicum præceptum. Istud vero duplex, in sacra Scriptura inuenio, quorum vnum iubet deponere Deus, altero vero calceari ad se accedentes. Primum genus calceamenti inuenio coriaceum, seu ex pellibus animantium. quod mihi significat, exuuias veteris hominis animales & sensuales. Alterum genus est hyacinthinum, seu ex textura cælestium ambulonum. quod innuit cothurnum noui hominis spiritualis & intelligibilis. De primo calceamentorum genere, puto Apostolum dixisse, *Deponentes veterem hominem cum actibus suis.* De secundo vero Deus, ad quandam discalceatam, expresse ait: *& calceaui te hyacintho.* Quo cum pedes eius circumcinctos fulgentes aspexisset, non se potuit continere, quin exclamaret dillaudans: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis?* Itaque cum Deus neminem calceatum ad se admittens, iubet, *Solue calceamenta de pedibus tuis;* veteris hominis coriacea deponere iubet. dum vero præcipit edones Agni mystici, habere calceamenta in pedibus, noui hominis hyacinthina induere præcipit; si volunt digni esse edulio Angelico, quod Cælestes mentes, exutæ mortalitatis redimijs discalceatę esuriunt, manducant, & pane Angelorum saginantur. Itaque & Paulus, dum monet; *Probet autem seipsum homo*, monet vt quicunq; accedit ad manducandum illum panem Angelorum, probet quę calceamenta in pedibus habeat. & si quidem ex aliquo morticino putente, sordenteque, deijciat, nec temere accedat. Si vero ex hyacintho cœlestis conuersationis pertexta, nihil trepidet, sed securus accedat. Placet enim Deo pręcipere: *Sic autẽ comedetis illum. calceamenta habebitis in pedibus vestris.* Sed magis dilucide explico calceamenta ista.

1. *Inuidia.* Vetus calceamentum est inuidia, emptũ apud illũ cuius *inuidia mors intrauit in vniuersum orbem*: a protoparentibus nostris, qui scientiam boni & mali, ac proinde Diuinitatis essentiam inuiderunt suo cõditori.

2. *Superbia.* Vetus calceamentum est superbia, emptũ apud patrem qui Rex est super omnes filios superbiæ, a Protopeccatoribus gentis, qui se Dei vnigenę pariare, & a seipsis, non ab auctore felicitatis beatitudinẽ ambientes, superbiæ tumore periere, inflati sensu mentis suæ.

3. *Inobedientia.* Vetus calceamentum est inobedientia, scita a Lucifero qui statim a principio viarum suarum declinãs, elegit non ascendere, sed descendere, atque partem stellarum deciduarum trahere deorsum. Namque & ille Deo jubente; *Ex omni ligno paradisi comedetis, ex ligno vero scientiæ boni et mali, non gustaueritis*, maluerunt recalcitrare, quam ab obedientiæ merito, pręmium sempiternum expectare.

4. *Iracũdia.* Vetus calceamentum est, ex his nata iracundia; qua frater aduersus fratrem commotus, eductum in agrum trucidauit, terramque adhuc innocuam, fraterno cruore rubricans impiauit.

5. *Libidinis.* Vetus calceamentũ est, dira carnis libido. qua primum filij Dei exarserunt

exarserunt in filias hominum, & postmodum omnis caro corrumpēs viam suam, sæuos fluctus communis diluuij, prouocauerat in noxam totius generis humani.

6. Peccati. Vetus calceamentum est, vt in summa dicam, omne id quicquid ab antiquo infecto orbe, contra cælestis disciplinæ ordinem & rationem, ab homine trahitur, sese illo solemni excusante. *Sensus hominis ab adolescentia sua proni sunt in malum.* & *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam*, atque *terrena inhabitatio corrumpit sensum multa cogitantem*. Quisquis tali calceamento calceatus, ne accedat ad videndum Deum; neque veniat ad comedendum Panem Angelorum.

non admittit Deus. nā et nō placet. Non placet Deo, liuentiæ soccus. nam ipse totius beneficētię trames.

1. Liuor. Vnde et si alijs præcepit, sibi tamen in hoc benignitatis mensa præscripsit, illud quod per sapientem vulgauit. *Ne comedas cum homine inuido, quoniam in similitudinem arioli et coniectoris, æstimat quod ignorat.* Prou. 33.

Gen. 26. & 37. & 31. Quamobrem quisquis est Palestinus, obruens Patriarchales puteos durissimis saxis. quisquis est ex collegio vndecim Patriarcharum, inuidens surrectum manipuli, vel luminis exortum fraterni. quisquis est ex familia Labani, liuens ex augmento filiorum & facultatum Iacobi. scilicet cui non abijt, sed imo accessit liuor, ex accessione siue terrenæ, siue cælestis felicitatis proximi sui, procul absit prophanus ab hoc igne, ab hoc rubo, ab hac mēsa. Hæc enim est illa sursum germinās amaritudinis radix, quæ se erigens ad superna, in contumeliam ipsius, qui bona homini confert, tendit authoris. Grande & plane incurabile malum. Hæc est enim (vt Pyamon apud Cassianum disseruit) de qua figuraliter per Prophetam dicitur. coll. 18. c. 12. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, et mordebunt vos.* Recte enim a Propheta, mortiferis basilisci venenis, morsus inuidiæ cōparatur, qua primus ille venenorum omniū author & princeps, & perijt, & peremit. Namque ante suus quàm eius cui inuiderat interemptor, priusquā in hominem mortis virus effunderet, ipse se perdidit. *Inuidia .n. Diaboli, mors introiuit in orbē terrarū, imitantur aūt illū qui sunt ex parte illius.* Sicut enim ille qui primus eiusdem mali peste corruptus est, nec medelam pęnitentiæ, nec fomentū alicuius curationis admisit: ita & hi qui ijsdem se percutiendos morsibus tradiderunt, omnem opem Sancti incantatoris excludunt, quia cum vtique non culpa eorum quibus liuent, sed prosperitate crucientur, erubescentes ipsam prodere veritatem, extrinsecus sibi quasdam superfluas & ineptas causas offensionis inquirunt. Quarum, quia omnimodis falsę sunt, vana curatio est, cum illud mortiferum virus quod nolunt prodere, lateat in medullis. De quibus alibi ille sapientissimus competenter expressit; *Si momorderit serpens, non in sibilo, non est abundantia incantatori.* Isti enim sunt taciti morsus, quibus solis sapientiæ medicina non subuenit. Nam vsque adeò incurabilis est ista pernicies, vt blandimentis exasperetur, in fletur obsequijs, muneribus irritetur. Quia vt idem Salomon ait, *nihil sustinet zelus.* Quantum enim alius aut humilitatis subiectione, aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profecerit, tanto ille maioribus inuidiæ stimulis incitatur, qui nonnisi ruinam aut mortem eius, cui inuidet, concupiscit. Denique illorum vndecim Patriarcharum zelus, in tantum nulla innoxij

Ll fra.

fratris subiectione potuit delinire, vt de his scriptura commemoret. *Inuidebant autem ei fratres sui, eo quod diligeret eum pater suus, & non poterant ei loqui, quicquam pacificum.* Donec zelus eorum qui nulla germani obsequentis atque subiecti sustinuit blandimenta, mortem eius cupiens, vix posset venditionis fraternæ crimine satiari. Cunctis ergo vitijs perniciosiorem, atque ad purgandum difficiliorem esse constat inuidiam, quæ ipsis remedijs, quibus reliqua extinguuntur, accenditur. Nam verbi gratia, qui damnum sibi illatum dolet, largitatis compensatione curatur. Qui de illata indignatur iniuria, humili satisfactione placatur. Quid illi facias, qui hoc ipso magis quod te humiliorem ac benigniorem sentit offenditur, quem ad iracundiam non cupiditas, quæ præmio delinitur; non iniurię læsio, aut vltionis amor accendit, quæ officiorum vincitur blandimentis, sed successus tantum alienę prosperitatis irritat? Quis autem est qui se, vt satisfaciat inuidenti, a bonis corruere, aut a prosperis alienari, aut calamitate aliqua optet inuolui? Cętera venena serpentum, id est carnalia peccata vel vitia, quibus vt cito inuoluitur, ita facile expurgatur humana fragilitas, habent aliqua vulnerum suorum in carne vestigia, quibus quamuis terrenum corpus perniciosissime contumescat, tamen si teriacæ remedium, aut illam salutarium verborum medelam, aliquis peritissimus carminum Diuinorum incantator admouerit, ad perpetuam animæ mortem pernicies virulenta, non peruenit: inuidię autem quasi à regulo serpente, effusum virus, vitam ipsam religionis ac fidei, priusquam vulnus in corpore sentiatur excludit. Quamobrem ad eos videtur Deus dicere. *Ipsi me, per inuidiam, ad emulationem irritauerunt in non Deum: & ego ad æmulationem inducam eos in non gentem.* Vt autem Sathanas serpens antiquus, perpetuis ignibus damnatus, nunquam dignus aut potens est admitti, ad ignis Diuini beatioris flammantes radios; ita & inuidię liuore pallētes, indigni prorsus qui de mensa Domini distribuentis omnia affluenter, saginentur micis deciduis panis Angelorum, cuius *buccellas mittit sicut crystallum.*

Non placet etiā Deo, inobedientię calceus. Namque *magis obedientiam desiderat, quam victimas.* Proinde apud illum, idem scelus est, *nolle obedire, & ariolari.* Satis notę sunt imprecationes Diuinę, in calcitrones; Si, inquit, *audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias et facias omnia mandata eius, et ceremonias quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te. Maledictus eris in Ciuitate; maledictus in agro. Maledictus eris ingrediens, et egrediēs. Disperget te Dominus in omnes populos, a summitate terræ vsque ad terminos eius; et seruies ibi Dijs alienis, quos et tu ignoras, et patres tui, lignis et lapidibus. In gentib. quoq; illis non* quiesces, neq; erit requies vestigio pedis tui. Dabit.n. Dominus tibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam męrore. Et erit vita tua quasi pendens ante te. Quamobrem quisquis est Saul Hebręus, magis pinguia offerre cupiens suo Cupidini, quam parere Deo pręcipienti obedientiam. quisquis est Vasthi ceruicosa, ad nutum, & motum Regis Regum reluctans. quisquis est propudiosa illa sponsa illud ex triuio Capitonum dicēs. *Non faciam, non seruiam. Quis est Dominus vt ei obediam?* Ad hunc thalamum velatum, ad hanc mensam

2. Inobediētia.

Deu. 28.

sam Sacratam, atque ad hoc ferculum ascensus purpurei, summa charitate constratum, ne accedat.

3. *Superbia.* Non placet etiam Deo, cothurnus superbię. *Superbis enim resistit.* *Isai. 29.* *Sedes Ducum superborum deijcit. Deponit potentes de sede. Libanum in Charmel*, vt pollicitus est per Isaiam Prophetam, *et Charmel in saltum reputat.* Scilicet tam illos, qui se super exaltabant sicut cedros Libani, quam illos qui tanquam Charmel mons, verticibus cęlo minabantur, qui *ambulabant in magnis et mirabilibus super se* in saltū succiduū deputat, vt concidantur, vt conterantur, vt deijciantur. Itaq; quisquis ex gelido Trione est, qui dicit. *Ascendā ad Aquilonem, solium meum ponam in nubibus cæli, et similis ero Altissimo;* quisquis eleuat se in templo *super omne id quod dicitur Deus*; quisquis denique ascendit ad cor altum, ad hoc scabellum pedum Diuinorum ne accedat.

4. *lib. 3.* Non placet insuper Deo, lutulentus libidinis soccus. *Spiritus enim Domini effugiet disciplinæ fictum, nec habitauit in corpore subdito peccatis.* Proinde quisquis es ex cęsto Veneris, abesto, Tiiais abesto, Thamar abesto. Achimelech Sacerdos sanctificatos panes, qui vmbra erant panis Eucharistici, nolebat dare comitibus Dauidis, si triduana continentia a mulieribus non erant purificati. Ita enim ad Dauid: *non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem Sanctum. Si mundi sunt pueri tui, maxime a mulieribus? Et respondit Dauid Sacerdoti, & dixit ei. Equidem si de mulieribus agitur, continuimus nos heri & nudius tertius, quādo egrediebamur, & fuerūt vasa puerorum Sancta.* Quod si vmbratiles panes non erant tangendi, a contaminatis libidine; quid censetis, an licebit suscipere illum qui panis viuus est de cælo descendens, corpore polluto? *1. Reg. 20*

Non placet ad extremum Deo, quicquid ab orbe infecto mortiferum est animæ. Audio Deum, eiusmodi legem summo Pontifici sancientem. *Ne contaminetur Sacerdos in mortibus Ciuium suorū. Pontifex, id est, Sacerdos maximus inter fratres suos, cuius super caput fusum est vnctionis oleū, & cuius manus in Sacerdotio, consecratæ sunt, vestitusque est vestibus sacris, ad omnem mortuum non ingredietur omnino. Super patre quoque suo & matre non contaminabitur, nec egredietur de Sanctis, quia oleum Sanctæ vnctionis Dei sui est super eum.* Origenes explicabat. Pontifex ad omnem animam mortuam non intrabit. Quæ, *inquit*, est anima defuncta? Anima quæ peccat, ipsa morietur. Super hanc ergo animam mortuam Christus non superuenit, quia sapientia est: & *sapientia nō intrat in animam maleuolam.* Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem. Si autem viuat, id est, si non habeat in se mortale peccatum, tunc Christus qui est vita subintrat. Quia sicut lux non potest esse cum tenebris, nec cum iniquitate iustitia, ita neç vita cum morte. Et ideo si quis sibi conscius est, quod habeat intra se peccatum, neque id a se per pœnitentiam plenissimæ satisfactionis abijcit, non speret quod Christus intret in animam eius, qui ad omnem animam defunctam non intrat, quia Magnus Sacerdos est. 5. *peccatū. expl. loc. Leuit. 21. quod in typo Pontif. max.*

Magnam distantiam Deus volebat interesse inter Arcam fæderis, & eos qui de promiscua multitudine sequebantur. Ita enim Iosue ad populum ex Dei mandato: *Quando videritis arcam fæderis Domini Dei vestri, & Sacerdotes stirpis Leuiticæ portantes eam, vos quoque surgite, &* *in arca. expl. loc. Iosue 3.*

 sequi-

sequimini procedentes: sitque inter vos & arcam spatium cubitorum duũ millium, & cauete ne appropinquetis ad arcam. Insinuabat. vt quicunque populari calceamento cinctus, scilicet, communibus gentis virijs & flagitijs conspurcatus esset, ne auderet propius accedere, ad hoc Diuinæ maiestatis gestamen, Panem & Calicem supercœlestem, in quo thesauri absconditi. si sibi a pernicie timere, non timeret. Quicunque enim impurus, illotus, neq; sandalio sacerdotali tectus, ausus fuisset vel contingere, vel denique etiam aspicere, mortem sibi accelerare. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Fors propterea Philistæi percussi, Bethsamitæ prostrati, Oza cõtritus; quod jndicarent, jndigne contrectantibus melioris & Diuinioris mannæ Sacrarium, horrendam imminere mortem. Si enim typum & vmbram sic ab jniuria vindicabat, quomodo impune ferret temeratores ipsius Corporis, & sanguinis jmmaculati?

in Gabaonitis. expl. loc. Iosue 9. Gabaonithæ ad Iosue, acesserant vt refert historiographus. *saccos veteres asinis imponentes, & vtres asinarios scissos atque consutos, calceamentaque perantiqua, quæ ad jndicium vetustatis pitacijs consuta erant, induti veteribus vestimentis*. Quapropter & ipsi non diffitentes dixerunt. *En panes quando egressi sumus de domibus nostris, vt veniremus ad vos, calidos sumpsimus: nunc sicci facti sunt, & vetustate nimia comminuti. Vtres vini nouos impleuimus; nunc rupti sunt & soluti. Vestes & calceamenta quibus induimur, & quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita sunt, & pęne consumpta*. Significant, accedentes ad Iesum, eos qui ex veteratio Adami induti & calceati sunt. Vnum in Euangelio lego, non indutum veste nuptiali, eiectum a conuiuio cœlesti. fors quia erat vestitus, ex vestiaria veteris hominis ficulneo perizomate, in quo nõ licebat conuenire Deum. Video autem calceatos innumeros, calceamentis perantiquis eiusdem siue veteratoris, siue inueterati in malis, prohiberi accessu & aspectu Dei apparentis, ita vt nõ nemo sit, q non audiat, *Solue calciamenta de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra Sancta est*.

Antequam Salomon ædificasset templum Domino, olim adorabatur Deus *in Silo*. vt planum est cuicunque ex historia Regali. *Silo*, Origeni interpretatur *auulsio* vel *excalceatio*. & significat, Deum o nnes ad se admittere, neq; quemquã a se repellere, sed in loco excalceationis, seu vt expressius dicam, non nisi excalceatum. Sic enim & Apostolos ad se acciuit. quibus etiam præcepit, ne calceamenta portarent in via. scilicet. Ne veteris Adami exuuias, neue veterem hominem cum actibus suis repræsentarent, noui Sacrificij noui mystæ, & noui edulij, Noui Commessatores. *Quicunque enim manducauerit*, vt Paulus decernit, *vel biberit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini*. *in Silo monstrauit.*

Cęteroquin reperiuntur alia calceamenta, sine quibus nemini licet accedere ad Deum. scilicet illa de quibus ipse ait ad quandam: *Et calceaui te Hyacintho*. Hyacintho isto jnnocentiæ, conuersationis, humilitatis cælestis, si quis cinctus fuerit, poterit Regem gloriæ adire, adorare, & mensæ eius assidere Non enim modo non reijciet, sed lubens suscipiet, omnem quicunque hoc bombyce tectus. Animabus enim castis, se commiscet; in animas sanctas se transfert: mundis corde se videndum ostendit. Ad neminem autem

respi-

reſpicit, niſi ad humilem & manſuetum, & trementem ad ſermones ſuos.

Placet tamē ei calceus. *1. Caſtitatis.* De Hyacinto caſtitatis, mihi prius dicendum: quo ſi quis calceatus proximus Deo efficitur. *Incorruptio enim facit proximum Deo.* Dixerat enim Saluator. *Vbicunque duo conſenſerint ſuper terram in nomine meo, ibi ego in medio eorum ſum.* quod etſi de duobus hominibus aliqui accipiant, magis tamen ego intelligo, de conſenſu carnis cum ſpiritu. quando ita caro ſubijcietur ſpiritui, vt non amplius regnet in mortali corpore peccatum, ſed vt illa rationalis aſſlatus, caſtum & immaculatum ſe præſtat Deo, ſic & iſta animalis portio, caſtam & incontaminatam ſe exhibeat ſpiritui, jubenti tunc vero Deus illabitur duobus ſic adinuicem coniugis, inque jis inhabitet.

colla. 12. c. 11. Sed Cheremonem Abbatem, audio apud Caſſianum. Hæc eſt, inquit, verè conſummatio caſtitatis, quę non impugnans carnalis concupiſcentiæ motus, ſed toto horrore deteſtans, iugem atque inuiolabilem ſui retinet puritatem, nec poteſt aliud quid eſſe, quam ſanctitas. Hoc autem fiet, quando iam deſinens caro aduerſus ſpiritum concupiſcere, deſiderijs eius virtutique conſenſerint, cæperintque ſibi inuicem pace firmiſſima fœderari, & ſecundum pſalmigraphi ſententiam *habitarint fratres in vnum,* illam repromiſſam a Domino beatitudinē poſſidentes, de qua ait: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a patre meo, qui in cœlis eſt.* *in qua requieſcit.* Quiſquis ergo intellectualis illius Iacob, ideſt ſupplantatoris tranſcenderit gradum, ab illa continentiæ colluctatione ac ſupplantatione vitiorum, obſtupefacto femoris neruo, ad Iſraelis meritum perpetua cordis directione conſcendet. Quem ordinem etiam Beatus Dauid, ita Spiritus ſancti vaticinatione deſcripſit, imprimis inquiens. *Notus in Iudæa Deus.* ideſt, in anima, quæ adhuc ſub peccatorum confeſſione detinetur. Iudæa enim, confeſſio interpretatur. *In Iſrael autem,* ideſt in eo qui videt Deum. ſiue (vt quidam interpretantur) rectiſſimus Dei eſt non ſolum notus, ſed etiam *magnum eſt nomen eius.* Deinde ad ſublimiora nos prouocans, ac volens etiam locum ipſum, quo Dominus delectatur oſtendere: *Et factus eſt,* inquit, *in pace locus eius.* ideſt. non in conflictu certaminis, & colluctatione vitiorum, ſed in caſtimoniæ pace, & in cordis tranquillitate perpetua. Hunc igitur pacis locum extinctione carnalium paſſionum, ſi quis meruerit obtinere, ex hoc quoque, proficiens gradu, *ac Syon* ſpiritalis, ideſt ſpecula Dei conſequenter effectus, *erit etiam habitatio eius.* Non enim in conflictu continentię, ſed in iugi virtutum ſpecula Dominus cōmoratur. vbi iam non retundit, non comprimit, ſed in perpetuum confringit potētis arcum. ex quibus videlicet aduerſum nos libidinum, quondam iacula dirigebantur ignita. Vnde non immerito portæ Syon, cunctis tabernaculis Iacob pręferuntur: *Diligit enim Dominus portas Syō, ſuper omnia tabernacula Iacob.*

Velut in rubo. Ad rubum Moſaycum reuertor. ille quod arderet & non combureretur, Deum in ſe ſuſcepit. Sic etiam homo, carnali concupiſcentia aduerſus ſpiritum accenſus, ſi flammas in medijs flammis connaturalibus reſtinxerit, neque ijs peruſtus fuerit, dignum Deo habitaculum efficitur. *aut in fornace Babylon.*

Chaldaicę fornacis flamma, quod innoxio igne, trium iuuenum corpora

pora circumdauerit, non vero aduſſerit, ſed neque vero aut capillos eorum, aut fimbrias odore igneo afflauerit, meruit eſſe receptaculum Dei, in ſpecie humana inter eos ambulantis. Sic etiam corpora noſtra ſi ardore innocuo, ſine quo nemo fere ſanctorum in terra, animam ambiuerint, neque concupiſcentiæ flammantis aliquod veſtigium in animo reliquerint, dignum Dei vnigenæ conceptaculum reddentur, qui dicit per prophetam, *Cum ambulaueris per ignem, non combureris, et flamma non ardebit te. quia ego tecum ſum, dicit Dominus.* Sed ad alia calceamenta accedo.

2. humilitatis. Caſtitatis cothurno, adiungendus eſt alter humilitatis. Et merito. Superbia expulit a Deo Luciferum. eadem ex paradiſo eiecit Adamum. eadem Babylonios ſtructores diſperſit. nec aliquid tam cito diſiungit a limine ſuperno, quam iſta. jtaque humilitate nitendum eſt ei, quicunque cupit aſcendere ad Deum, aſſidere Deo & conuiuari cum Deo.

eius dogma. Pariant inter ſe creatio orbis, plaſmatio hominis, & recreatio atque reformatio eiuſdem. Creauit omnia ex nihilo Deus: vult etiam recreare ex nihilo. Quo nihilo? Non alio, quam humiliati ſpiritus, qui vilem & nihili ſe reputat ante oculos maieſtatis ſublimis. Formauit quoque hominē de limo terræ, ad hoc vt eſſet princeps vniuerſorum, quæ pedibus eius ſubiecit: vult etiam eundem reformare, ab eodem limo, oculis eius obiecto. Quamobrem per Micheam monebat. *Humiliatio tua in medio tui.* quaſi diceret. Si vis ad altum extollere caput, vt meo conſpectu frui, meoque edulio veſci, & inde in magnum & excelſum euadere deſideras, aſpice non ad caput ſed ad humiliationem, quæ in medio tui eſt. exinde, ſi te deijcies, exaltabis faſtigium vſque ſuper aſtra. *Aſcendet enim homo ad cor altum*, id eſt profundum, *et exaltabitur Deus.* dignus Deo, dignus conſortio, dignus conuiuio Diuino.

Lapillus qui de monte decidit, typus. non aureum caput, non pectus argenteum, non ventrem aut fæmora ærea, non ferream ſed fictilem pedum partem petijt, vt ex comminuta in puluerem ſtatua, formaret montem cunctis montibus excelſiorem. Myſterium eſt. Habemus theſaurum incomparabilem in vaſis fictilibus, animam videlicet, quæ in intellectus & voluntatis principatu auro reſplendet; jn ſenſuum interiorum, argento refulget; in ſenſuum exteriorum ære vel intonat, vel coruſcat; in concupiſcibili & iraſcibili facultate, chalybea conſtat fortitudine. jnque ſumma eſt per omnia ſimilis ſtatuæ, a Nabucho, ex quadruplici metallo fuſæ, ſeu viſæ. Quiſquis itaque in magnum & excelſum, Magni Dei epulo dignum, ſeſe efformare cupit, candidum calculum conijciat decretorium, non in aurum aut argentum, neque in æreum aut ferreum robur, ſed in illud, quod Deus ſtatim a peccato homini iniecit, *Puluis es, et in puluerem reuerteris.* ſcilicet in figulinam ſuam, quę in medio noſtri humiliatio eſt, viam ſternens ad humilitatem, & ex humilitate ad Maieſtatem. tunc magna illi concedentur a magno, ex quibus & ille in momento magnus. Dixit Abraham Patiarcha; *Loquar ad Dominum cum ſim puluis et cinis*: & illico accubuit Deo, epulatur cum Deo. Dixit Dauid Pſalmographus, *Vilior fiam in oculis meis*: & illico vnctus a Deo, deliciatur cum Deo. Dixit Ioannes; *Non ſum dignus procumbens, ſoluere corrigiam calceamentorum eius*: & illico attollitur tam alte, vt tingat Deum, vt ſuſcipia-

scipiatur a Deo. Dixit Centurio, *Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum*: & statim dignus efficitur Deo.

assymbola. Pythagoras inter alia symbolica præcepta, illud etiam Discipulis inculcabat. A Fabis abstineto. is idem tantopere fabarum esum cauebat, & suis interdicebat, vt nec per fabalia iret, aut ire permitteret. Causa non tam physica, quam ethica. Fabæ, flatus generant. & apud Aegyptios erant notæ hieroglyphicæ, Tumentis superbiæ. Dum itaque jubebat, *Fabas ne esto*: &, *à Fabis abstineto*, tumorem animi interdicebat. quod optimè sciret, oculum tumidum, incapacem esse sapientiæ, atque adeo inuisum esse supero & infero orbi. Rectè, & quasi ex sensu Theologico. Nam etiam Isaias dum interrogaret. *Quem*, inquit, *docebit sapientiam*? respondit. *Ablactatos a lacte, auulsos ab vbere*. propter quam rem, Saluator gratias habebat, Patri suo, quod abscondisset secreta sapientiæ suæ, à sapientibus, & reuelasset ea paruulis. idest humilibus & nihili. Porro, quos suo complexu dignetur, humilitatis Magister Iesus, docuit verbo & exemplo. dum iussit, *finite paruulos ad me venire*. & sanxit postmodum. *Nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum*. ex quo euidens est, neque ad consortium & conuiuium Panis Angelorum.

typus. expl. loc. Mich. 4. Sed lubet etiam audire Deum, quo nomine compellet Syon, dilectam habitationem suam, per Micheam prophetam. ita ad eam. *Et tu turris gregis nebulosa, filia Syon, vsque ad te veniet, & veniet potestas prima, regnum filiæ Ierusalem*. Pro *nebulosa*, legunt nonnulli. *puluerosa*, alij vero *fimosa*. eo quod puluere & fimo esset plena multo, a concursu gregum, qui in ea. Porro quare turris? quare gregis? & quare nebulosa, seu puluerulenta, seu fætulenta? Aspexit ad humilitatem eius, ex qua ouem humilem sese reputabat, & vix puluere & fimo Iobi dignam cogitabat. In quo puluere dum sedet, dumque *nebulam sicut cinerem* spargam sibi inuoluit, seque in fimeto Iobi deijcit, merebatur audire, qa Deus *vsque ad te veniet, & potestatem primam* restituet, & *regnum filiæ Ierusalem* cœlestis concedet. in quo ipse conuiua, conuiuium de seipso ministrat castis corpore, puris mente, obedientibus aure, diligentibus amore, humilibus sensu, calceatis calceamento hyacinthino, cœlestis conuersationis.

Ne multus sim, hortor & moneo. *Probet itaque seipsum homo*; quam soleam in pede affectus sui gestet, *& sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*. partemq; ponit cũ ijs, qui Dñm cruci affixerunt. Qui itaque sordes habet in calceamento, audiat sibi dictum. Solue calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, sanctus est. quo soluto, calcietur hyacintho, si vult manducare panem Angelorum ad vitam perennem. Amen.

FERIA

FERIA QVINTA IN COENA Domini.

Accipite & manducate. Hoc est corpus meum. Matth.26.c.

CONCIO.

Cęna Christi esca & potus.



MAGNA & admiranda aspexit olim Ezechiel Propheta, iuxta fluuiũ Chobar consistens. *Et vidi*, inquit, *& ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, nubes magna, & ignis inuoluens & splendor in circuitu eius: & de medio eius quasi species electri, id est de medio ignis. & super firmamentum, quasi aspectus lapidis Sapphiri similitudo throni, & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper, & vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus eius per circuitum, a lumbis eius & desuper: & a lumbis eius vsque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu*. Sed tamen magis admiranda hodie Orbis vniuersus, penes malluuium Cęnaculi vidit, quando Iesus re ipsa præstitit, quod Ezechiel in vmbris vidit. scilicet dum lauisset pedes discipulorum, *misit crystallum* seu electrum suum, *sicut buccellas*, Panis viui, ardentis, flammantisque, qui de cęlo descendit. Hæc mysteria abscondita, recondo & aperio in præsenti.

Circa Eucharistiã quinque symbola. Quinque sunt quæ iuxta fluuium aspexit Ezechiel, 1. Ventum turbinis. 2. nubem magnam. 3. ignem inuoluentem & splendentem. 4. similitudinem throni ad aspectum lapidis sapphiri, 5. & similitudinem quasi aspectus hominis, in speciem electri ardentis a lumbis desuper & deorsum, quem species ignis splendentis in circuitu ambiebat. Eadem quinque, sed iam exumbrata, post loturam hodiernam, ego hodie aspicio. 1. Ventum turbinis, intelligo, *1. ventus.* verbi Dei omnipotentiam, cui non difficile est essentias rerum naturales, quasi conuellere commutareq; vt quod prius fuerat Panis & vinũ, non amplius sit Panis & vinum, sed verum corpus & verus sanguis Iesu Christi. & hic nonnihil subsisto.

Vidistis vnquam flatum Boreæ vehementiorem, quem turbinem appellamus, quod in extremo brumæ, frigore suo, noxiam vetustatem humorum in omnibus viuentibus absumat, nouumq; restituat vitalem substantiæ hyle? Hic si paulo turbulentior flauerit, vredine hyemis desiccatos arborum ramos frangit, vt nouos recenter virentes superinducat. Designat mihi verbum Diuinum. cui quod non difficile fuit cęlum, terram, & omnia quæ in eis sunt ex nihilo creare, non est quoq; impossibile rerũ essentiam siue tollere, siue in aliam commutare. Costam ex Adamo sumptam demutauit in Euam. Idem aquas Aegyptias in sanguinem deformauit. Idem Erithrei maris vndas in rupem conglomerauit. Idem conuertit petrã in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Idem virgam Aaronis succo quo caruit impleuit, & floribus venustauit. Idem porro in nuptijs Chanæ, aquam in vinum transformauit, substantia aquę in substantiam mæraci conuersa. Quo? Imperio solo. Dixit & facta sunt. Mandauit & vel creata, vel recreata, vel immutata sunt, ad nutum Verbi omnia potentis. Quamobrem placuit ei quoque ab hodierno lauachro surgenti, afflatu vehementiori omnipotentiæ suæ, in Panem & Calicem insufflare, & dicto, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*, ab adia-

adiacentibus speciebus substantiam Panis atq; vini quasi auellere, inque Corpus & sanguinem vinum & verum commutare, electreamque similitudinem quasi aspectus similitudinis hominis, suam viuam & ve-
2. nubes. rã, sub symbolis externis occultare.

Magna hæc sunt admiranda fateor. Ideoque nubes magna subsequitur, quæ illa obnubit. ita vt & Antistites Christi Apostolorum plurimi, & ipsi Cælites superni, nõ potuerint comprehendere, mysteria ista abscondita in Pane & Calice Eucharistico. *Nubes enim & caligo in circuitu eius*. vt Psaltes canit. *Posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius, tenebrosa aqua in nubibus aëris*. Manna Hebraicum, quod esset tectum cortice piloso, in similitudinem coriandri, non satis poterant scire, quid nam esset? quove ordine conditum? & qua ratione omnium rerum saporem continens, in id quod aliquis esuriebat conuerteretur? Vnde etiam interrogabant. *Manhu? quid est hoc*? Typus erat Panis mystici, qui quod sit nube varia & impenetrabili inuolutus, a nullo intellectu creato poterat, aut potest comprehendi.

Apostolorum nonnulli in præsentia Christi promittentis, se daturum carnem suam ad manducandum, & sanguinem ad bibendum, non poterant contineri, quin mussarent. *Quomodo hic potest nobis dare, carnẽ suam ad manducandum*? Vnde cum non possent capere verbum istud, multi ex discipulis eius abierunt retrorsum, scandalizati a nube opaca,
3. quæ inuoluebat *Verba*, quæ *spiritus*
Ignis. *erant & vita*.

Post nubem vidit Propheta *ignẽ inuoluentem, & splendorem in circuitu eius*. Ardentem Iesu charitatis flammam designat, quæ in hoc Magno Sacramento satis resplẽdet erga genus humanum. Parum erat amori eius, hominem propria manu plasmasse, atque portionem signati a vultu Diuino luminis impressisse, & ad imaginem similitudinemque suam configurasse. Parum erat liberalitati ipsius, omnia subiecisse sub pedibus humanis, oues, boues, pecora campi, volucres cęli, pisces maris. & in sũma, vniuersa omnia quæ cęli, terræ & maris ambitu vastissimo continentur homini dedisse, Regemque totius orbis illum cõstituisse. Parum erat benignitati eiusdem, quod in terris visus est, & cum hominibus cõuersatus est, alios velut nutritius Ephraim educans; alios velut aquila ad volandum prouocans, inque humeris suis deportans: alios vero inexplicabilibus funiculis Adami, & indissolubilibus vinculis charitatis ad se pertrahens, sibique illigans. quod scilicet cum Abrahamo commessarit, cum Iacobo colluctatus fuerit, cum Moyse perdius & pernox sermones miscuerit, cum Iehosue cõuixerit, Hebræos non semel præsentia sua recreauerit, inque medio eorum, primo in papilionibus, deinde in templo Salomonis habitauerit, multisq; & inæstimabilibus bonis auxerit, ornarit, diuitarit. Parũ erat dilectioni eiusdem, hominis serui habitum assumpsisse, in medio duum animalium nasci, algere, esurire, plorare, sanguinem ex reciso membro profundere, fuga suæ saluti consulere, exilium diuturnum pati: postea in adulta ætate fatigari, flere, vigilare, insidias Pharisæorum cauere, tot beneficia mundo ingrato conferre, & ad extremum, post sanguineum sudorẽ, post vincla, alapas, cõtumelias, post falsas criminationes, post judicium iniquum, post flagra, coronam spineam, arundinem, felia, in Crucis

stipite, ignominiosam & acerbissimam mortem subire pro nobis. longe amplius *emanatio claritatis omnipotentis Dei sincera*, ignem Amoris sui exercere voluit in genus humanum, in hoc mysterio absconditò. Nimirum, vt sicut ignis quicquid perusserit, in se demutat; sic & ille modum inueniret, quo omnes sibi concorporaret, & in seipsum conuerteret. Iam quidem in vnitatem personæ assumpserat Verbum, carnem sibi adiunctam, ex Diua Deipa rente electam. Parum hoc est, inquit, nostro ardori. Omnes quotquot, membra mea volunt esse per fidem regenerantem, volo vt sint per mysterium fidei, Panem & Calicē Eucharisticum, mihi concorporati. Cresce itaque quicunq; magnus cupis esse. Nam ego *cibus sum grandium. Cresce*, aio, *& manducabis me. Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me*.

Magnus amor Matrum est in natos, cum portionem lacteam substātiæ suæ, eliquant in ora puppolum, ex qua illi succrescunt. Maior tamē Saluatoris nostri Iesu, erga nos, qui non in liquato superfluo fluore, quiq; non est corpus maternum, sed in sua quod dicitur veritate, nos oēs suo corpore & sanguine nutriat. & quod Mater filio nō confert, ille cōmunicatione corporis & sanguinis sui, nos in se conuertit.

Sap. 16. Salomon non poterat satis dillaudare, Diuinæ bonitatis argumenta in Hebręos, quando illis manna de cælo paratum ministrauit. Vnde exclamans dixit. *O quam suauis est Domine spiritus tuus. Angelorum esca nutriuisti populum tuū, & paratum panem de cælo præstitisti illi sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Sed hæc omnia nihili sunt in comparatione Mensæ præsentis, in qua non manna liquescens & euanidum, sed pretiosum corpus & sanguinem suum nobis ministrat, quo qui vescitur, non ad mortem vitalem, sed ad vitam immortalem nutricatur, commutatus in Deum quēdam terrenum.

Vidit quartum Ezechiel, nimirum. *Similitudinem throni, aspectu lapidis Sapphirini*. Accidentia panis & vini, insinuat similitudo ista throni; sub quibus, tot quot sunt numero distincta, idem numero Corpus & sanguis Iesu Christi perseuerat. Sapphirus p igneum calorem a cyaneo colore depuratus, inque albicantem adamantem eductus; si opere angulari, thessellarum multarum insimul iunctarum instar polliatur, tot quot thessellas habuerit, tot instar speculorum tersorū existens, vnius eiusdemque hominis eosdem vultus vnicos, totidem repręsentabit & quod speculum in partes, vel minimas fractum, iuxta singulorū fragmentorum portionem, singulas facies refert, hoc Sapphirus tali posi tura angulari expolitus referet. Assimiles sunt species Eucharisticę panes & vini. Da centum, da mille, da mille millia, da in Europa, in Affrica, in Asia, & in recens noto orbe, propter eiusdem ordinis Sacramentalis homogeneam qualitatem, in omnib. idem est verum corpus, & verus sanguis Dñi nostri Iesu Christi. Propter verbum illius quod dixit. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*. Quamobrem Doctor Angelicus docebat. *Fracto demum Sacramento, nō vacilles sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur*.

4. Thronus.

Timantis pictoris laudatur ingenium, qui cum in parua tabella, immen-

mensum Gigantem depingere vellet, vmbris colorum effinxit quidem illum in speciem magnum. Cæterum, vt magnitudo eius magis intelligeretur & conijceretur quam conspiceretur, a lateribus eiusdem pinxit duos Satyros, qui minimos digitorum ipsius manus, virgis pastoralibus dimensurarent. Vt ex hac excedente mensura, excedens mensura Gigantis colligeretur. Longe tamen sublimior potentia sapientiæ Diuinæ, per quam in tam pusillis speciebus panis & vini, panis viuus de cælo descendens, Iesus filius Dej totus & integer continetur. Dum in pusillo vtero virgineo, pusilla carne induendus erat, demonstrabat illum Gabriel Angelus, dicens ad Mariam matrem futuram. *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*. Dum etiam in pugillo triticeo exigua albedine, rotunditate, & sapore panis, vel modica stilla vini, quod non amplius vinum continetur, demonstrat illum magnum, non minimus Propheta dicens. *Erit firmamentum in terra*. seu vt Caietanus legit. *Erit vola tritici*. siue vt D. Hieronymus. *Erit memorabile triticum, in summis montium, & in capite montium*. Quis vero? Non alius quam ille, cuius in eodem Psalmo laudes amplificauit. Cuius si antiquitatem & perennitatem inquiris? *Permanebit cum Sole & ante Lunam, in generatione & generationem*. Si natiuitatis temporaneę modum? *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram*. Si potestatis amplitudinem? *Dominabitur a mari vsque ad mare, & a flumine vsque ad terminos orbis terrarum*. Si maiestatis excellentiam? *Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei*. Si officij dignitatem? *Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Liberabit pauperem a potente, & pauperem cui non erat adiutor. Ex vsuris & iniquitate, redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo*. Si denique felicitatem jmperij? *Orietur in diebus eius justitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna*. Hic itaque tam magnus, tam sublimis, tam excelsus, quo nemo maior Regum terræ, *erit vola tritici*, seu buccella panis, dum sub modica panis quantitate albicante, totus integer contineri sustinebit.

expl. Ver. Ps. 71.

5. *Aspectus hominis electrei.*

Hic jam sponte exilit, de medio throni crystallini & Sapphirini, ille qui in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus est vt homo, Iesus Christus verus Deus & homo, in Pane & calice Eucharistico assiduus. Quem dum in specie electri effulgentem, Propheta enunciet, profunda in eo mysteria jnsinuat.

Electrum alij volunt esse, gummi seu lachrymam succumve ex arboribus pinei generis profluens, quod a latinis succinum dicitur, albicans vel flauescens. Alij ex saxis defluentem liquorem, sed maris aerisque frigiditate, in eam quam videmus duritiam diaphaneam concretum, diuersa ratione siue torno, siue celte figurari & formari aptū. Alij porro quoddam metalli genus aiunt esse electrum, quod Plinio autore, ex quatuor auri, quinta vero argenti portione commixtum est. Siue pro metallo, siue pro gemma gummea vsurpetur, Saluatorem nostrum recte designat, qui siue in naturali, siue in sacramentali ordine, fuluet auro Diuinitatis, fulget argen-

 to

to humanitatis, assumptæ & pellucet splendore spirituali quà Deus spiritus, rutilat autem flauedine colorata, qua homo corpulentus.

D. Thomas, non minus erudité quam eleganter applicabat, typum Iacobi hedinis pellibus amicti, ad hoc Diuinissimum Sacramentum. Infidelitatis, *inquit*, remedium exigit, vt veletur corpus Christi: quatenus culpę infidelitatis, respondeat modus congruus satisfactionis. Vnde sicut primorum parentum incredulitas, incepit ex auditu verbi Diaboli, suadentis cibum, habentem mortem velatam, & in eo sunt sensus eorum vane delectati: Sic congruit vt fides saluandorum incipiat, ex auditu verbi Saluatoris, suadentis cibum habentem veram vitam absconditam, & in quo nostri sensus pie sunt decepti, præter auditum: vt sit fides ex auditu tantum, & non ex visu, vel alijs sensibus, auditus autem per verbum Christi. Hoc pulchre figuratur Genesis 27. in benedictione Iacobi; vbi sensus Isaac sunt decepti, putantis sentire Esau, dum sentit similitudinem eius, qui velatus erat Iacob. Vnde sciendum est, quod in illa figura Dominici corporis, quatuor erant personæ. Scilicet Isaac & Rebecca, quasi masculus & fæmina, q̃ significant duas naturas in nobis, id est, corpus & animam. Masculus qui magis solet esse manifestus, & exterioribus plus intendit, significat exteriorem hominem, id est, corpus cum suis sensibus: fęmina quæ domi residet, & familiā regit, interiorem hominem, id est animam, quæ salutis suæ & aliorum gerit curam. Iacob bonus & formosus, habitans in tabernaculis, quē diligit Rebecca, id est, fidelis anima, significat verū corpus Christi. Esau quem amabat Isaac, idest corpus, eo quod de cibis suis vescitur significat substantiam panis cum suis accidentibus, scilicet, colore, sapore, & cæteris. Dum itaque Isaac, quasi homo exterior, idest, sacerdos benedicere debet, Esau, id est substantia panis recedit: sed similitudo Esau, scilicet, vestes cum odore, pelles pilosæ: cibus cum sapore, idest accidētia panis, siue similitudo, scilicet, color, sapor, odor, durities manent circa Iacob, & sensus nostri falluntur. Ibi visus fallitur Isaac caligynosi, idest, debilis corporis nostri. quia putat præ oculis habere Esau, idest panem. & tantum vestes eius, scilicet speciem panis, & sub illa latet Iacob velatus, idest corpus Christi. Ibi fallitur gustus, quia putat comedere cibum Esau, idest, panem. & gustat tantum similitudinem eius. Ibi fallitur olfactus, quia putat sentire odorem Esau, idest panis, qui vere non est ibi. sed sentit odorem vestimentorum eius, idest formam panis. quibus vestitus est Iacob, idest corpus Christi. Sapiens erat Isaac, sed in judicio cognoscēdi Esau fallebatur: sic homo noster exterior, in judicio panis altaris fallitur, præterquam auditus. Vnde ait. *Vox quidem vox Iacob, manus autem manus sunt Esau.* Dicens, Manus quas tāgo, manus sunt Esau, nihil falsius. sed vox quam audio dicentem, *ego sum*, vox est Iacob, nihil verius. Similiter. Sacramentum quod tango, substantia panis est. Nihil falsius. Vox Christi dicentis. Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Nihil verius. Infidelitatis igitur remediū exigit, quod corpus Christi velatum detur; vt quia sensus primi hominis in cibo perditionis vane delectabantur, sensus nostri corporis, in cibo benedictionis ad instar Isaac decipiantur. ita tamen quod Rebecca, idest anima in fide sua non fallatur: sed credat in benedictione sa-

cra

era, vere esse Iacob, idest Corpus Christi: velatum similitudine Esau, idest, specie panis. Istud enim Domi nus pollicebatur se daturum dicens. *Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.*

expl. loc.

Osea. 11.

Nam antea per prophetam Oseam prodixerat. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. & ego quasi nutritius Ephraim, declinaui ad eum vt vesceretur.* Inter homines quidem, vulgatus est modus conciliandi amorem, panis quem quis non parca manu offert amico ad vescendum: cæterum Deus cum sciret desiderium hominis expressum a Iobo dicente *Quis det nobis de carnibus eius, vt saturemur?* non iam pane simp ici, sed corpore & sanguine suo, sub speciebus panis & vini voluit nos sibi conciliare. Itaque ipse ad nos declinauit, suamque maiestatis bonitatem, in exilia hæc tegumenta inclinauit quasi nutritius Ephraim. vt non alio, sed ipso vesceremur. Bene D. Gregorius. Bonus, *inquit*, pastor Dominus animam pro ouibus posuit, vt in Sacramento nostro, corpus suum & sanguinem verteret, & oues quas redemerat carnis suę alimento satiaret. Et in hoc est expressio summæ largitatis, & amoris præcipuè. Magnum est, dare se in socium peregrinationis? Dedit Christus. qui iter faciebat per Ciuitates & castella prædicans & euangelizans Regnum Dei. Magnum est, obligare se in seruum necessitatis? Obligauit tamen se Christus, qui venit ministrare, non ministrari, & qui non semel dixit atque testatus est: ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Magnum est offerre se in pretium redemptionis? *Filius tamen hominis venit da re animam suam in redemptionem pro multis.* Et vt Paulus ait. *Christus dilexit nos, & tradidit se pro no bis hostium & oblationem Deo, in odorem suauitatis.* Maius tamen donum est, distribuere se in cibum & potum. Cum se dedit in socium, in seruum, in pretium, non adeo nos sibi adiunxit, vt non separetur quandoque a nobis. sed cum se dedit in cibum, non se communicauit, ad aliquam separationem, sed ad omnimodam vnionem. Vniuntur enim in vnitate corporis, cibus & sumens. itaq; recte dixit. *Qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.*

Matth. 20.

Philip. 2.

Hanc suam in Sacramento Eucharistiæ comunicationem, declarat Saluator, dum communicantiũ animas inalbat, ardorem libidinis restinguit, a cogitationibus prauis retrahit, decore castitatis exornat, feruorem charitatis adauget, saporem suauitatis cælestis colliquat, mentemque ad debellanda dæmonia, ad sustinendum aduersa, & ad faciendum bona omnia confortat. Dispungo singula. Qui manducat hunc panem, inalbatur. ita mystice insinuauit Psaltes, cum dixit. *Niue dealbabuntur, in Selmon.* Selmon mons Dei est, & interpretantur vmbra. & interprete Glosa, Corpus Christi significat. quia sicut vmbra fit de corpore & de lumine, ita in corpore Christi est lumẽ Diuinitatis, & caro humanitatis. In hoc ergo monte vmbroso, super niuem dealbantur fideles, quia virtute corporis Christi, a macula peccatorum emundantur. per eum qui ait, *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas pp me.*

Vsus sanctissimi Sacramẽti confert has vtilitates.

1. Inalbat.

Qui manducat hunc panem, in ardore libidinis refrigeratur. Non abs re antequam manna decideret, *mane ros iacuit in similitudinẽ pruinæ super terram* significabat, quia panis cælestis in similitudinem roris & pruinæ de cælo descendit, qui gratiæ irrorатione potis est restinguere,

2. refrigerat.

Exo. 16.

fornacem internam cupidinis ardentis.

3. retrahit. Qui manducat hunc panem, a cogitationibus prauis retrahitur. Fasciculus enim myrrheus est dilectus, in hoc sacramento. qui sicut myrrha seruat corpora, a vermibus & putredine incorrupta, ita ille animam a cogitationum serpentibus illæsam.

4. castificat. Qui manducat hunc panem, castitate immaculata sese exornat. Poterant apparere vultus trium puerorum in Babylone, meliores venustioresque præ cæteris qui vescebantur cibo regio: sed tamen longe a castitate speciosiores sunt eorum animæ, quos panis satiat qui de cęlo descendit. Quamobrem audio cuidam Ezech. 16. ex sponsis dictum esse, *Similam, & mel, & oleum comedisti, & decora facta es vehementer*, propter pulchritudinem castitatis, a frumento & vino, quod, vt alter Propheta prę dixit, germinat virgines.

5. inflammat. Qui manducat hunc panẽ, ignescit feruore charitatis. Nam corpus Christi in hoc Sacramento, iuxta Eccl. 32. quod sapiens dixit, *Gemmula carbunculi est, in ornamento auri*, quod & ornat castitate, & inflammat charitate, propterea, quia, *ignis a facie eius exarsit carbones succensi ab eo*, vt psaltes aiebat. Puer, quem accubuus Elizeus refouerat, statim incaluit, atque reuixit. vt est in historia 4. Reg. 4. regum. nõ potest etiam anima non incalescere, quando ignitum electrum repræsentans similem filij hominis, ignuerit frigentem, atque isto se applicauerit algenti.

Gen. 49. 6. indulcat. Qui manducat hunc panem, indulcatur suauitate celesti. *Pinguis est panis Asser, præbens delicias regibus*. Quamobrem sponsa saginata & inebriata ab hac mensa cœlesti, memoriam dulcedinis eructa-Cant. 5. bat dicens. *Comedi fauum cum melle meo*. idest dulcedinẽ carnis Christi, cum dulcedine Diuinitatis reconditæ. *Bibi vinum cum lacte meo*, idest dulcedinem sanguinis Christi, cum dulcedine spiritualis consolationis. Si enim in vmbra panis huius manna, substantiam & dulcedinem, quã in filios habebat, ostendebat; quid non magis eliquat melliginem suauitatis, quam nullus gustus gustauit, in hoc fauo mellis, in hoc bothro mellis?

Qui manducat hunc panem, roboratur ad debellandas spirituales potestates. Poterant filij Israel, offerente agnũ Samuele, exterritum a Domino Philistæum, ad internecionem cæcidisse. Poterat Dauid refocillato puero Aegyptio adductus ad latrunculos, eosdem percussisse. Poterat panis subcinericius castra Madianitarum prostrauisse. Magis tamen hæc hostia, hoc edulium, hic panis prosternit Principatus aereos, propter eum qui dixit. *Nunc judicium est mundi. Nunc princeps huius mundi eijcietur foras*. 7. roborat contra dæmones. 1. reg. 7.

Narrabo vnum insigne, quod S. Prosper narrauit de quadam puella Araba, ancillæ Dei habitum gestante. Hæc, quod in balneo lauans, simulachrũ quoddam Veneris impudice respiceret, & seipsam ei consimilaret, domicilium se Diabolo præbuit. Qui mox ingressus, eius guttur occupans, nullumq; cibum aut potum deglutire permittens, per septuaginta ferme dies, totidemque noctes, nullo tamen inediæ signo apparente eam detinuit. Ad sacerdotem producta, fatebatur auem quandam noctis medio apparere, quę sibi ore, nescio quid infunderet. Deducta postmodum in monasterium puellarum, in quo reliquiæ S. Stephani sitæ erant, illic, prima tantum die apparuisse auem illam dicebat, & increpasse, ne locũ Baro. an. 439.

illum

illum accederet, quo sibi accedere non liceret. Per duas hebdomadas nihil cibi vel poculi sumpsit. Porro is Dominico adueniente die, cum sacrificium offerendum esset, perducta ad altare, populo instāte precibus, cum particulam Dominici corporis tinctā a sacerdote perceptam, mandens per horam traijcere nō valeret, calicem Domini eius gutturi sacerdos applicuit, & statim, vt locum illum quem Diabolus obsederat, Saluatoris jmperio reliquit, sacramentumque quod ore gestabat, cum laude redemptoris, transglutisse puella clamauit. Hinc lætitia, hinc voces in gloriam Dei, de puella eruta, à potestate Diaboli, virtute panis qui non panis.

8. *in tribulatione cōfortat.* Qui manducat hunc panem, confortatur ad sustinēda aduersa. Cuipiam dictum, ad omnes expendo. *3. Reg. 22.* *Mitte istum virum in carcerem, & sustenta eum pane tribulationis.* scilicet. jn carcerem mittitur, qui in hoc mundo aduersitatibus varijs affligitur: Deo ita vel iubente, vel etiam permittente. sed tamen ille qui præcipit vel permittit, dum aliquem perire non sinit, præcipit indidem, panem tribulationis frangere huic qui afflictus. qui non alius est, quam de cęlo descendens, & cœlestibus delicijs animū recreans & cōfortans. de quo Dauid aiebat. *Ps. 22.* *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.*

9. *prou. vlt. ad operādum erigit.* Qui manducat hunc panem, fortis efficitur ad operandum bona. Illa verba Prouerbiorum, Mulier fortis *de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis*, pręclare exposuit D. Thomas. Mulier fortis est Ecclesia de gentibus. Hęc de nocte surrexit, quia per auditum verbi, de tenebris peccatorum, ad Christum se conuertit. Prędam domesticis & cibaria ancillis dedit; quia Sacramenta Iudeæ missa, quę suscipere noluit, hęc cum omni desiderio rapuit, & de eis familiam, id est fideles pauit. nimirum ad bene operandum. Qui enim hoc cibo pastus, omnia potest in eo, qui illum confortat Christus. Cibus ille est grandium: Qui gigas est, potis est magna operari. Cibus ille, demutat in Christum: Qui Christo concorporatus est, potis est Christo digna operari. Cibus ille nutrit ad vitam non hanc temporaneam sed ęternam: qui hoc nutricatus est, potis est vitę ęternę opera operari. Ardebat ille, qui in specie electri apparuit, & sursum, & deorsum a lumbis, qui totius hominis meditullium; & ille qui manet in Christo, illi per esum & vsum vitalis alimonię incorporatus, extincto ardore flammantis libidinis, poterit si voluerit, amore gemino, scilicet Dei & proximi feruere, in vitā ęternam ex hoc pane. quem qui manducat, & qui bibit consequaneum sanguineum, & qui beatur Diuinitate concomitante, viuet in ęternum. Amen. 10. *dilectionē Dei & proximo accendit.*

FERIA SEXTA IN PArascheue.

CONCIO.

De Quinto mysterio SS. Rosarij. Crucifixione Iesu.



NIMIS atrox facinus Abraham Patriarcha aggredi visus est, cum Diuinæ jussioni obsequens ædificauit altare, desuper ligna composuit, alligatum Isaac filiū suum in eodē super struē lignorū proiecit, extendensque manum ad gladium, voluit trucidare dilectum. In pectore senili duellabant

labant inuicem, hinc, Autoritas, hinc pietas, illi non obsequi durum, hanc violare acerbum. Tamen vicit Dei reuerentia, & id quod pietas paterna exhorrebat, manu licet trepidante perficere adnisus est; vt in iugulo dilecti filij absconderet ferrum. & immolati sanguine tingeret Aras Dei. At longe magis atrox scelus tentauit hodie patrare Abrahami soboles, dum suæ immanitati obtemperans, Iesum lætitiam & desiderium seculorum, super Gabalum extendit clauis confixit, lancea confodit, inque Ara maledicta tanquam vnum ex maledictis trucidauit. Abraham non nisi coactus? Filij Abrahæ volentes, insuper & gaudentes ferrum stringunt. Ille a Diuino mandato, isti a propria ferali feritate. Ille filium, hi Deum: Ille dilectum, isti ipsam Orbis dilectionem; funibus ille, hi clauis; ille in altari, isti in patibulo Iesum Regem Regum, Dominum Dominantium, Dei vnigenigenam, Angelorum & hominum delicium, affixerunt; & quod Abraham Isaaco cogitabat tantum, isti opere perpetrarunt, cum Deum Verum, Conditorem, Parentem, Beneficum innocentem occiderunt. De hoc mysterio gemina mihi hodie dissertatio. Altera erit de virtutibus in cruce pendentis; altera de Beneficijs a Christo crucifixo, in genus humanum deriuatis. pietatem illa depanget, hæc grati animi significationem postulabit.

Antithesis oblationis Isaac & Christi.

Gen. 22. Cum audio Deum jubentem Abrahamo; *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum, super vnum montium quem monstrauero tibi*, Magnã Autoritatem vitæ mortisque Autoris reuereor, quam exercet in tentando Abrahamo: dum præcipit hunc vnicum, quem ad semen multiplicandum sterili concesserat, in sacrificium immolare. Cum vero video Abrahamum statim de nocte surgentem, asinum sternentem, necessaria ad sacrificandum parantem, duobus comitatum adolescentibus, Isaacum fasce lignorum onustatum in montem ducentem, & cum venisset ad locum designatum, altare extruentem, ligna in struem componentem, mox filium dilectum denudare, vincire, altari imponere, ignem succendere, gladium in necem eius stringere; non possum non exclamare, O religiosas animas, o fortem mentem, ò rationem vincentem humanam naturam. Quid hic admirer, & obstupescã justius? Fortemne spiritum Patriarchæ, an pueri humilitatem, obedientiam, patientiam, addo, & charitatem? quod ille Deo obtemperans, in viscera propria voluerit sæuire, hic vero Patri obediens neque reluctatus est, neq; factum ęgre tulit, sed cessit his quæ a patre facta sunt, & sicut agnus cũ silentio super altare accubuit, dexteram patris patienter expectans? Mirandum hoc ipsi Deo fuit spectaculũ, quod in scena montis Moriah, orbi spectandum Abraham repręsentabat. Sed magis admirandum est, quod die hodierna in monte Golgotha Deus & Dei filius exhibebant.

Non valde miror Abrahamum, quod tulerit Isaacum jmolandum. Miror & vehemẽter miror Deum, quod filium suũ vnigenitum Deum tradiderit cruci affigẽdũ. Erat quod cogeret Patriarcham maiestatis supernæ reuerentia; non erat quod Deum Patrem constringeret, quæ constrinxit Amoris humani violentia. *Sic enim dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Non etiam valde miror Isaacum, quod tã promptus Patri obedierit: cogebat enim

enim patris, & imprimis Diuinæ voluntatis præceptio; valde & maxime demiror, nostrum Iesum, quod seipsum voluntarie obtulerit, cum non tantopere vrgeret Dei patris præfinitio, quam amoris nostri insinuatio. Ipse tamen cum prius asello vectus in Ierosolymam processisset, & aliquot comitatus discipulis in Olíueto orasset, & inibi sanguineo sudore hortum plantationis nouelle irrigasset, inque domo Annæ & Caiphæ depalmari, in carcere ad stipitem laniari, in prætorio iniuste condemnari, ad columnam flagellari, corona spinea vulnerari: a militibus, a carnificibus, a plebe promiscua conspui, derideri, conculcari sustinuisset. hodie in montem visionis conscendens patitur denudari, clauis configi, in cruce extolli, inter latrones reputari, fel & acetum gustare, sannas, opprobria & blasphemias audire, & tandem ad extremum, mortem non minus acerbam quam ignominiosam obire, ita vt cogar exclamare. O inuictum animum, ò humilitatem profundam, ò infractam patientiam, ò charitatem immensam. has enim quattuor præcipuas virtutes intueor, in quadrilatero Altari noui Isaac.

1. *Obedientia Iesu, quãdo ad mortem properabat.* Obedientiam inprimis in basi crucis intueor. Magna fuit in Abrahamo, magna in Isaaco, fateor. non est tamen quod componatur cum obedientia Iesu. Quid magnum si vilis homuncio obtemperat Deo? Magnum si Deus Deo, & si Rex Orbis vniuersi, Deo. Deo obtemperarunt illi ad mortem, sed nec etiam ad certam mortem. Nam Abraham sperabat pro Isaaco dilecto, aliquam victimam aliam supponẽdam a Deo. Vnde percontanti filio de holocausto dixit, *Prouidebit sibi Dominus.* Iesus autem obediuit Patri vsq; ad mortem, & vsque ad certam indubitatamq; mortem.

Memini Lotho Deum præcepisse: *Salua animam tuam. Noli respicere post tergum; nec stes in omni circa regione, sed in mõte saluum te fac.* *Gen. 19.* Obediuit Sanctus properare, nec retro respicere, retrouersa tamen vxore. Iesus autem cum exaudijsset longe strictius edictum, vt pergeret in Golgotha, in quo saluaret genus humanum, & quà Deus & quà homo exultauit ad decurrendã viam, quę denunciabatur, passionis.

Magnopere laudanda erat in seruo emptitio apud Hebræos promptitudo, qui vertente septennio, vel appetente anno Iubilæi, licet ad pileum via esset, tamen eligebat Dominica iussa tolerare, quam ad auream libertatem emancupari. Nota est lex de his qui manumissioni renunciabant. *Si* inquit, *dixerit seruus; Diligo Dominum meum, & vxorem ac liberos, nõ egrediar liber: tunc offeret illum Dominus Deo, & applicabitur ad ostium & postes tabernaculi, perforabitque aurem eius subula, & erit ei seruus in seculum.* *Exo. 21* Magnopere inquam laudanda erat in seruo, & parendi promptitudo, & doloris in foratione auris tolerantia, qui libertatem quæ non bene toto venditur auro contemnebat, & seruitutem præoptabat. Sed magis prędicanda est Saluatoris Iesu obediendi vsque ad mortem electio. quod vsque ad mortem obtemperare Patri cõstituerit, dicens, *Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico, retrorsum non abij.* Quid vero o bone Iesu tãtum aurem memoras foratam? An te non manebant quattuor claui? an lanceam diram non expectabas? an totum corpus & caput ab his qui te velut apes circumdederant, quasi aculeis apertum non ostendebas? Esto (poterat respondere) tamen ego, mi Pater, *ser-*

uus tuus, & filius ancillæ tuæ. non mea, sed tua fiat voluntas. tamen ego ò mortales, *veni ministrare non ministrari.* nam *seruire me fecisti* ò homo, *in peccatis tuis*: tamen, licet nō auris tantum, verum totum corpus mihi aperiendum est, ego corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam nō auerti ab increpantibus & cōspuentibus in me. Fodiant manus, configant pedes; aperiant latus, discindant pectus, dinumerent ossa mea: ego tamen obedio vsq; ad mortem.

Poterat quondam Hebraicus seruus sempiternæ seruituti sese subijcere, inque eius symbolum permitti perforare aures, vtpote qui a seruitute plurimas sibi vtilitates pollicebatur: nempe quietam ab omni cura viuendi rationem, auctionem beneficiorum, amorem vxoris quæ non tam eius quam Domini censebatur, procurationem filiorum, qui non illius sed Domini foret: at Christus totum se configi, & vsque ad extremum halitum obedire passus est, non suæ quam nostræ vtilitatis causa. Nobis enim ab eius morte seruili, sapientia exuperás omnem sensum prædicabatur. Nobis iustitiæ polymita ex eius denudatione induebatur. Nobis sáctificationis decus, ex eius vulneribus parabatur. Nobis qui gratis venundati seruitutem duram seruiuimus, redemptionis lytrosis ab eius sanguineis guttis numerabatur.

2. *Humilitas Iesu quádo nudabatur.* Obedientiæ truneo superstructā humilitatē aspicio in veteri Isaaco, magis vero in meo Iesu. Superbum genus Adami doctum a prothoparentibus, amat non confundi sed honorari. Sic illi adhuc in paradiso confusioni tegendæ, ficulnea velamenta sibi assuerunt. Sic & omnes expediti, ad excusandas excusationes in peccatis. Amauit Isaac humilis a Patriarcha expoliari: amauit & Iesus deductus in montem, non tātum denudari, verum etiam inter latrones in Calua extremæ confusionis collocari.

Risit impius Cham Noë denudatum: risit perfida plebs Iesum expoliatum. Exhorruit Sinagoga Aaronem, inter viuos & mortuos suffitum incendentem; abominata est eadem impudens Iesum Pontificē inter duos profastos pendentem. Contempsit populus Isaiam ex Dei præcepto nudum ambulantem; magis vero exsibilauit Iesum Prophetarum Principem, plebs promiscua, in tanta ignominia non se obnubentem. Adductus itaque in Golgotha nūdatus fuit vestibus, ille qui cęlos stellis, terram floribus vestit; vt turpitudinem nostrā operiret, & qualis in Paradiso primus Adam conditus est, talis in Paradisum secūdus Adam intraret. Expoliari igitur se permisit vt innocentiæ vestem nobis recuperaret. Coram omnibus nudari sustinuit, ne nos nudi coram oculis Maiestatis eius statueremur. Confusionem passus est, vt nostram confusionem in se reciperet, & superbiam nostram confunderet.

Lego apud Plutarchum, Milesias virgines, quotquot erant ferme in Ciuitate, nullis causis nullisque rationibus motas quondam suspendio vitam finientes. Quod cum acciderct in dies crebrius, nec his mori perseuerātibus, vlla quiret adhiberi medela, decreuerant Milesij eas virgines, quæ suspendio morerētur, nudas cū laqueo efferri. Lato decreto & promulgato, quas metus mortis a laqueo prohibere non potuit, retraxit verecundia confusionis. Nullæ enim postea repertæ fuerūt, quæ voluntariam eam mortem incurrerent, pudore solo perterritæ, funeris tā inhonesti. ingenuo enim sangui-

ni

ni denudari,quasi pro morte est.Tamen sustinuit Iesus & expoliari, & nudus stipiti appendi, & inter latrones collocari. vt humilitate ipsius expleretur vaticinium prophetarum. ego autem, *opprobrium hominum,& abiectio plebis.*& *Tota die verecundia mea contra me est,& confusio faciei meæ cooperuit me.* Aliorum quidem Sanctorum pudorem, mirando aliquo tegumento obnubuit: Agnetis,lumine diffuso.Luciæ,crine dispanso,Andreę nube corrusca:ipse autem tulit reuelari corpus.vt nos suppuderet ignominiæ nostræ, quã sæpe impudentes ostentamus.

3. *Patiētia quando cruci affigebant.* Sed audiamus tolerantiam nostri Isaac Iesu Redemptoris.Nudato eo, in maioris tristitiæ argumentum in eius oculis crux aptabatur, & ara in qua immolandus erat verus agnus præparabatur. Perterebrata cruce, mox impietatis ministri, rabido furore Christum spinis adhuc coronatum in eam proijciunt. O cælum, terra mare.Num alibi tristius specta culum vidistis? Læuam primo arripiunt, clauo pollicali crassitudine acuto, malleorum ministerio cruci ita affigunt, vt volæ carnem intra foramen clauus secum raperet,vt non adfixam sed adferruminatam crederes fuisse. Pari immanitate, immaniori tamen tortura ad dexteram procedunt.Distabant nimis foramina, neque extensis manibus respondebant. Insuper & nerui, (vt fieri solet)ad mutua subsidia contractiores redditi erant cumq; dextera caueruulæ applicaretur, minime pertingebat. Alia itaque sæuitiæ instrumenta quærunt, funibus hinc inde ligatis.alij sinistram rursus vinctam ne erumperet solicite alligant. alij tamdiu dextram tendunt,donec claui loco sese accomodaret, eamq; diris ictibus clauo datis aperiunt & affigunt. Deinde & pedes quoque eadem atrocitate cruciant,trahunt, expandunt,clauis geminis traijciũt, non sine poplitum & compagum omnium dissolutione.vt neruos,venas,fibras, ossaque singula numerare posses, nullaque ruga in corpore maneret. Sic igitur nouus *Isaac* super aram & fascem quem tulit in humeris extenditur.Sic prophetica *Cithara* Dauidis tensa est. & quod ille præcinuit, *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea impletum est.* Sic immaculatus *agnus* in nullo oblatrans, nec os suum aperiens ad occisionem ductus, in altari crucis immolandus durissime ligatur imo affigitur. Sic *serpens* mysticus, in stipite præalto suspenditur. Sic subleuatur *hostia* Deo gratissima,sacrificium vespertinum, precium mundi. Sic *arcus* æternæ pacis,& optatæ confœderationis extenditur. Sic nouus *Moyses* cancellat manus suas, vt Madianitas inferiores prosternat. Sic nouus *Salomon* ferculum de lignis libani conscendit, ascensum eius purpurauit, & media eius seipso constrauit propter filias Ierusalem scilicet propter nostram salutem. Huc, igitur oculos & aures intende ò Christiane. Multa hactenus passus fuit Christus, sed in sola carne. Nunc venitur ad extremum, & intimam medullam, summamque dolorum. Nunc nerui & ossa examinãtur, qui dolor est vehementissimus in manibus & pedibus,vbi ita conueniũt, vt non nisi magna vi & intensissimo dolore seiungi possint. Verum ita oportebat Christum medicari peccatis nostris. Quia enim in homine à planta pedis vsque ad verticem capitis,nulla erat sanitas,idque tam externe quam interne: ideo oportebat vt Christus omnibus pœnis obijceretur. Extendit igitur brachia ad indicandum, quod inique

& præpostere manus nostras interdictæ arbori inieceramus. Pedes, eo quod velociter ad malignum currentes a serpente vulnerati dolebamus. Caput coronatum in cruce eleuauit, vt ostenderet male cessisse nostro capiti, eleuationem capitis capitoli, quod iam tum in Caluariæ monte conculcabat.

quãdo vinum cũ felle mixtum, ei porrigebant.

Dolori accumulando porrigunt ei vinum cum felle mixtum. Bene, bene ostenditis, quia non ex vano de vobis conquærebatur. *ego plantaui vineam electam, omne semen verum; & illa conuersa est mihi in amaritudinem. expectaui vt faceret vuas, & illa protulit labruscas.* dum fel draconum & venenum aspidũ insanabile, de vestris promptuarijs vineæ hæredi, quem turpiter eiectũ turpius cnofixistis propinatis. Hęccine a Salomone præcepta? Ille iubet, *Date siceram mærentibus & vinum qui amaro sunt animo. bibant & obliuiscantur egestatis suę, & doloris sui non recordentur amplius.* Itane ad nutum Regis vestri? O inueterati malorum, quibus non sufficiebat illud quod de eis Amos prædixerat, *Vinum damnatorum bibere in domo Dei sui*, nisi etiam illud felle temperatum Christo Deo porrigerent. De vinea sodomorum vinea vestra, & de suburbanis Gomorrhæ, potuit ex vua vestra vua fellis, & ex botris amarissimis, effudisse Iesu vinũ amaritudinis felle corruptũ. Sed vereor, ne ẽt nos vinum aceto mixtum, in spongia porrigamus. Spongia rapax & capax liquoris, designat cor nostrũ, rapax & capax extrarij amoris. jtaque q amore ambitus tenetur, an non spongiam aceto & vino tinctam porrigit Christo? qui pecuniã in corde & arca per fas & nefas quęsitam condit, nonne eodem felle & aceto Christum inebriat?

Qui meretricis saliuam lingit, nõne ex eodem draconeo felle Christo propinat? Propinat haud dubie. Nam & hæc vua, vua fellis, & botri, botri amarissimi. Sed veniet tẽpus, quando vobis ille ipse poculum singulare temperabit, vini quod vsque ad fæces bibetis. Namque *calix irę in manu Domini vini meri plenus mixto. & inclinabit ex hoc in hoc, verum tamen fæx eius non exinanietur. bibetis oẽs peccatores terræ.* Et scire vultis quid bibent peccatores terræ? Audite Dauidẽ qui denunciat. *Ignis, grando, nix glacies, spiritus procellarum, pars calicis eorum*, qui felleum craterem Deo propinarunt.

quando duob. latronibus appendebant.

Dolori interno exacerbando in Iesu, appenderunt ei duos latrones, alterum a sinistris, alterum a dextris, vt quasi Antesignanus latronum haberetur. Perdolitum est Dauidi, quod duo viri Principes latronum, *Baana* & *Rechab* occiderint Isboseth innocentem in domo sua, super lectum suum, eosque propter hoc scelus interfici iussit. quid putatis quantum non doluit ipsi Innocentiæ Principi, inter duos scelestissimos medium affigi, vt qui inter Patrem & spiritum sanctum est medius, qui inter medios Seraphinos sedet qui in medio duum jumentorum natus accubuit, qui inter Moysen & Heliam visus est in maiestate, qui in medijs mirtetis apparuit Zachariæ, qui intermedius est duodecim candelabris aureis, qui a Sole Luna, & stellis vndecim adoratus, jlle ad sempiternam contumeliam, & ad jntolerandum dolorem latronibus annumeraretur? Vide ingratitudinem plebis, quam plorat Isaias, *Pro eo*, inquit, *quod tradidit in mortem animam suam, cum sceleratis reputatus est.* jtaque Agnus qui tollit peccata mundi, inter lupos connumeratus hæret in Cruce. Bonum factum. Veniet tempus cum sedebit in maiesta-

2. Reg. 4.

maiestate sua, & hędos separabit ab Agnis. & hos quidem ad pascua felicitatis introducet, illos vero vtpote pecora occisionis abiget in infernum, vbi mors depascet eos. Venit etiamnum tempus, cum expleuit, quod in typo factum est ab Elisæo
4. Reg. 6. Propheta. Factus iste latrunculorum Syriæ ductor, pacificè deduxit eos in Samariam, magna ciborum, præparatione pascendos: quos cum famelicos refecisset, in pace abire permisit. Impleuit hodie Christus, dum perditorum quasi Princeps constitutus, vnum ex eis postulantem, *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum*; & innumeros quoque qui insimul conuersi flagitant, introduxit in felicitatis æternæ paradisum, dicens. *Hodie mecum eris in paradiso*.

quando septē blasphemias audiebat Dum Iesus paradisi januas latroni aperiret, pergebant scelesti, *dolorem super dolorem addere*. quando *acuerunt linguas suas sicut serpentes*. & *venenum aspidum* quod *sub linguis* diluebant mortiferis, vibrabāt ad fodicandam & frangendam patientiam Iesu. Video Domine Iesu, quia aggrauatum est prçliū contra te, jnueneruntque te sagittarij,
1. Para. 10. & vulnerauerunt jaculis. *Ecce enim peccatores intenderunt arcum rem amaram*, scilicet labia dolosa, *parauerunt sagittas suas in pharetra*, linguam scilicet, maliloquam, vt te tectum corde sagittent in hoc obscuro; dum te Solem sagittis linguæis obscurare, tenebrasque tuæ diei affundere conantur.

1. Prima sagitta conuicij confixerunt eius humanitatem, cum transeuntes & mouentes capita sua blasphemarent, *Vah, quid destruis templum Dei & in triduo reædificas il-*
2. *lud*. Altera Diuinitatis jubar petebant; *Si filius Dei es descende nunc*
3. *de cruce*. Tertia, miracula eius fodiebant; *Alios saluos fecit seipsum non potest saluum facere*. Quarta, regiam eius maiestatem eleuabant, *Si rex* 4.
Israel est, descendat de cruce; & credimus ei. Quinta anchorā spei nræ luxabant; *Confidit in Deo, liberet eū* 5.
nunc si vult. Sexto jaculo acerbe impacto, Mediatoris officium dignitatemque perstringebant; *Si tu* 6.
es Christus, saluum fac temetipsum & nos. Vltimo perseuerantiam eius frangebant, hominemque velut pla- 7.
ne perditissimum scorpiaca lingua percutiebant. *Videamus, an veniat Helias liberans eum*. Sic factum est sepulchrum patens guttur eorum, quando conuiciorum & blasphęmiarum putores, exhalabant in Iesum patientē. qui de se pronunciat, *In me psallebant, qui bibebant vinum*. Porro quam constanter tolerauerit, testatur, *Factus sum, sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*.

Lego Ionatham Saulis F. eduxisse secum quendam puerum in agrum, cui dum sagittas jacularetur, 1. Reg. 20.
indicabat vt eas colligeret; *ecce ibi est*. inquit. *ecce porro vltra te. festina velociter & collige*. Vtinā (dum quiesco) colligamus ex hoc agro vel saltem istas, quibus pro nobis Iesus cōfixus erat, sagittas, & eius exemplo patientiam discamus. Si enim Patrēfamilias Beelzebub appellarunt, quo jure seruus excandescet ad verbum?

SE-

SECVNDA PARS CONCIONIS.

De beneficijs à Christo Crucifixo in genus humanum collatis.



ISAAC à Patriarcha Abrahamo neci destinatus, quod non occubuisset neque in altari arsisset, non est quod se componat cum Iesu Redemptore, qui & occubuit, & arsit in Cruce. Ideo non habet ille aliqua beneficia quæ ab Altari refundat; vt Iesus possidet, quæ a Cruce dispergat.

Hic se mihi obijcit Vir quidam ab Ezechiele visus. Sed hunc ex eius aspectu subductum produco. *Et vidi, inquit, & ecce in firmamento quod erat super caput Cherubim, quasi lapis Sapphirus, quasi species similitudinis solij, apparuit super ea. Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, & ait: Ingredere in medio rotarum quæ sunt subtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, & effunde super Ciuitatem. Ingressus est in conspectu meo. Cumque præcepisset viro qui indutus erat lineis, dicens; sume ignẽ de medio rotarum quæ sunt inter Cherubim, ingressus ille stetit iuxta rotam. & extendit Cherub manum de medio Cherubim ad ignem, qui erat inter Cherubim, & sumpsit, & dedit in manu eius, qui indutus erat lineis, qui accipiens egressus est.* Iactent alij in congiario aromata in populum Romanum sparsisse: alij nummos aureos & argentos pro triumpho dispersisse alij globulis signatis tantum frumẽtorum sortitioni diuisisse. Nullus Imperatorum potest beneficentiã Iesu, ab eius curru Triumphali adæquare: qui non aurum, nõ argentum, non frumentum, sed pyropos Sapientiæ, iustitiæ, sanctificationis & redemptionis, a rotis Quadrigarum feretri Diuini distribuebat. Habebat quare, & vnde largiretur. Quare? Quia in Cruce, amore salutis nostræ arsit. Vnde? Quia pretiosos sanguinis effusi grũmos, pretiosiores carbũculis demutauit. Ingressus enim in medium rotarum Quadrigæ saluationis, totus inflammatus, flagrauit, idsquicquid habuit nobis elargiri. Elias in currum igneum conscendens, non multum incaluit, qui Elisæo subsequenti vix pallium deiecit. Christus autem in hoc carpentum flammeum eleuatus, inque medios radios rotarum amoris pene implicatus, cum ab incendio amoris nostri conflagrasset, inæstimabilibus nos beneficijs adornauit, & monilibus preciosissimis diuitauit, cum Crucem ad sapientiã docendam tanquã cathedram Magisterij dereliquit, Sudarium & vestes pro cyclade iustitiæ, diadema spineum pro ornamento sanctificationis, sanguinis autem carbones ignitos pro lythro redemptionis, nobis impertiuit. Nam ista quattuor longe maxima beneficia, nobis ex Crucis Ferculo ministrauit. iuxta quod Paulus asserit dicens. *Factus est nobis Sapientia a Deo, & iustificatio, & sanctificatio, & redemptio.* Magna dona. & tanta quanta vir ille vestitus lineis, de medio Cherubicarum rotarum non impendit.

expl. visio Ezech. 10.

de benefi cijs a Cruce prolatis.

1. Corin. 1.

Carbones igniti ardent, sed non multum illuminant. Crux Christi amore eius exusta, ardet & illuminat. Fateor candelabrum ductile in templo Salomonis, multo numero lychnuchorum accensorum multas depulisse olim tenebras: at non eius generis. vt hoc pretiosius quam ex auro, erectum crucis funale. illud mate-

1. Sapiẽtia ex Cruce.

materiales, hoc spirituales. in vno templo illud, hoc in vniuerso orbe nostro & infero. Illud tales, in quibus cæcutire multi magnam felicitatem posuerant, istud vero eas in quibus sedere non magna tantum, sed etiam extrema calamitas est. Quascunque enim velis, siue quæ felicitatis auctorem, siue quæ felicitatem ipsam, siue quæ itinera felicitatis obnubilant, omnes ab hac Cathedra Crucis, velut a luminoso Sole discutiuntur.

Meministis tenebrarũ, quib. Deus percusserat Aegyptios, ita vt in omni terra Aegypti, poterant palpari: in terra autem Iessen, luce meridiana fulgebat. Quid putatis, quantum illic pęnarum in cæca nocte? Quantum porro beneficij in reduce luce? Longe crassiores inuoluerant tenebræ, vniuersam terram. quarum illi meminerunt qui dicebant: Palpauimus sicut ceci parietem. Quid censetis, quæ illis amaritudines, in vmbra mortis? Venit Iesus & in Sole Crucis posuit tabernaculum suum, magnumque diẽ clarioris luminis, Orbi nostri inuexit. Ita de Cruce aureum os concionabatur.

Crux cæcorum dux
Crux desperatorum via
Crux claudorum baculus
Crux adolescentium pedagogus
Crux nauigantium gubernator
Crux iustorum consiliarius
Crux virorum caput.
Crux lumen in tenebris sedentiũ
Crux insensatorum sapientia
Crux imperatorum philosophia
Crux lex & lux impiorum,
Crux Prophetarum prætoratio.
Crux annunciatio Apostolorum
Crux sapientia Christianorum.

Plane ex recto texuit hæc elogia
1. Crucis D. Chrisostomus. Nam Iesus illuminator, & dux cæcorum, Felicitatis auctorem judicauit, & manuduxit ad eum de cruce, protensis manibus de eadem cruce. *Hæc est*, inquit, *vita æterna, vt credant te verum Deum & quem misisti Iesum Christum*. Iesus deperantibus illis qui ce- 2.
spitabant ad felicitatis metam, iter prætentauit. Nam ipse est qui sustinuit crucem, & hac via eundum esse 3.
ad sidera præmonstrauit. Iesus palpitantes de cruce subleuauit, dum sanguine suo robur innouauit in claudicantibus, & pedes eorum posuit tanquam ceruorum. Iesus de 4.
cruce pedagogogus adolescentium. qui adhuc dũ in viuis esset jubebat, *Sinite paruulos venire ad me*. Et qui gratias patri agebat, quod misteria abstrusa abscondisset a sapientibus & paruulis ea reuelasset. Iesus in 5.
hoc, vasto mari mundano nauigantibus de cruce est gubernator: nam non semel tumidos eius fluctus pręcalcauit & sedauit. Porro qui nauigant mare, enarrant pericula ipsius, & exemplo suo inexpertos docent, quomodo & a quibus syrtibus & scyllis sibi alieno periculo debeant cauere. Iesus iustorum consiliarius est, de cruce. Hic enim in 6.
ista exedra, perfecta est sapientia, quam exemplo suo docet. Vis contemptum seculi? Clamat. *ecce amici mei & proximi mei aduersum me appropinquarunt & steterunt*. Vis consanguineorum abnegationem? ecce matrem quasi non agnosceret, alteri commendat dicens, *Mulier, ecce filius tuus*. Vis opum & deliciarum & pompę huius mundi fastidium? Non habet vbi caput reclinet; deliciæ eius, fella; pompa, spineum diadema; solia superba, patibulum eleuatum; comitatus, duo latrones: & in summa, Domini, Domini exitus mortis. Scilicet omnia quæ hodie in Cruce passus est, quasi ministri mortis fuerunt ad expellendum illum de vita, vt homo ex hoc

sug-

suggestu disceret, *Tolerare acerba*. sibi identidem insusurans. *Transiimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*. Atquia agere & pati heroicum est; docuit ex hac cathedra non tantum patiendi, sed etiam agendi sapientiam. vt prouerbiũ ex eius Cruce euulgetur. *Nemo sapiens, nisi patiens*. & eius gemellum, *Nemo sapiens, nisi faciens*, sed justitiam, quæ in hac bilance Crucis consummata. Poterat meus Iesus nos alia ratione, quam cum tanto cruciatu redimere. qui poterat Noe a diluuio, Lothum ab incendio, Isaacum a gladio, Iacobum ab Esau, Iosephum a fratribus, Israelem ab Aegyptijs, Dauid ab Absalone, Eliam ab Iezabele, Danielem a leonibus, tres pueros ab igne, Susannam a morte, alios de alijs periculis solo jmperio liberare. Noluit. Sed judicium de æquilibrio justitiæ, etiam cum prædone subire voluit, inque crucis agina stateram æquitatis appendit, & quicquid ab ea prædatori violento contigerat, non eripuit, sed prætio sanguinis sui æstimatum redemit. vt doceret Matrem, Nutricem & Custodem virtutum justitiam, ex qua Deo religionem, Parentibus pietatem, Amicis amorem, Maioribus obedientiam, Aequalibus Comitatem, inferioribus benignitatem redderemus. & illud ex schola Christiana Ethnicis olim vsurpatum. *Quod tibi vis fieri, feceris, Quod non, non feceris alteri*, ab hac cathedra disceremus. Sed nimis altum est istud pelagus Theoticæ & practicæ sapientię, quę a Christi cruce. Vereor ne etiam inter nos sint quibus Christus scandalum, aut stultitia, quod olim Iudęis & Græcis. Non excutio grammata philosophiæ Christianæ, quæ non video signata in nobis. Scio quia Aethiopes pueros suos simplices, super aues quas diuersi generis educabant, sublimes exponebant, & cuius spei futuri essent, periculum faciebant. Nam si volantes intrepidi manerent, velut generosos & se dignos magna cura educabant; si vero animo consternarentur & trepidi expauescerent, tanquam degeneres in loca deserta abijciebant. O si aquila nostra, quę expansis in cruce alis super nos volitat, imo & super humeros assumit suos, vt ad volandum nos sapientiæ viam doceat, hoc probatorio nos exploraret, quanti ab eius magisterio deciderernus? Ostendit quidem ille — — sed abstineo vos agitare. Dico: Nidum Alitis Iesu, esse cathedram Sapientiæ perfectæ, quæ exuperat omnem sensum.

Elias, ex curru igneo pallium discipulo demisit. Christus vestem jnconsutilem internam, & pallium exterius Ecclesiæ. jndigebat Ecclesia paupercula, tempestate cõuulsa, nuda, misera & miserabilis. jnciderat enim in homine illo prothohomine in latrones, qui despoliauerant ipsam. At quam venusta veste? Non est tempus expandere. Iesus miseratus nuditatem prostitutę, vestem geminam dereliquit. Sorte deinde permisit illam non diuidi, sed sortiri; vt omnis, quicunque ausus fuerit, in hunc Fortunæ Diuinæ ludum, aliquod, vel quod nihilo valet, de suo deponere, scilicet, VELLE, hac jnconsutili justitiæ Iesu amiciatur. Beatus, cui cõcessum est numerari, *in parte SORTIS Sanctorum*. sed nõ minus etiam beatus, cui datum est jndui byssino justitię Redemptoris. Beatus jnsuper est ille omnis *qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet*, vel ne aliqua curta indutus mereatur a Rege visitari, & expelli tãquam non habens vestem nuptialem, in tenebras exteriores. Gaudeat Iose-

2. *Iustitia ex veste*.

Ioſephus propter veſtem polymitam,qua eum induit, tanquam dilectum ſuper alios fratres. Exaltetur Aaron propter Hyacinthinam vel lineam,qua amictus præ alijs Leuitis. Glorietur Ruth, quod pallio Booz cooperta, orbitati ſuæ conſuluerit. Triumphet regina illa,quæ aſtitit a dextris Dej in veſtitu deaurato. Si typum ſpectes; telæ ſunt aranearum,ad texturam veſtimenti juſtitiæ quo nos Ieſus amicijt. Si rē expendas: nihil ſunt ad polymitam virtutum, ad ſtolam Sacerdotalem, ad pallium paſſionis, & ad patagium gloriæ, quod ex ſua jnconſutili veſte Chriſtus noſtro veſtiario participauit.Sed nimis hęc complicata ſyrmata explicare, non eſt tempus. Sufficit, quod Ieſus factus eſt juſtitia, nobis qui juſtitiæ primogeniam veſtem,deſcendentes ad Hieruſalem, in Hiericho amiſimus, ita vt etiā tum in Paradiſo ad obnubenda peccata, ex ficulnea perizomata quæreremus. Ea propter titulum Crucis, Ieſus obtinuit a Pilato; *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*. Ieſu Saluatori Samaritano,conueniebat inuentum in deſerto ſpoliatum faſcis obligare. Nazareno florido conuenit, floream polymitam terræ homini exueſti induere. Regem addecet ſuos ſubditos ſeminudos veſtire. Veſtiuit & jnduit Ieſus Samaritanus Rex Iudæorum nos, quibus Hannon rex Amon *præciderat veſtes vſque ad nates*. Scilicet turpitudinem noſtram ſua juſtitia operuit. Occiſo Saule,inuitabat Dauid mulieres Iſraeliticas ad plora tum: *Filiæ Iſrael ſuper Saul flete*, inquit, *qui veſtiebat vos coccino in delicijs, qui præparabat ornamenta aurea cultui veſtro*. Occiſo Ieſu in ligno Crucis, magis nos excitare debemus, & ad ploratum quod non ploramus ſuper morte vnigeniti qui propter nos occubuit; & ad amorem quod is extinctus eſt, qui teriſtrum deliciarum, & paludamentū jmperij, & patagium gloriæ induit nos. jnſuper & ornamenta aurea adiecit cultui animarum noſtrarum, ne quid minus monilium, & veſtium,imo plus habeamus, quam dum in juſtitia originali fuimus inuoluti.

Alluſio *2.Reg.10* *2.Reg.1.*

M. Antonius Triumuir filium habebat, ex Fuluia. js puer Philotæ dederat ingentem vaſorum & monilium vim. quæ quum ille recuſaret accipere, metuens, ne pater tantam filij liberalitatem non probaret. Tum puer, *Quid*, inquit, *times ſuſcipere? An neſcis eum, qui dat, Antonij eſſe filium?* Profuſa ſane liberalitas, & excelſa jndoles in puero. Sed quid ſtillicidium de ſitula,ad ſitulam? Quid gutta ad jnexauſtos theſauros? Quid puer,ad jmmenſæ cupiditatis benefaciendi Ieſum? Parum habuit ſuos ex cruce docuiſſe, & veſtijſſe, niſi etiam monilibus varijs adornaret,atque adeo ſanctificaret. *Non amplius vocaberis*, inquit, *derelicta, ſed a mea corona, eris corona gloriæ in manu Domini*, & a meis clauis tanquam ab aliquibus monilibus baccatis, vel tanquam a lato clauo Sancto, inter Sanctos & præluſtres cenſeberis.

3. Sanctificatio a corona, & clauis.

Olim vix erat, qui aſpiceret maculones. Si quis vero reſpectabat, non niſi per contemptum, vel ad confuſionem conniuebat. *Sordes eius* quidam ait, *in pedibus eius*. & *Denigrata eſt facies eorum ſuper carbones, non ſunt agniti in plateis*. Et alter. *Facti ſunt* inquit, *abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt*. Et quis oro ſuſtinuiſſet non abominari illum, qui antea admirabilis in decore ſuo? Iobum in ſterquilinio ſepultū, non amici tantum & vxor, ſed & cutis propria exhorruit. Peccato-

rem quemcumque non tantum noti amici, & consanguinei, verum & ipse se abominatur. An non sæpe experimini, vos qui magni? Iesus hanc prophanationem expiauit, & de suo corpore clauos, & de vertice coronam deposuit, ad Sanctificium hominis polluti. Nonnullus vermium depascebatur viscera humana, dum a luxu, gula, auaritia, superbia, furore, & alijs pestibus humanæ constitutionis tabo aliquis diffluebat. Stringatur hac pancarpinca corona; configatur clauis timoris Domini; sæpiat aures, oculos, gustum, tactum, manus, spinis; ab hoc spineo serto, diffugient omnia venenata & ab hoc diademate emanabunt omnia ornamenta sanctificationis.

Aristippus cum naui Corinthum vectus, procellis impetentibus supra mo'um perturbaretur, cuidam ex ijs qui simul nauigabant, interroganti: *Num ne*, inquit, *etiam tu metu perculleris quemadmodum vulgus?* respondisse fertur. *Prorsus ita, neque iniuria. Vobis enim de vita scelerosa atque infelici labor est, & præsens periculum; mihi vero de felicitate atque beatitudine.* Vtinam vel etiam nos simili metu concutiamur, de salute animæ nostræ, tunc quando vario flatu Sathanæ impellimur ad ruinam, & hinc ad maculandam vitam & famam. Nolo vomicas contrectare, neque purulentis vlceribus vngues immittere. Sed tamen aio: si huius Philosophiam, post adeptam a Christo ex sanctificatione felicitatem amaremus, non tot proiectos in vijs omnium platearū lugeremus, qui sordescere amauerunt a luto contaminationis peccatorum.

4. Redēptio a sanguine. Præter sanctificationem, factus est nobis Iesus *redemptio.* Sed ò quā magna? Dauid prædicabat, *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Stilam Elixir vitæ, empyrici, auro inæstimabili æstimant. Stilam sanguinis Iesu vnicam, nemo satis æstimare potest. eo quod pretium eius maius sit pretio mundi. Tamen non vnicā guttam effudit, sed vniuersum profluuium catharactarum cęli exhausit, vt copiosa apud eum esset redemptio. Vir vestitus lineis qui visus est Ezechieli intrare inter rotas igneas, satis habuit vnum aut alterum vel tertium carbonem rapuisse. nec enim plures capere poterat vola manus angusta. Iesus autem ex volis manuum & plantarum, quot guttas effudit, tot carbones pretiosissimos demisit, ad redimendum genus humanum. Quid huic amori Iesu rependemus?

Seruus tantus quantus erat emptus, totus erat in officium Domini sui, pro vili ære. eoque, si consideratis, cum pompa effuso. Scitis quo ritu emancipatio apud Romanos agebatur? Audite.

Adhibitis non minus quam quinque testibus Ciuibus Romanis puberibus, & præterea alio eiusdem conditionis qui libram tenebat, qui appellabatur libripens: is qui mancipium accipiebat, ita dicebat. *Hunc ego hominem, ex iure Quiritum meū esse aio; isque mihi emptus est hoc ære, æneaq; libra.* Deinde ære percutiebat libram, idq; æs tenens dabat ei a quo mancipium accipiebat. Tenebatur māceps vitam quoque, pro domino exponere. At pro quo? Pro vili ęre. Pro nobis Iesus non æs minutum, sed seipsum in mortē tradidit. quid retribuemus illi pro omnibus quæ retribuit nobis?

Magnam scio Ponopionis serui erga Dominum charitatem, qui sicarijs Dominum ad necem quęrentibus, se pro illo opposuit, & Dominum


num veste commutata amictum seruauit. Seruus fuit, fecit quod debuit: pro officio, pro beneficio. Iesus autem non seruus, sed rex regum, nullo a nobis, aut officio aut beneficio deuinctus, tamen tolerauit formam serui Dominus accipere, & in forma seruili tanquã vnus ex mancipijs morti destinatus mori. proh? quantum istam eius dilectionem? quid pro ea tribuemus?

Furnius quidam, qui vixit Augusti temporibus (cuius pater quando quidem sub Antonio stipendium fecerat, ob id jure belli hostiliter Augusto erat inuisus) adijt Imperatorem, patris ab eo vitam deprecaturus. Ignouerat ille. Tunc Furnius: *Hanc*, inquit, *vnam Cæsar habeo iniuriam tuam. effecisti vt viuerem, & morerer ingratus*. O festo plausu excipiendam vocem. ò insignem animi sublimitatem. *Effecisti*, inquit, *vt viuam, & moriar ingratus*. Quod esse potest tam amplum gratitudinis jndicium, quam nulla ratione sibi satisfacere, & dantis beneficentiæ imparem se perpetuo fateri? Si vere ille existimabat sibi difficile fore, vt pro vita reciperata parentis satisfaceret Augusto: quomodo nobis possibile erit, ex toto pro nostra omniũ propria salute, ab Iesu recepta, illi meritis gratias habere? Sufficit si dicamus. *Mi Iesu: fecisti vt viuerem, & morerer ingratus*. Præsertim si mantissam adiecerimus, exhorrentiam Sathanæ, a quo per sanguinem Iesu redempti. Agesilaus Rex a pulice ad aram Palladis morsus, eum arreptum palam occidit, inquiens, *insidiatorem, vel ad Aras confodiendum*. O si nos tam acres vindices nostri depastoris, quem tãtopere Iesus execratur?

Concludo cum Origene, illa verba, *& prædabitur omnes filios Seth*, explicante. Victis aduersarijs dæmonibus, eos qui sub ipsorum dominationibus tenebantur, Christus quasi prædam victoriæ suæ ducit, & spolia salutis reportat. sicut scriptũ est in Psalmo, quia captiuam duxit captiuitatem. Captiuit atem scilicet illam humani generis, quam Diabolus ad perditionem cæperat, iste rursus captiuam duxit, & a morte reuocauit ad vitam.

Vtinam ergo & me captiuum habeat semper Christus Iesus, & me ducat in prædam suam, & ego teneat vinculis eius alligatus, vt & ego dici merear, *Vinctus Iesu Christi*, qui viuit in secula sempiterna. Amen.

Amen



IN FESTO RESVRRECTIONIS DOMINI IESV REDEMPTORIS.

Nolite timere. Surrexit &c. Marc. 16. capite.

CONCIO.

A resurrectione Christi gaudia Orbi illata.



EDVCE Abrahamo cum Filio Isaac a monte Moriah, & superna, & infima, & mediocris familia exultauit. Reduce Iesu a morte, sepulchro, & inferno, & Cælestis, & terrestris, & ab inferis educta progenies jubilauit, propterea. n. quod se humiliauit Patri factus obediens vsque ad mortem, dedit ei Deus nomen, quod est super omne nomē, vt in noīe Iesu omne genu flectatur, Cælestium, terrestriū, & infernorū. Exultauerunt Angeli, lætabantur mortales, tripudiabant excaptiui infernales. illi quod viderent ruinas cælestes expleri; hi quod spes suas in res optatas a Iesu resurgente conuerti. Hæc gaudia, in die solennitatis & lætitiæ hodiernæ, enunciabo.

Christus resurrectione sua lætificauit. Isaac interpretatur risus; siue quod mater riserit, postquam conceptum ab angelo nunciatum intellexit: siue quod Patrem & Matrem effætos natiuitate sua lætificauerit; siue etiam quod a monte redux familiam vniuersam, atque adeo stirpem electam recreauerit, suo regressu. Vnde vnde deriuatum sit nomen eius a risu, recte typum gessit Saluatoris. qui si aliquando, maxime in resurrectione sua lætificauit Orbem vniuersum, superiorem, inferiorem, & hunc nostrum mediocrem.

1. *Superos.* Pontifici Leuitico sanctum erat, in funere aliquo caput reuelare. Ita lego in Tabulis Leuitici. *Pontifex id est Sacerdos Maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum & cuius manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino.* *explicat. Leu. 21.* Reddant alij causas, propter quas non aperiebat caput. sed cidari rectum semper habebat, vel ne videretur contristari, *sicut & cæteri qui spem non habent*; vel ne se sacerdos Dei viui, cui ille seruiebat implicaret cum mortuis, cum Deus *sit viuorum Deus non mortuorum*; vel ne inficeretur & pollueretur a putoribus immundis, quos cadauera exhalare solent. ego vero, si mihi Diuinari licet, assero illi in morte & funere prohibitum fuisse, ne retegeret caput, eo quod vnctionis oleum super caput eius fusum, neque erat balsamum lætitię; neque tanta copia inūdabat caput ipsius, vt in mortuum, aliquam guttam Salutis impluere posset. Soli Iesu quem *Deus vnxit oleo lætitiæ pͤ participib. suis*, hoc seruabatur, vt Balsamum perfundens eius verticem, toti cęlo, terrę, inferno, Angelis, hominibus, viuis & vita functis sufficeret in Salutem, atque adeo vniuersos singulari efficeret lętia. Quamobrem & Isaac retecto capite, vinciri se in monte passus est, vt semen futurum quod numerum stel-

larum

larum cæli, & arenæ maris,& stillicidiorum abyssi adæquaret, gaudio interno reficeret.& nouus Isaac Redemptor Iesus,in Golgotha,reuelato vertice immolatus est Pascha nostrum,vt superos,& jn jnferno positos,& hos quoq; in cænaculo Ecclesiæ Catholicæ conclusos, ex vnctionis participio lætitia imbueret.

Diademate quidem Spineo coronatus pependit in Cruce,sicut vestigia in Sacrata syndone relicta ostendunt,& vt euincit ex antiquis Tertullianus.Cæterum tantum abest, vt caput eius operiretur illo dumeto sentibus & aculeis referto, vt magis aperirentur fontes abyssi magnę oliuationis misericordię.qui nō stillicidiis sed toto oceano erumpentes, non stillicidio sed tota jnundatione immensa irrigarent,supernam Ciuitatem nostram de cęlo descendentem, & eam quę ad fundamentum nostrę,gemens clamabat ad Deum.

Ps. 43. *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis. Humiliata est in puluere anima nostra,conglutinatus est in terra venter noster. Exurge Domine adiuua nos,& redime nos propter nomen sanctum tuum.* Audio ipsum Iesum diluculo surgentem, ad sponsam inclamare. *Aperi mihi soror mea sponsa,quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.*quod tale est, ac si diceret. Iam satis est, quod in vestra nocte laboraui.Tempus est,vt reuertar ad domum lucis. At quia a pluuio tribulationū cęlo, & a roscido gratiarum Sole, nimis delibutus mihi capillus : & cyrrhi, mei exuberant a guttis Balsameis meritorum, quibus excipiendis & continendis non mihi opus;age,euge quisquis te sponsam meam censes,surge, aperi, excipe, & ego toto ollio inundabo super vos lętitiam sempiternam. Dixit, & factus est

explicat. Cant. 5.

velut trames oliuitatis immensę, Cęlum, Terram, & Infernum gaudio inenarrabili adimplens. *Fluminis impetus*, a diluculo surgentis vertice exundans,*lætificauit Ciuitatem Dej*.

Dicebat sibi tunc Iesus, quando a morte ipsius quadragesima hora Luciferum euocabat. *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, exurgam diluculo. Quoniam magnificata est vsque ad cælos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua. Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua.* Dicebat: *Exurgam diluculo.* Nam sepultus fuit(vt doctiores computant) antequam inciperet Sabbatū, quod incipiebat a meridie,in extremo videlicet diei Veneris, qui terminabatur in ipso meridie. Stetit itaque Christus in sepulchro a fine diei Veneris,per per 24. horas totius Sabbati,quod terminabatur in meridie sequenti: & ab ipso meridie vsque ad mediam noctem diei Dominicæ. Quo tempore fluxerunt 12.horæ, & post mediam noctem hora quarta. Quæ omnes horę simul computatę, sunt quadraginta. Sed hæc curiosis. Hoc euidens est, quadragenarium numerum ab illo fuisse in pluribus obseruatum. 40.diebus jeiunauit in deserto.40. (vt aliqui sentiunt) mensibus Euangelium seminauit in mūdo. 40.diebus hæsit cum discipulis post resurrectionem suā in terra; quadragesima quoq; hora quæ crysis est verę mortis,voluit resurgere. Qua appropinquante, ita ad se dixit, *exurgens diluculo: Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara*.Quęrebat Augustinus. Quid vocat vt surgat? Exponit idem Sanctus.Duo organa video,*inquit*; Corpus autem Christi vnum video. Vna caro resurrexit, & duo organa resurrexerunt. Alterum ergo organum psalterium, alterum citha-

explicat. Ps. 56.

ra. Organa dicuntur, omnia instrumenta musicorum. Nō solum illud organum dicitur, quod grande est, & inflatur follibus, sed quicquid aptatur ad cantilenam, & corporeum est. Quo instrumento vtitur qui cantat, organum dicitur. Distincta autem sunt inter se ista organa; & volo quantum Dominus dat jndicare vobis, & quare distincta, & quare vtrumque dicatur *Exurge*.

Iam diximus, vna caro Domini resurrexit, & dicitur *Exurge psalterium & cithara*. Psalterium est organum, quod quidē manibus feritur percutientis, & chordas distentas habet, sed illum locū vnde sonū accipiunt chordæ, illud concauum lignum quod pendet & tactum resonat, quia concipit aerem, psalterium in superiore parte habet. Cithara autem genus ligni cauum, & resonans in inferiore parte habet.

Itaque in psalterio chordæ sonum desupér accipiunt, in cithara autem ex inferiore parte.

Quid ergo duo hęc organa nobis figurant? Excitat enim Christus Dominus noster psalterium suum, & citharam suam & dicit, *Exurgam diluculo*. Puto quia hic iam agnoscitis Dominum resurgentem, qui diluculo surrexit. Sed quid est *psalterium*? Quid est *& cithara*? Per carnem suam Dominus duo genera factorū operatus est: miracula & passiones. Miracula desuper fuerunt: passiones de inferioribus fuerūt. Illa enim quæ fecit miracula Diuina erant, sed per corpus fecit, per carnem fecit. Caro ergo Diuina operans psalterium est: caro humana patiens, cithara est. Sonabat psalterium, tunc cum iubebat, jlluminentur cæci, audiant surdi, stringantur paralytici, ambulent claudi, surgant ægroti, mortui resurgant. jste est sonus Psalterij. Sonabat & cithara, quando esuriebat, sitiebat, dormiebat, tenebat, flagellabatur, irridebatur, crucifigebatur, sepeliebatur. jn psalterio (*addo ego*) chordæ molles, in cithara vero fides duræ, ex ære vel ferro ductæ. Diuinę enim operationes quas per carnem gessit, clementiæ, & beneficientiæ misericordis Dej debentur humanæ vero passiones quas in carne tulit, ferreæ crudelitati feralium satorum vel Iudæorum assignantur. Cum ergo vides in illa carne, quædam sonuisse desuper, quędam de inferiori parte, vna caro resurrexit, *quæ per miracula illuxit, & per passiones confixa est*; & in vna carne agnoscimus psalterium, & citharam cui dixit, *Exurge psalterium & cithara*.

Addo ego. Bene carnem resurgentem nomine psalterij & citharę insignuit. A resurgēte enim illa, iam tristes nęnias, & lacrymabilem Iesū deliuit plorare Orbis. Resurgēte siquidem Christo, tanta copia misericordiæ Oliuitatis ex eius capite supraunćto effluxit, vt siue cælum suspicias, siue nubes contingas, siue omnis terræ jntimos recessus perlustres, nemo sit qui exsors sit jmpinguationis misericordiæ, & proinde nemo est qui ab hoc psalterio & ab hac cithara suaue melos concrepante, non concinnat Alleluia. *Magnificata est*, inquit, *vsque ad cælos misericordia tua*.

Cælum supra nubes est, in quo habitationes Angelorum, Archangelorum, Dominationum, principatuum, potestatum, Cherubinorum & Seraphinorum commemorantur. jn hoc conuexo Regno, tūc non vsquequaque gaudētes Angeli, quod viderent hiantes multas sedes, quę desertæ a casu Luciferi. jll. namque Draco deciduus, terriam partem Stellarum, de cęlis ad abyssum detraxerat. Scilicet jngentem numerum *quorū sedes repleuit.*

rum sociorum quos complices criminis reddiderat, secum a felicitatis mansionibus, in extremas miserias præcipitauit. Erat quod non lætitia afficeret Beatos Ciues, cũ thronos vacuos aspicientes recenserēt dicentes; hic olim in Creatione & in peregrinatione mihi assedit: hic ille qui signaculum similitudinis plenus sapientia & perfectus decore, olim suas diuitias ostentabat: illic alter *Sardio*; alius *topatio*, alius *jaspide*, ille *Chrysolito*, ille *onyce*, ille *berillo*, hic *Saphiro*, secundus *carbunculo*, tertius *smaragdo*, non nemo vero eorum auro gratiæ rutilantis effulgebar. Illic adhuc extant vestigia quę a casu impressit, dum dixit, *Ascendam in cœlum*. jbi cernimus locum pugnæ, in quo cum labentibus certauimus. jbi apparet vorago, quando *sicut fulgur de cœlo cadebant*. Dum horum itaque superborum Ducum sellas curules vacuas numerarent, non poterant non dolere, quod viderent tot socios ad felicitatem fruendam in cœlis desiderari. & eo vel maxime dolebant quod nondum aspicerent, illã supremam & immensam *emanationem claritatis omnipotentis Dei* deuincientem sibi in vnum simul, Diuitem Deum, & pauperem Aedom, in vnitate personæ. Si quid aliud, hoc magnopere angebat superbum Luciferum, quod præuideret Deum hominem futurum, inque Deo homine, hominem qui puluis & cinis, sibi qui aurum & decus præferri. Si quid autem aliud, hoc magnopere oblectabat alios Felices, quod aspicerēt tantam Dei Omnipotentiam, Sapientiã & Bonitatem, vt dignaretur se homini inserere, vnire, & lutum supra aurum, cęnum supra cęlum eleuare, ornare, adq; dexterã maiestatis collocare. Itaq. Beati illi auebant, illud tẽpus affuturũ, quando Deus cunctipotens, faceret & ostẽderet istam *potentiam in Brachio suo*. vt illud carne humana tectum adorarent, oscularentur, & contemplarentur, atq; a contemplatione humanitatis Deificatæ, summa lætitia perfunderentur. Quamobrẽ vt non poterãt ex desiderio dilato nõ dolere, sic nõ poterãt ex impletis votis, nõ gaudere, accinẽtes Deo Alleluia, Alleluia. *quoniam magnificata est vsque ad cęlos misericordia tua*, quod nouo Sole illustrasti; quod noua Luna hilarabis, quod nouis stellis venustabis. Quid putas, quomodo non lætabãtur, quando Iesum rediuiuum suum Plastem Triumphantem mirarentur? Delectabat illos in præsepio vagientem celebrare, in deserto jeiunanti ministrare, in horto agonizantem confortare; an non magis exhilarabat illos, resurgentem contemplari? præsertim quod luce inadspectabili amictus, ex innumerabilibus vulneribus, quasi tot sidera quot vulnera exereret; & quod inæstimabili gloria & honore, post tot contumelias & opprobria coronatus appareret?

Dicebat Iesus, *Exurge gloria mea, exurge psalteriũ & cithara*, & exhilara dulci melodia cęlestes exercitus. Cantabant geminantibus vocibus in nouenos distincti choros Angeli, Alleluia, Alleluia. *quoniam magnificata est vsq; ad cęlos misericordia tua*. Non ex vano dictum id a me puteris. Angeli etenim in cęlo laudant Deum, *inquit Augustinus*, videntes ipsam speciem *veritatis*, sine vlla caligine visionis, sine interpolatione aliqua falsitatis. vident, diligunt, laudant, non fatigantur.

Dicebat Iesus, *Gaudium esse Angelis, super vno peccatore pœnitentiam agente*. quomodo non gaudium erat eis super tot resurgentibus & iãiam conregnantibus? Delectabantur ali-

qui

qui cum Angelo conuiuari, alij Agaram reducere, alij Iacobo dormienti apparere, alij cum eo colluctari, alij Tobiam illuminare, alium a pisce & a dæmonio liberare: omnes vero gaudebant, sibi commissos in manibus portare; quomodo itaque non gauderent magis quando hos qui pęnitentiam agebant, quos dirigebant, & quos tanquam baiuli gestabant, cernerent Stellarum instar ex inferno emergere, & superioris cęli deuexa ceu sideribus exornare? Lætabantur procul dubio, dū singulis sedes suas assignarent dicētes. Tu innocēs, inter Angelos requiesces. Tu Propheta Archangelis accenseris. Tu Rex magnifice inter Principatus conside. Tu Imperator qui potestatibus aeris pręcipiebas, ad solium Potestatum ascende. Tu virtutum & Miraculorū Factor, apud Virtutes cęlestes locum cape. Tu Doctor inter Cherubinos adpropera. Tu justitię cultor, Thronis adnumerare. Tu Martyr sanguine calente purpuratus, Seraphinis te adiunge. Cum itaque ad eum modum hiatus Cęlestes explerentur, accinebant *Alleluia. quoniam magnificata est vsque ad cęlos misericordia tua, quibus centesimam desideratā ouem addidisti*. Sic Isaac nouus, supernam cœlorum familiam lætificauit.

21 *inferos.* Sed non tantum illam: lætificauit insuper & infernam, quam traduxit de Inferno. Nam cum se excitaret, Exurge gloria mea, exurge Psalterium & cithara; non tantum cęlorum, sed & nubium meminit, quas dulci harmonia hilarauit. *quoniam*, inquit, *magnificata est super cęlos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua*. Nouimus, *ait Augustinus*, nubes Dei esse Pręd icatores veritatis, Prophetas & omnes habentes in se lumen occultum; sicut habent nubes vnde corruscant. Homines ergo nubes, portantes carnē istam caliginosam quodammodo: sed vnde Deus & corruscabat miraculis, & tonabat pręceptis, & radiabat virtutū ornamentis. Nubes caliginosæ Prothopātes, in dolore pro peccato vescentes pane suo. Nubis rubricata Abel, in sanguine innoxio lauans animam suam. Nubes pręlustres antiqui illi Patres Enos, Mathusalem, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, & omnes in summa de quibus Paulus ait, *habentes tantam interpositam nubem testium*, qui ante diluculum aduentus Christi, in profundam voraginem descenderant. Hi quod ante vitæ sanctimonię, aut mentis innocentia præluxerunt, inque loco tenebrarum præmortui caligarent, expectantes beatam spem & Aduentum magni Dei, summa lætitia perfusi sunt, cum viderent illud expleri, quo se vnus ipsorum in sterquilinio sedens consolabatur, *Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum*: cum scilicet resumpta nube carnis suæ, illustres resurgerent a sepulchris, & gloriā qua pfusi fuerāt ostēderent multis, q bus in sancta Ciuitate apparebāt Itaque Sacri reges coronas dē capitibus deponebāt, & in facies procidētes *Alleluia* concinebant Alij quoque palmas ex manibus deijciebant, & pedibus eius ad geniculantes *Alleluia* resonabant. Alij cantantes canticum nouum, post vestigia anteambulonis Agni, cuius plantas osculabantur, *Alleluia* concludebant. *Et ceciderunt*, vt vidit Ioannes, *seniores 24. & quattuor animalia, & adorauerunt Deum sedentē super thronū dicentes, Alleluia Alleluia. Et vox de throno exiuit dicens, Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius; & qui timetis eum pusilli & magni. Et audiui* *Apoc. 19.*

diui quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium Alleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noster. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei. Alleluia Alleluia. In extasi raptus, hanc suam & justorum omnium jn Christi resurrectione gloriam, admirans Isaias, non se potuit continera quin exclamaret. *Qui sunt isti*, inquit, *qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Volupe enim erat delicium ex profunda caligine educi, & nouo lumine illustrari illis beatis hominibus. qui carne redanimata, & a meliore atque Diuiniore spiritu perflata, nullo obice se interponente, facie ad faciem & oculo ad oculum, non iam in speculo aut in ænigmate, videbant in splẽdore regem suum, quem tam anxie requirebant; & ab eo eleuatj beatas sedes recipiebant, in superno tabernaculo, ad quod cum summo desiderio properabant.

3. *terrigenas.* Nec tantum cælis, & inferioribus partibus terræ, verum etiam terrigenis accinebat Iesus lætitiam, resurrectione sua. Gaudebat Mater Diua Deipara, magis quam Anna ex regressu Tobiæ, quod videret dulcem natum, ad tantam gloriam post tantam ignominiam euasisse. Gauisi sunt discipuli viso Domino, quod non in vanum omnia propter illum reliquissent, inque tantis tribulationibus eundem secuti fuissent. Gaudebant pœnitentes, quod pęnitentium consolator surrexisset: justi exultabant, quod justitiæ retributor redijsset. jnnocentes, quia jnnocentiæ coronator reuixisset. In summa, omnis Ecclesia sanctorum jubilabat, quia mortuus propter delicta nostra, resurrexisset propter justificationem nostram, ad spem roborandam, ad gratiam communicandam, & ad exemplar ostendendum, ad quod aspicientes, possimus de capulo vitiorum resurgere, & in nouitate vitæ ambulare. Nec enim omnes quos cernitis viuos, sunt viuentes. Quem videbis perdidisse sensus, & neq; auditum, neque odoratum, neque visum, neque tactum, neque aliquam vitæ functionem operantem, mortuum esse pronunciatis: quomodo non mortuum etiam pronunciabitis, eum, qui oculos habet & non videt, aures habet neque audit, manus habet & non palpat? s. illũ qui spirituales sensus in anima perdidit, vt non videat Deum, neque audiat verbum Dej, neque suauem odorem capiat Christi, neque gustet bonum Dei panem, neque manus eius pertractent de verbo vitæ? Christus resurrexit, vt & nos in nouitate vitæ ambulemus. Eia lętantes de resurrectione ipsius, & nos quoque exsurgamus. Solus nouus populus Israel peruenit in terram promissionis, Nam illi qui nouerant Aegyptios mortui sunt in deserto. Et tu quisquis es, qui nouisti Aegyptum, vel qui aliquid tulisti de Aegypto mundi huius, nisi commortuus fueris Christo morienti, non conregnabis in cœlo ab sepulchro resurgenti. jmpij enim non resurgunt in judicio, sed qui vt nubes extenuati & eleuati, illi volabunt ad perpetuas ternitates, cantaturi *Alleluia Alleluia*.

FERIA II. IN FESTIS Resurrectionis Domini.

Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nob. Luc.

CONCIO.

De ardore discipulorum a Christi resurrectione.

SATIS anxius fuerat Ioseph missus a Patre Iacobo in Sichem, cũ fratres palantes requireret. *Inuenitque eum vir errantem in agro*, vt refert *scriptura, & interrogauit quid quæreret. At ille respondit. Fratres meos quæro. Indica mihi vbi pascant greges. Dixitque ei vir. Recesserunt de loco isto. Audiui autem eos dicentes, Eamus in Dothaim. Perrexit ergo post eos, & inuenit eos in Dothain*. Nimis anxiè quærebat; licet fors animus ei præsagiret, illum a fratribus in cisternam mittendum, & postea Madianitis venundandum. Pergebat tamen requirens, amore fraterno succensus. Magis anxie hodie Saluator mundi, inuestigat suos fratres & discipulos. Quos cum errabundus specie pregrini assumpta, inter duum viros non inueniret, ex oculis eorum se subtrahit, iterumque alibi perquirit. Ardebant isti retinere, cum ardorem ex ignito eius eloquio persentirent. De hoc ardore discipulorum, quo flamabant postquam vidissent Christum resurgentem, hodie disseremus.

explicat. Ezech. 1. Post animalium Sanctorum aspectum, Ezechiel testatur se vidisse *Super similitudinem throni, qui erat* *Christus ardens amore nostri.* *super firmamentum, similitudinem quasi aspectus hominis desuper*. Addit. *Et vidi*, inquit, *quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus per circuitũ, a lũbis eius & desuper: & a lumbis eius vsque deorsum, vidi quasi speciẽ ignis splendentis in circuitu: velut aspectũ arcus cum fuerit in nube in die pluuiæ. Hic erat aspectus splendoris per gyrum. Hæc visio similitudinis gloriæ Domini*. Explicabat Gregorius. Incarnatus, *inquit*; *hom. 8. super Ezec.* vnigenitus patris per hoc quod homo factus est, infra Angelos fuit, sicut de eo scriptum est: *Minuisti eum paulominus ab Angelis*. Resurgens autem & ascendẽs in cęlos omnibus Angelicis potestatibus pręsidet, sicut de eo illic scriptum est: *Omnia subiecisti sub pedibus eius*. Et sicut ipse ait; Data est mihi omnis potestas. Firmamentum ergo sub throno, & homo super thronum est: quia per humanæ assumptionem naturę, & ipse est sub Angelis natus, & ipse super Angelos exaltatus. Qui & priusquam per resurrectionis gloriam, Diuinitate super angelos fuit: sed tamẽ Angelis humanitate minoratus ex qua & morti subiacuit. At postquam mortem resurgendo calcauit, humanitatem suam etiam maiestatibus Angelorum superposuit. In cuius persona, vt Sanctus Propheta adiunctionem vtriusque naturæ se vidisse ostenderet, protinus adiunxit. *Et vidi quasi speciem electri*. In electro aurum argentumque miscetur, vt res vna ex metallis duobus fiat; in qua & per argentum auri claritas temperatur, & per auri claritatem species clarescit argenti. Ita in Redemptore nostro natura Diuinitatis & humanitatis inconfuse vnita sibimet atque coniuncta est, vt & per humanitatem Diuinitatis eius claritas nostris potuisset oculis temperari, & per Diuinitatem humana natura in eo clarescceret, atque exaltata fulgorem vltra hoc quod creata fuerat, haberet.

Aspectus vero ipsius hominis super

per thronum, & species electri quã vidit, qualis ei apparuerit, adhuc scribendo subiungit: *velut aspectus ignis intrinsecus per circuitum, a lumbis eius & de super. Et à lumbis eius vsque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu*. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Iesus, a lumbis & desuper intrinsecus ignem, nec tamen splendentem; & a lumbis & deorsum ignem, non tamen intrinsecus, in super & splendentem in circuitu habere dicitur: eo quod ante incarnationem ipsius, sola intra se Iudæa amorem vnigeniti Redemptoris nostri habuit, post incarnationem vero & passionem eius, in circuitu illius ignis resplenduit, quia in vniuerso mundo claritatem Spiritus sancti effudit. Prius ergo intrinsecus ignis erat, sed splendor non erat, quia Spiritus Sanctus in multis quidem Patribus Iudæam replebat, sed ad reuelationem gentium, nec dum lumen eius plene emicabat. A lumbis vero eius & deorsum ignis in circuitu splendet: quia postquam de virgine carnem sumpsit, in humano genere longe lateque Sancti Spiritus dona dilatauit. Illic ardebat intrinsecus, non tamen splendebat exterius, quia amoris flamma, in electis atque spiritualibus viris vbique in suis finibus Iudæam repleuit, nec tamen se in multitudinem gentium dilatauit. Erat ignis intrinsecus cum Iacob diceret, *Salutare tuum expectabo Domine*. Quod enim *Salutare* dicimus Latine, hoc verbo Hebraico *Iesus* dicitur. In quo verbo Beati Iacobi mens ostēditur, quomodo Iesus desiderio arderet, quē se moriēs expectare perhibeat. Ardebat ignis Iesu in Moyse cū diceret: *Si inueni gratiā in oculis tuis, ostende mihi teipsum, vt videā te*. Ardebat ignis Iesu in Dauide cum diceret, *Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei?* Ardebat ignis Iesu in Simeone, cum de corruptione vitę pręsentis exire desiderans, orabat: *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace*. Sed ecce jam nūc ignis iste resplendet, in circuitu, quia non tantum conclusi in cænaculo, sed & errones sub dio fatentur se ardere ab incendio amori Diuini, quod succensum est in pectoribus eorum statim ex quo Deus ex vmbilico terræ surrexit.

igniuit discipulos in amorē sui.

Duos ordines discipulorū Christi inuenio. Alteros frigentes in hipocausto conclusos, alteros feruentes in aperto aere palantes. Hi duos mihi demonstrant populos. Illos parietibus Salomonici templi conclusos, conclusi in Ierusalem Discipuli; alios vero toto orbe dispersos, hi duo peregrinantes. Frigutientes illi suos, in perpetuo gelu rigentes Hebręos designabant: Isti vero omnes gentiles (*& vtinam omnes*) ęternis ignibus succensos indicabant. Metuunt illi ad aspectum resurgentis: isti exultant; trepidant illi, hi ardent. Diffugiunt illi, hi vltro citroq; inuitant; *Mane nobiscum; quoniam aduesperascit*.

Quod si aliqua lumina ex gente Hebræa superlucentia exarserunt, fecerunt quod candelæ morientes; identidem lumen deficiens, nunc languidum, nunc viuidum eliciunt, pro quantitate liquoris vel pinguoris: sic & Synagoga deficiente sacro lecytho vix illos quib. *lux mundi* Iesus dixit; *vos estis lux mundi*, candelabro suo ductili, tractili, & non amplius mobili imposuit, in quibus Christus intrinsecum lumen moribundū Synagogę exereret, nō amplius intrinseco illi auro, lucem suam affusurus, sed per totum argentum gentilismi diffusurus.

Splendebat tibi ô infelix meum aurum, tunc quando cortina tua, ob uelabas mihi meum Iesum: nūc repanso sacro velo, me felicem, mihi etiam licet aspicere meum lumen. Rachel decora aspectu cęcutit, Lya vero lippiens acre cernit. Ardebat tibi sacer ignis, quem tu tibi in occulto succendebas, subijciente ligna mane & vesperi Pontifice: nunc etiam mihi licet a morte mei Redemptoris Crucem eius componere, & aliquod incēdium aperti amoris extrinsecus flammantis excitare. Quis enim ab hac flamma non arderet? Nix, glacies, & ex glacie crystallum insuper & bruma ipsa flagraret, si intelligeret, ardorem amoris nostri Iesu quo nos amauit, dum se rediuiuum monstrauit.

dum Iesu gloriā resurrectionis monstrauit. Illi nō necesse erat propter se radiare. Nam à morte & redanimatione, statim gloriam quam in carne promeruerat habuerat, & vel a nolentibus extorquerere poterat: tamen adlibuit ei inprimis decora sua nobis demonstrare, quod ille quem omnes tanquam vermem & abiectionem plebis conculcarant, *vno impetu occideret octingentos*, & ex Agno Leo, ex verme fęnix, ex peripsemate, Princeps orbis surrexerit, tantamque stragem inferno intulerit, tantopere de inuictis triumpharit, & deinceps gloria qua sub Deo maior non est, humanitatem assumptā illustrarit, vt deinceps ipsi, & p eius amore nō dubitarēt se mortib. obijcere, & pro felicitate pręostensa cuperent omnia & extrema perferre. illum quod viderent, non inania de se prædicantem; pro hac vero, quod cernerent, non puerilia illis pollicentem. Sane cum duob. discipulis illa assereret, ardebat extrinsecus a lumb s vsque deorsum per circuitum in mentibus eorum, dum ipsi confiterentur, *Non ne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via?*

Iosephi ad fratris venientis ardorem, non pari ardore exceperunt fratres, sed dixerunt primo: *occidamus*. Deinde; *ne manus nostræ polluantur sanguine, mittamus in cisternam veterem*. Pari tamen ardore accepit Pater Iacob, tunicam ipsius sanguine hædi coinquinatam. Nam lenimenta filiorum non audiens, dixit; *Fera pessima deuorauit filium meum Ioseph?* Dirupit itaque vestimenta sua, & posuit saccum super lumbos suos, contestans. *Descendam & ego in infernum lugens filium meum*. Non pari, sed magis incenso ardore fors suspiciebant Iesum discipuli, veste sanguinea indutum; dicentes ad misteria passionis suæ rememorantem: Quæ panthera? quæ leopardalis, hunc qui figura & imago Diuinę bonitatis est contingere? quin quod cerno, & deuorare ausa? Tantam in Deo patientiam? Tam immanem in feralibus audaciam? Irane fera pessima deuorauit Iesum? Sed o audimus dicentem; *Ero mors tua o mors, morsus tuus ero o inferne*. Bonum factum. Mors & vita, duello conflixere mirando, sed tamen videmus, quia, Dux vitæ mortuus, regnat viuus. Pro nobis itaque ille mortem quam merebamur occubuit, mortemque moriendo destruxit. eia quid moramur? cur etiam nos non pro illo vitam dependimus? An non erat ardens cor nostrum in nobis, dum habitum mortalitatis nostræ plagis confossum ostentaret? Eia moriamur & nos propter illum. indignus est vita, qui vitæ auctori & redemptori vitam pro eius honore non donat. Iacob a Iosepho vitam non accepit quinimo illi dedit: tamen ab aspectu polymitę superuiuere recusat: Nos a nostro Iesu vitam suscepimus,

mus,& perditam nostra culpa, per ipsius benignitatem recepimus, qd spectamus? Quid hæremus? Præmittat infernus præcursores mortis, vincula, carceres, catastas; addat instrumenta eiusdem serpentes, gladios, ignes; accumulet addimenta ipsius, angores, diuturnos cruciatus, vel etiam ipsa blandimenta; Auctori vitæ nostræ parum præstiterimus vel nihil, qui tanto ardore pro nobis deuorauit crucem.

Iuliæ amor. In prophanis historijs lego, Iuliam Pompeio Magno nuptam, adeo ardenter maritum dilexisse, vt cum Pompeius in comitijs ædilitijs sacrificaturus, hostiæ respersus sanguine, infectas cruore vestes domum remisisset, ipsa cruentas vestes intuita, antequam causam exquireret, suspicata statim, quod Pompeio fuisset violenta manus iniecta, præ timore expirauerit ex vestigio. Credo, si discipuli Iesu non fuissent meliore spiritu animati, præterquam humano naturali, viso syrmate Iesu licet quidem glorioso, tamen tot plagis circumfosso, pręamoris magnitudine expirassent. Certè sponsa prospicientem per cancellos aspiciens, non poterat impetum desiderij sustinere, quin opem postularet: ***Fulcite me floribus: stipate me malis, quia amore langueo.*** quid isti per reticulatum corpus, manus, pedes & pectus, flammas amoris Iesu excipientes, non magis ac magis amore ipsius inflammarentur, si dicerent quod viri robusti, Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via?

In ijsdem Gentilium annalibus lego. quod occiso C. Iulio Cæsare, cum percussores fauentem Senatum haberent, & iam in Senatu non modo nulla de puniendis fieret mentio, sed de remuneranda tyrannicidarum virtute sermo haberi cæptus esset; M. Antonius Consul, qui postea Triumuir fuit, cum L. Pisonis opera, delato in forum Cæsaris corpore atque ab id spectandum populo accurrente, concionabundus Cæsaris res gestas atque liberalitatem commemorare cæperit. Conuersus deinde ad con miserationem, quod tantus vir a suis indigne peremptus esset, Cæsaris prætexta sanguine perfusa, vulnera ostendere, ac simul composita ad id actione lachrymis plena, audaciam interfectorum, & impietatem inter suspiria connumerare instituit. His rebus adeo populi animos ad commiserationem mouit, vt partæ libertatis oblitus, impetu facto ad percussorum domos incendendas accureret. Potuit facunda lingua Antonij id agere, quod armis peruincere nō potuit, vt nullus a vindicanda morte Cæsaris eas pellere valeret; Quid non potuit Iesus in eorum pectoribus efficere, dum enumeraret vulnera innumera in corpore suo pro salute hominum excepta? dum scilicet diceret: hos vibices in genis, manus ferrea propter vos incussit: has aratiūculas in toto corpore, flagra ferrea propter vos exararunt; has quas videtis in toto Capite a vepribus puncturas, propter vos, spinea vestra mihi assignauit. Porro si quæritis, ***Quid sunt plagæ istæ, in medio manuum mearum?*** Aio. ***His plagatus sum, in domo eorum qui diligebant me.*** Scilicet quos ego diligebam, & qui me ***odio*** vicissim ***habuerunt gratis.*** Proh? tot vulnera? tot cruciatus? tot tormenta? adusq; mortem? Non propter me, sed pro te. Nam ego etiā dum paruulus, tibi, & vobis natus atque datus. Cum istam saluatoris prætextam Redemptoris aspicerent, sanguine rubentem, & scissuris patescentem, non iam mirum habeo si arderent extin-

vestis Cæsaris.

extrinsecus ab incendio amoris Iesu, neq; pro magno habeo si libēter irenr ad faciendam vindictam in nationib. increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, qui hactenus vel scandalum vel stultitiam reputabant Iesum, vt facerent in eis judicium conscriptū, sanguine pro Iesu effuso signatum. Quantus ille ardor est Apostolorum, qui *ibant gaudentes a conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*? Quantum illud desiderium Pauli, qui aiebat, *ego autem non solum alligari, sed & mori paratus sum pro nomine Iesu*? Quę illa desideria moriendi, quæ ipsos etiam carnifices præueniebant? quæ tortores fatigabant? quæ insuper ignes extinguebant? Dabo aliquos in exemplum.

ardor martyrū ad mortē qualis?

in Martino.

Statim a temporibus Apostolorū Martinus licet tenellus, tamen fortissimus miles Christi se ostentat, qui quid possit in pectoribus Christi amor, in non adulta ætate ostendit. Romæ Martiani præfecti iussu bubalis loris flagellatus est, in equuleo extentus, ferreis vngulis laceratus; deinde ad machinam, vt membratim distraheretur applicitus; at illa mox fracta Diuinitus liberatur, & a plagis quas acceperat apparuit sanus. Sed rursū quia a puero vinci pudor erat, scissæ apertæque ad medium vsque arboris trunco inseritur, vt partibus ad se redeuntibus collisus deficeret. Arbor autē veluti adactis cuneis funditus diuisa in diuersum laxatur. Inde ergo ad ferream cratem torrendus transfertur, plumbo liquato perfunditur; sed repente proximi fluminis inundatione ignis extinguitur. Iterum ille in sartagine coquitur, sed rore cælesti perfusus calorem non sentit. In cacabum pice bullientem iactatur; at ibi etiam effusa pice mansit illæsus. Feris immanibus obiectus, nihil iniuriæ patitur. In fornacem missus, die postero cum iam in cineres redactus putaretur, exijt incolumis. Capitis tandem truncatione tormentorum finem, & beatitudinis accepit initium. Quæris vnde potuerit durare, in tot lanienis? Ardor Christi roborabat.

Sequatur istum Vitus, non amplius septem annos natus. Hic ab impio patre ne Christum sequeretur, nullis minis verberibusque coerceri potuit. & quia patri malesuadenti non cessit, miraculis nobilitatus, pariter & roboratus est. Diocletiani filium, ab immundo spiritu vexatum sanitati restituit. Sed non ideo fracta est psidi jmperatoris duritia; magis indignari cępit, tantum inesse virtutis homini Christiano; & ipsū ad Deos adorandos compellere per rexit. Tantum autem profecit, vt a puero jmperator victus sit. Potuit illum mittere in carcerem; potuit in olla, pice, resina & plumbo bulliente excoquere, potuit feris bestijs laniandum objcere, & in equuleo extentum, crudeliter verberare: occidere & ardorem extinguere non potuit. Exclamante enim inter ipsa verbera Vito, *Domine libera me*, cælum intonuit, terra tremuit, deorsum simulachra corruerunt, territus Diocletianus fugit. Vbi ille cum orasset Dominum suum, vt iam de terris euocatus, in ipso requiesceret, tradidit spiritum. Glorietur nunc proteruæ potestatis vanus jmperator Diocletianus, maximæ orbis parti se imperitasse, validissimas quondā gētes suæ subegisse ditioni, si vni puero Christum colenti jmperare nequiuit, si ipse pænas inferendo plus timuit, quam ille patiendo: si viuum denique dimittere coactus est, ad quem perimendum tam dira exquisiuit

siuit

fiuit supplicia. Tam incensus erat ardor in pueris, quam immensus existimatis fuerit in viris? Si virgulta viridia incenduntur, quid putatis Cedros a charitate Dei exustas? quomodo non ardebant? Ei vtinam nos vel minimam scintillam ab hoc sacro incendio concipiamus.

Non possum prætermittere florem, vna cum sua planta, nuper ex Indijs. Paulo V. Summo Pontifici, a Rege Hispaniarum missum, indicem & vestigium expressum Passionis Iesu Redemptoris nostri, cuius typum, nunc Venetijs vidimus excussum. Nascitur in Occidentalis Peruanæ, Cusco Metropoli Amæricæ, vbi olim sedes Imperatorum eius Orbis. Planta est vitis instar, non multa crassitudine: quam videlicet oporteat maritare alicui palo. Ea profert florem, magnitudine, forma, & folijs Rosæ nostræ, sed odore magis quam muscum & zibettum, suauiore. Ex eius medio calice eminet stipes, columnæ instar, cui Christus alligatus. ex qua deinde erumpunt quinque stamina, a quibus spinea corona, totidem spinas quot numerabantur in Christi diademate, videlicet 72. referens, tribus clauis in medio extantibus simillimis, ijs quibus Christus cõfixus fuit in cruce, naturali genitura eductis & eminentibus. medietas floris interstitijs suis dispuncta, quinq; maculis rubicundis, ad instar quinq; vulnerũ Christi rubet. Foliorum forma, instar lanceæ, qua Christi latus Longinus confodit. Fructus, oui magnitudine, sed quod mirum, forbilis & multis infirmitatibus medicus. Antiqui nominabant Granadillam, nunc appellant l'afflictiõem Christi. Quid hoc? nisi quod Deus voluit præstare, expressam imaginem tanti in nos sui amoris, vt ex ea assurgat homo, ad redamandum suum Redemptorem, qui sic mundum dilexit?

Flos repræsentãs passionẽ Christi.

Phœnix vnicus Redẽptor Iesus in ligno Crucis arsit immẽso igne pro nobis, vt si amare pigeret, redamare nõ sit graue: eia ab hac flãma desolatoria inflammamini. Ardeat cor, accendatur animus, conflagret totus homo, & in meditatione beneficiorum eius exardescat ignis, ab ab eius flãmea inconsutile. si optamus inter beata agmina Seraphinorum ardentium collocari, in secula sempiterna. Amen.

FERIA III. FESTIVITATIS Paschalis.

Oportebat Christum pati & resurgere à mortuis. Lucæ vlt. c.

CONCIO.

Gloriam antecedit tribulatio.



SAMSON nonnisi post victorias, Triumphos instaurabat: nec mella suauia nisi ex discerpto leone comedebat. Nota est plusquã satis relatio. quod *irruerit Spiritus Domini in Samson, & dilacerauerit leonem quasi hædũ in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu. & post aliquot dies reuertens vt videret cadauer leonis, examen apum inuenerit in ore leonis, & inter illud fauum mellis. quem cum sumpsisset comedebat in via, veniensque ad patrem suum & matrem dedit eis partem.* Itaque prius pugna, postea victoriæ; prius pericula quam dulcia mella. Sic & Iesus Redemptor, prius fella in passione, postmodum mella a resurrectione, ex dilaniato Magno leone degustat. Nam *oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis*, & ita demum discipulis Iud. 14.

mella

mella mellea, ex fauo Triumphali colliquare. De hac antesequa tribu'atione, & subsequa gloria, hodiernus sermo.

post fella mella. Non sine misterio Sacer historiographus, describens profectionem filiorum Israel ex Aegypto ad terrã promissionis, singula loca in quibus castrametabantur, suis nominibus designauit. forte vt doceat omnes in Militiam Christi auctoratos, ascẽsiones in corde suo disponere, per quas ad terram opimitatis lacteę & melleæ peruenirent. inter alia refert, quod *filij Israel egressi de Chai, venerint Dibongad*. Origenes interpretatur hæc nomina stationum, *Cai*, inquit significat *Chaos*: *Dibongad* vero Apiarium. itaque & Israelitæ primo deuorare debebant chaos felleum, antequam venissent, ad Apiarium melleum. ita & Samson prius habuit leonem discerpere, & postea mella degustare. ita & Ionathas Filius Saul, primo manus cum Philisteis conferere, & postmodum virgam in fauo mellis intingere & libare. ita & Saluator noster primo in Golgotha felle & aceto potari, & tunc demum in littore hodierno dulci melle satiari. Quid est hoc? Ad literam alij assignant causam de Saluatore, quod hac comestione voluerit probare veritatem naturæ, in resurrectione resumptæ.

expli. loc. Num. 33

Quærunt comedebat ne verè, & ân simulatè? Si simulatè, quam probationem reddebat veritatis resurrectionis? cum autem verè comedebat, quomodo digestio fiebat in corpore glorificato? Quomodo vegetabat cibus ille? Respondent, quod Christus glorificatus exhibebat corpus ad placitum, nunc visibile, nunc inuisibile, nunc palpabile, nunc veluti spiritum introeuntẽ per ianuas clausas, nunc comedens, & nunc nullo indigens cibo. quia vero illud corpus erat gloriosum, & ex animali transmutatum fuerit in spirituale; de spiritibus autem Propheta canit. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos flammam ignis*. De ipso quoque scriptum est, *Deus noster ignis consumens est*: poterat esse, vt sicut ignis ille Diuinus deuorabat penitus sacrificia patrum, sic & corpus Christi spirituale, & quasi iam in ignem illum conuersum, deuoraret cibum hodierna die sumptũ. absque nutricatione & egestione. Sed hæc curiosa.

Ad propositum reuertor, & ex hoc quod *filij Israel de Cai, commigrant in Dibongad*, assero quia oportebat primo Christum pati, & postea resurgere, & deinde intrare in gloriam, ad mella suauitatis degustanda. *post crucem gloria.*

Magnum Chaos tribulationis emetiendum erat, quà a discipulo traditore, quà ab amicis olearibus, quà a Petro prælecto, quà a Gente prædilecta, quà a populo obstinato. in horto, in torrente Cedron, in palatio Annæ, in concilio Caiphę, in carcere Pontificio, in Prætorio Pilati, in curia Herodis, in lithostrato, ad columnas, super scalas, in itinere vallis Gihon, in monte Golgotha, in cruce, toto corpore & animo discruciatum: tamen sic itur ad astra. Nolo amplius explicare morsus leonis infernalis, quibus cũ appetebat. oportebat primo edentare & exungulare leonem, & postea in Dibongad ad Apiarium, & ad mella ex hac victoria parta peruenire.

Ioseph typum gessit Saluatoris, qui scitis quanta passus, antequam ad solia & sceptra exaltatus esset. Hic a fratribus somniator nuncupatus. hic Polymita despoliatus, hic periculum mortis passus, hic in cisternam veterem præcipitatus, hic triginta argenteis venundatus, *post tribulationes regna.* *Ioseph.*

hic

hic in seruitutem alienigenarum extraditus, hic adulterij accusatus, hic pro meritis fidelitatis in ergastulum conclusus. tamen fatali præfinitione post illud nubilũ Phæbus ei illuxit,& primas post Pharaonem sedes,annulum, torquem, purpurã currum, imperium, insuper & a Patre & Fratribus cultum cum inuidia olim negatum obtinuit. Sic & Christum oportebat,potoré vini Amicum Publicanorum, Samaritanum & Principe dæmoniorum Beelzebubo nitentem audire, veste inconsutili non semel spoliari, periculum mortis subire,vinciri,lapidari, venundari, in carcerem conijci, alienigenis tradi, ab his indigne tractari, maiestatis læsæ insimulari, & tandem cruce onustari & examinari;& sic postea purpuram regni, torquem immortalitatis, annulum Diuinitatis humanitati communicatæ,& currum gloriæ sempiternæ, tum demum imperium orbis,atque ab vniuerso cælico,humano, & inferno poplite adorationem accipere.

typus. 1.Reg.14 post scopulos victoriæ. Ionathas antequam ei contigisset intingere virgam in mellis fauo, transire habebat per duos scopulos. *Erant*, vt recenset scripturæ, *inter ascensus per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philistinorum eminentes petræ ex vtraque parte, & quasi in modum dentium scopuli hinc & inde prærupti. Nomen vni Boses, & nomen alteri Sene; Vnus scopulus prominens ad Aquilonem ex aduerso Machinas; & alter ad meridiem contra Gabaa.*

Multo altiores & magis dentati apparuerant scopuli,per quos transeundum erat Iesu ad mella. Crux illa maledicta, in qua qui pependisset,maledictus censebatur. Accedebant ab Aquilone illi qui improperabant, vah qui destruis templum Dei,si descendis de cruce,saluum te fac,& credimus tibi. A meridie vero latronum alter blasphemabat,ita vt plane deficiens ad patrem inclamaret,*Heli Heli lamazabacthani. hoc est Deus meus,Deus meus,vt quid dereliquisti me.* Tamen animis resumptis,seipsum ad reliquum viæ conficiendum animabat dicens; *hac itur ad astra,hac ad mella*. Enisus est per tot discrimina rerum;ideoque & ad fauos hodie peruenit. Dedit nobis exemplum, vt non ante prægustemus aut speremus degustare, quantum delectabit resurgere ad Christum resurgentem, quam ipsi patienti in cruce nostra commoriamur,felle aliquo ex thesauris eius nobis designato inebriati.

Certa quidem manet nos resurrectio ex mortuis. Iob nihil diffidebat,quinimo aiebat, *Scio quia in nouissimo die*,hac in carne,his oculis *videbo Deum Saluatorem meum*. Si enim in hac vita, *vt raciocinatur Paulus*, tantum sperantes sumus, inanis esset fides nostra, & miserabiliores essemus omnibus hominibus. *post mortem resurrectio.*

Inanis esset fides nostra, tot testimonijs Sacrarum scripturarũ substructa, si etiam nos non resurgeremus. Placet aliquas ex eis adducere; in argumentum illis qui ita viuunt, ac si futuram resurrectionem ex mortuis nõ crederent. In primis habemus, quod per Psalmistã dicitur, *vt Gregorius collegit*, de futura resurrectione, *Aufer spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur.* Hoc de morte. *cuius testimonia ex scripturis,* *homi.20. in Ezech.*

De resurrectione vero carnis mox subiungit, *Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Habemus secundo testimonium Ezechielis Prophetæ,cui Deus iussit dicere; *Ossa arida,audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus*

Ezech. 37. *bis. Ecce ego intromittam in vos spiritum & viuetis. Et dabo super vos neruos, et succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vos cutem & dabo vobis spiritum, & viuetis.* Hinc est quod Propheta alius, per resurrectionē Domini humanum genus vidit in fine mundi suscitari, atque ait; *Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & viuemus in cōspectu eius.* (*Osea. 6.*) Hinc est, quod cum de semetipso Dominus loqueretur, adiunxit: (*Io. 5.*) *Nolite mirari hoc quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ. Qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicij.* Hinc Paulus ait: *Vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ cōfiguratum corpori claritatis suæ.* Hinc iterum dicit: *Si enim credimus quod Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo.* Ecce veteres ac noui patres, vno sibi spiritu de carnis resurrectione concordant.

Indicia ex rebus. Sed mirari solent homines, qualiter caro reuiuiscere possit ex puluere? Mirentur igitur altitudinem cęli, molem terræ, abyssos aquarum; omnia quæ in mundo sunt, ipsos quoque Angelos creatos ex nihilo. Minus est valde aliquid ex aliquo facere, quam omnia ex nihilo fecisse. Ipsa nobis elementa, ipsæ rerum species, resurrectionis imaginem prædicant. Sol enim quotidie nostris oculis moritur, quotidie resurgit. Stellæ matutinis horis nobis occidunt, vesperi resurgunt. Arbusta æstiuis temporibus plena folijs & frugibus videmus, quæ hiemali tempore nuda folijs, floribus ac fructibus, & quasi mortua remanent. Sed vernali Sole redeunte, cum a radice humor surrexerit, suo iterum decore vestiuntur. Cur ergo de ho minibus diffiditur, quod fieri in lignis videtur?

Sed sæpe in puluerem putrescentes carnes aspiciunt & dicunt: vnde ossa & medullæ? vnde caro vel capilli in resurrectione poterunt reparari? Hęc itaque requirentes, parua semina ingentium arborem videant. atque si possunt, dicant: Vbi in eis latet tanta moles roboris, tanta diuersitas ramorum, tanta multitudo & viriditas foliorum, tanta species florum, tanta vbertas sapor atque odor fructuum? Nunquidnam semina arborum odorem vel saporem habent, quem ipsę post arbores in suis proferunt fructibus? Si ergo ex semine arborum, quod videri non potest, produci potest, cur de puluere carnis humanæ diffiditur, quia ex eo reparari forma valeat, quæ non videtur? Sæpe autem obijcere inanem quæstionem solent, qua dicunt: Carnem hominis lupus comedit, lupum leo deuorauit, leo moriens in puluerem redijt: eum puluis ille suscitatur, quomodo caro hominis a lupi & leonis carne diuiditur? (*Solutio obiectionis difficilis.*) Quib. quid aliud respondere debemus, nisi vt prius cogitent, qualiter in hunc mundum venerint, & tunc inuenient qualiter resurgant? Certe tu homo qui loqueris, aliquando in matris vtero spuma sanguinis fuisti, ibi quippe ex patris semine, & matris sanguine paruus ac liquidus globus eras. Dic rogo, si nosti qualiter ille humor seminis in ossibus duruit, qualiter in medullis liquidus remansit, qualiter in neruis solidatus est, qualiter in carne creuit, qualiter in cute extentus est, qualiter in capillis atque vnguibus distinctus? ita vt capilli meliores carnibus, & vngues essent teneriores ossibus, carnibus duriores? Si igitur

tot

tot & tanta ex vno semine per species distincta sunt, & tamen in forma remanent coniuncta. quid mirum si possit omnipotens Deus in illa resurrectione mortuorum, carnem hominis distinguere a carne bestiarum: vt vnus idemque puluis, & non surgat inquantum puluis lupi & leonis est, & tamen resurgat vt puluis est hominis? Vide itaque homo qualiter ad vitam venisti, & nequaquam dubites qualiter ad vitam redeas. Cur autem ratione vis comprehendere quomodo redeas, qui ignoras quomodo venisti? Da potentiæ creatoris tui, quod comprehendere non vales de temetipso. Certe enim quia tu ex terra factus es, terra autem ex nihilo, tu es creatus ex nihilo. Ne ergo de carnis tuæ resurrectione desperes, perpende prudenter, quia minus est Deo reparare quod erat, quam fecisse quod non erat. Si non potes resurrectionis effectum ratione comprehendere, perpende quam multa sunt quæ non intelligis qualiter sint, & tamen esse non dubitas. Dic rogo si nosti, gyrus cæli, terræ cardines, aquarum abyssi vbi finiuntur, vbi suspensi sunt? Scimus autem, quia quod ex nihilo factum est pendet in nihili. Sed si est aliquid quod dicitur, iā nihilū nō est. Si autem nihil est nihilum, nusquam mundi moles dependet, nec est vbi sit quod creatū est vt sit. Quomodo ergo nusquam est, qđ nouimus qui a est? Sed hæc fortasse ad te multa sunt. Ad temetipsum homo reuertere. Certe ex spiritu creatus es & limo. Vno inuisibili, altero visibili: vno sensibili, altero insensibili: Quomodo ergo permisceri in te potuit spiritus & limus, atque ex diuerso fieri res non diuersa, ita vt in tanta conuenientia misceretur spiritus & limus: vt cum caro atteritur, spiritus marceat, & cum spiritus

argumenta ex factis mirādis.

affligitur, caro contabescat? Sed forsitan necdum præuales discutere temetipsum. Perpende rogo si vales, quomodo rubrum mare virga diuisum est? Quomodo petræ duritia percussione virgæ vndas emanauit? Quomodo Aaron virga sic ca floruit? Quomodo ex eius genere veniens virgo concepit? Quomodo & in partu virgo permansit? Quomodo quatriduanus mortuus iussione suscitatus, ligatis manibus ac pedibus de sepulchro exijt, quem postmodum solui Dominus per discipulos iussit? Quomodo idem redemptor noster in vera carne atque ossibus resurgens, clausis ostijs ad discipulos intrauit? Ecce hæc inuestigare non vales, & tamen credis. Cur ergo de resurrectionis gloria dubitare debes, qui tam multa mysteria sine discussione credidisti? Resurgemus, resurgemus: sed non omnes immutabuntur, neque omnes ad Dibongad superni alueari perueniient. Quęris quare? Dauid Rex decreuit. Ideo non resurgent impij in judicio. At qui Paulus dicebat. Omnes debere attare ante tribunal Christi: Quomodo itaque impij non resurgent? Non resurgent, vt immutentur, neque assumentur vt delectentur in conspectu Dei. Causa est in promptu quam Paulus afferebat. Si complantati fuerimus morti ipsius, simul & resurrectionis erimus. Quamobrem impij, eo quod non tulerunt crucem suam, neque per hos præruptos silices difficultatum euaserunt, neq; arcta via incesserūt, neq; fella tribulationū vel primis labris degustarunt, ducentes in bonis dies suos, in extremo ad inferos descendent: neque inde educentur ad cellas promas mellis, ex quibus Christus dulcissimo illiquio suos in Dibongad superno inebriat.

Cum Ionathas comitatus esset adolescente armigero suo, atque illi transeundum esset, per illa prærupta saxa, dixit ad eum; *Veni transeamus ad stationem incircumcisorum horũ, si forte faciat Dominus pro nobis.* Promptus sequi adolescens, non inquisiuit, neque excusationes pertexuit. Dixisset alius, Petras eminentes qua ratione superabimus? quomodo vero tantum facinus duo cõtra exercitus innumerabiles, seminudi contra armatos tentabimus? Ille non discussit præcedentis voluntatem, sed; *Fac*, inquit, *omnia quæ placent animo tuo. perge quo cupis, & ero tecum vbicunque volueris. Ascendit itaque Ionathas manibus & pedibus reptans, & armiger eius post eũ.* Vidimus nuper præcellorem nostrũ per hos scopulos *Boses & Sene* enitentem, quasi vermis esset & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Vidimus Simonem Cyrenæum post tergum antecedentis baiulare crucem eius. Audiuimus etiam non semel monentem. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.* Beatos illos qui sequuntur Agnum quocunque ierit, & qui dulcem Ionatham, donum Dei nobis datum celeri passu ad crucẽ vsq; persequuntur. Agno Iesu eo quod lactucis amaritudinis passus est, datum est ambulare in monte Sion cœlestis felicitatis: & his qui illum hic in fellea amaritudine secuti sunt, dabitur in ijsdem pascuis æternitatis deliciari. Adolescens, quod Ionatham secutus est in militiam, contigit ei eadem mella quæ Ionathæ degustare: & omnibus Iesu sequacibus ad mortem, ex hac militia dabitur, in æterna beatitudine de ijsdem cellis dulcedinis inescari. Qui sunt mortis participes, simul & resurrectionis efficientur. Qui prius

tantum oportet sequi Christum.

intriuerunt & emensi sunt Caj, peruenient in Dibongad. Qui catulum leonis, scilicet qui cupiditates animi ferocientes, iram, libidinem, gulam, auaritiam, crudelitatem, superbiam, aliosque ferales motus compresserit, discerpserit, mortificauerit, hic ex prostrato suo corpore hyblæos fauos in resurrectione destillabit.

Sed ò nos insanos. *Pro nihilo habemus terram desiderabilem*, & in illa tot & tantas voluptates. Dicerem & explicarem, quomodo pro nihilo. Subticeo. Video non neminem statim ab his festis ad Babyloniam meretricem, atque adeo ad inferos, magis quam ad cœlum properantem. An non ad inferos, qui nihili voluptatem præoptant inæstimabili delicio? Quendam Monterlarium lego inter crudeles crudelissimum, qui si quem decreuisset necare, blande ad pocula inuitabat, & inebriatum obtruncabat. Non oportet suscitare Riccium. præsto est Satan, præsto aliqua Circe vel Medea, quæ submellata venena propinat, dum fastum, aurum, luxum, insinuat. & quis est qui non potius ad illam, quã ad Dibongad eat? quis est qui non clausis oculis ad infernum ruat? Sed nos tamen, ruina, & casus ad infernum, delectat.

& nõ Satanam.

Sysiphi labores apud Orphicos legistis; cui solenne est, saxum ingẽs in altum tollere, & pondere illius deprimi inq; infera detrudi, atque improbo labore fatigari. Mutato nomine, in nos figmentum factum. Quod enim alius inuitis superis ad superba solia enititur; alius reluctante, vel etiam fauente Fauentia, auri montes accumulat; alius per aceruos cadauerum sibi securitatem, & quietam viuendi rationem parat; alius alio tramite ad fœlicitatẽ mundanam iter sibi confragosum aperit, casso labore se discruciat, attollit,

Sysiphi labores.